
UNIVERSITY OF MICHIGAN

HISTORICORVM ROMANORVM RELIQVIAE

COLLEGIT DISPOSVIT RECENSVIT PRAEFATVS EST

HERMANNVS PETER

VOLVMEN ALTERVM



IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI LIPSIAE MCMVI

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

FRANCISCO · BVECHELER

NVNC · DOCTORI · PHILOSOPHIAE · QVINQVAGENARIO

ANTE · HOS · L · ANNOS

PRINCIPI · IVVENTVTIS

AD · VADA · CAERVLA · RHENI

DOCTRINAE · VITAEQVE · CAVSA · BONNAM · CONGREGATAE

HERMANNVS · PETER

VNVS · EX · ILLA · PHILOLOGIAE · NVNC · PER · L · ANNOS · STVDIOSVS

Sterilitate rei saepe numero deterritus, fide promissae totiens retractus hoc opus, cuius priorem partem ante hos triginta sex annos in publicum edidi, tandem ad finem pertexui. nimirum cum adsiduitate et constantia scriptores etiam posterioris aetatis maximeque ecclesiastici peruoluendi erant, etsi exigua spes incitabat ex his numerum fragmentorum augendi. nam illorum studium uersandi in eis historiis, quae post Augusti principatum compositae sunt, legendis et tractandis praeter eas, quae etiam nunc supersunt, post breue tempus elanguit, paulatim exstinctum est, tenues autem sententiae paucioraque uerba, quae ex illis apud ecclesiasticos seruata sunt, si Augustini Varronianum exceperis, raro ipsorum doctrinae debentur, etiam rarius, quo longiore spatio is, cui debemus, ab auctoribus distabat, ita ut saepius per conplures manus quasi hereditate usque ad nostram memoriam propagata sint.

Itaque labore intermisso cum experiri statuissem, num multa me fugissent, omnibus fragmentis historicorum Romanorum a. 1883 emissis, si quid nouisset rectius, ut candidus inpertiret, in inscriptione inuitaui. perpauca tamen adlata sunt. quae spes quamquam me fefellit, animum tamen atque fiduciam operis absoluendi hoc erexit et confirmauit. sed priusquam ad fragmenta retractanda adgrederer, multae difficultates et dubitationes explicandae erant, ex quibus disputationibus etiam duo uolumina (*Die geschichtliche Litteratur über die römische Kaiserzeit bis Theodosius I und ihre Quellen*, Lipsiae in aedibus Teubnerianis 1897) euaserunt, ad quae eos delegauerim, qui huius prooemia desiderauerint.

Nunc scriptores eadem ratione ordinatos proposui qua prioris uoluminis, nisi quod hic illic similitudini generis uel speciei plus tribui quam aetati, eademque instructa et adnotata fragmenta. nam primum omnia congessi, quae per annos

plus quadraginta reperire possem, coniecturis tamen abstinui, ne certam auctoritatem, quae alienae doctrinae et sollertiae materiae et subsidia esset, turbarem, et minutis formis ea excudenda curaui, quae quin ut alia nominatim Augustinus ex Varronis de gente populi Romani libris in suos de ciuitate dei nomine omisso transtulisset, aut Gellius ex Oppio Hyginoque dubitari non posset. tum uitae scriptores deesse nolui, etsi diuersa eos spectasse multosque, maxime aetate inferiores nugis minutiisque abundare, carere fide, quosdam etiam sermone Graeco usos esse uideri non ignoro. contra exclusi Granii Liciniani fragmenta, de quibus recipiendis et cum Francisco Buechelero amico retractandis diu cogitaueram. occupauit meam operam M. Flemisch (a. 1904), qui item id potissimum egit, ut rebus explicatis fragmentorum pretium augeretur. nam de emendatioribus ex lacero codice Londinensi eliciendis scripturis desperandum esse multis ex partibus certior factus eram. Pompei autem Trogi quae supersunt cum eius breuiatore coniungi solent, ut ipse ei operae cartaeque pepercerim, praesertim cum nihil ex illis ad res Romanas pertineat.

Substiti etiam nunc in fragmentis colligendis intra Constantini Magni imperium, ultra quod praeter paucos eosque superstites, qui quae alii scripsissent, in epitomas redigerent resque traditas usque ad suam aetatem supplerent, omnis historia ad christianos Graecosque migrauit. magnum tamen annorum numerum supergressus Symmachos et Nicomachos eorumque socios, quorum in familia ueteris historiae studium et doctrina effloruit, addidi, etsi ex omnibus eorum scriptionibus unum christiani fragmentum suae fidei scriptoris ad posteritatem peruenire uoluerunt.

Ordo fragmentorum is est, ut ea quae certis librorum numeris distincta sunt, si in rerum contextum probabiliter redigi non potuerint, initium faciant, cetera asterisco addito uel rerum narratarum temporibus uel auctoris aetate uel alia, quae commoda fuerit causa disposita subsequantur.

De eis recensendis optimam quamque editionem auctoritatemque adii atque adparatum criticum ita subscripsi, ut alios libros euoluere non necesse esset. hinc eorum paucorum fragmentorum, quorum ipsa uerba seruata sunt, uarietas scripturae plena praesto est, aliorum, quae nomina resque

ipsas spectat, idque parcius in Graecis quam in Latinis, omnino neglecta orthographia uerborumque collocatione atque si qua praeterea ad aestimandas librorum manuscriptorum auctoritates in editionibus adlata erant. sigla secundum optimam quamque editionem significata sunt, ς codices omnes reliqui uel plerique uel deteriores.

In adnotatione rara in hoc uolumine occasio fuit auulsis enuntiatorum laciniis tenorem suum restituendi, saepius eam similibus locis interpretationibusque repleui.

Indicibus quantum potui locupletissime ad exemplum prioris uoluminis confectis usui uirorum doctorum prospicere studui, ita tamen, ut cum omnino exceptis grammaticis, nisi certae quaedam causae subessent, ad uerbum fragmenta translata non esse arbitrarer, tum singula uerba cum Hadriani aetate enumerare desinerem. nam post eam longum illud historiae Latinae silentium usque ad Seueros hiat, sub quibus eisque qui secuti sunt imperatoribus paene nihil nisi aulicocorum biographia culta est, cuius memoria dis placuit ut sola historia Augusta[1]) contineatur. uerba autem si quis requirat, eius uoluntati C. Lessingii industria satisfactum est. ex una igitur adclamatione, de cuius fide dubitatio nulla est, quasdam uerborum partes excerpsi.

---

1) Quoniam magna fragmentorum multitudo ex ea in hoc corpus recipienda fuit, semel hic moneo nunc me et in scripturis codicis Palatini exscribendis acquieuisse codice Bambergensi spreto, nisi ubi eo ad constituendam ueram scripturam illius opus esset, et in nominandis uiris doctis, qui de emendatione bene meriti essent, locis ubi proposuissent omissis, si in editione mea altera (anni 1884) significati essent.

Misniae mense Februario a. CIƆDCCCCVI.

DE SCRIPTORVM VITIS
ET SCRIPTIS

M. TVLLIVS CICERO[1])

(Natus a. 106/648, cos. 63/691, mortuus 43/711.)

M. Tullius Cicero bis per uitam rebus scribendis operam dedit, ut ab occupatione uitae publicae remotus gloriam senescentem uel alienis consiliis et inuidia obscuratam redintegraret et in ciuium mentes et sermones reuocaret, primum a. 62/692 sq. nam simulatque consulatu decessit, fluctus, ut ait *(de orat. I 1, 3)*, ab eo a communi peste depulsi in eum ipsum redundauerunt. itaque, cum omnium oculi in Pompeium, qui modo bellum Mithridaticum summa cum gloria confecerat, conuersi essent, paulo post coniurationem detectam 'epistulam non mediocrem ad instar uoluminis scriptam' 'de rebus suis in consulatu gestis' ad eum in Asiam Cicero misit eandemque simul etiam publici iuris fecit, ut L. Torquatus iam cum Sullam accusaret (a. 62/692), ea uti posset *(Cic. pro Sulla 24, 67)*, imitatus exemplum Scipionum, qui de rebus bellicis epistulas confecerunt edideruntque *(Fragm. hist. Rom. p. 113 sqq.)*. uerum tamen, cum 'quadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret', hac insolentia Pompei stomachum 'haud mediocriter' mouit *(Schol. Bob. ad Cic. pro Planc. p. 270 sq. Or.)*, qui mense Februario exeunte uel Martio ineunte a. 61/693 in litteris ad senatum datis spem otii sua opera restituti ostendit atque priuatis Ciceroni uoluntatem suam breuiter significauit, sed gratulationem rerum ab hoc gestarum, quam expectauerat, omnino praetermisit atque Ciceronem ex magna spe deturbauit *(ad fam. V 7)*. parum igitur feliciter hoc libello historiae suae prolusit, sed etiam spes, quas in aliis scriptoribus posuerat, eum fefellerunt. nam neque Archias, quem a. 62/692 apud iudices defenderat, aut Thyillus poetae Graeci eius amicitiae patrocinioque gratiam rettulerunt, etsi polliciti erant *(pro Arch.*

1) Vid. W. H. D. Suringar, *De Romanis autobiographis* (Leyden, 1846) p. 21—28.

11, 28; ad Att. I 16, 15), neque ceteri, quantum scimus, de eo quidquam scripserunt, qui multi instabant, ut daret sibi, quod ornarent, molestiamque ei exhibere non desinebant *(ad Att. II 1, 2).*

In urbe autem in dies grauiores molestiae eum circumuenerunt. summo enim cum dolore suo expertus est ne Catilinae quidem sociis occisis exercituque profligato securitatem in urbem reductam esse neque quidquam senatum ne Catone quidem duce contra Caesaris opes crescentes proficere posse, quantum autem sua auctoritas diminuta esset, ipsis kalendis Ianuariis a. 60/694, a M. Pisone consule in senatu non primus sententiam rogatus. accedebant inimicitiae cum P. Clodio susceptae, qui cum propter sacra uiolata in ius uocatus et absolutus esset, Cicero et testimonium suum in ea causa dictum a iudicibus neglectum esse uidit et numerum aduersariorum eius audacia proteruitateque auctum. itaque etsi Caesar aestate in Hispaniam abiit Pompeiusque, qui mense Ianuario in hortos suburbanos se receperat, ei magis fauere uidebatur, tamen cum Attico queri non desinit, quod ab omnibus destitutus sit neque quemquam habeat, quocum extra domum libere iocari possit. Tum igitur, i. e. a. 61/693 ineunte, ut dignitatem suam tueretur, consilium cepit ex memoria rerum gestarum solatium repetere et ad historiam refugere atque iam mense Iunio, ut quaedam, quae ab Attico expectat, compenset, haec ad eum scribit *(I 16, 18): 'Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam. nihil erat absoluti.'* hinc usque ad nonas Decembres aut, si quas litteras ad hunc amicum dedit, interciderunt aut ipse omnino tacuit. certe suberat offensio quaedam inter Quintum fratrem, maritum Pomponiae, et Atticum eius fratrem, quae etiam Marci animum molestia affecit et abalienauit (Drumann *Hist. Rom. V p. 13 sq.*). itaque commentarium consulatus sui sub finem a. 61/693 confectum non ad Atticum[1]) sed ad Posidonium Rhodium misit eumque se misisse finxit, 'ut ornatius de isdem rebus scriberet'.[2]) qui postquam rescripsit se 'non modo non excitatum esse ad scribendum sed etiam plane deterritum' *(ad Att. II 1, 2),* tum demum idibus Martiis a. 60/654 per Cossinium, amicum Attici et Varronis, eum librum 'lente ac fastidiose probatum' etiam cum Attico communicauit, qui tamen iam antea eum Corcyrae 'strictim attigerat',

1) Vid. ad Att. XIII 22, 3 (a. 45/709) *Scripta nostra nusquam malo esse quam apud te, sed ea tum foras dari, cum utrique nostrum uidebitur.*

2) Cf. Ciceronis de Caesaris commentariis iudicium in Bruto 75, 262.

ab eoque petiit, ut per Graeciam diuulgaretur *(ad Att. I 19, 10 coll. I 19, 11 et II 1, 1)*.

Idem uero eodem tempore in consulatu suo Latine describendo uersabatur, quod opus num perfecerit, ignoramus (certe eius uestigia non exstant), idemque 'ne quod genus a se ipso laudis suae praetermitteretur', de eadem re poema trium librorum *(ad Ad. I 19, 10)*, ad quod infra reuertemur.

Secutum est foedus illud Caesaris, Pompei, Crassi; transiit P. Clodius adoptione in plebem; Cicero honores a Caesare oblatos fortiter repudiauit, ineunte a. 59/695 uillis suis se abdidit, Romanae rei p. taedio correptus Antiati delectari sibi uidebatur contentusque odio improborum, quo ut aliqua ex parte animum leuaret, effundebat in *'Ανέκδοτα*, quae 'Theopompio genere', i. e. ita, ut res ex ultimis secretisque causis repeteret[1]), 'aut etiam asperiore multo a se pangi' ad Atticum scripsit 'nullo cum stomacho sed potius cum aliqua scribendi uoluptate' *(II 6, 2)*. neque tamen hoc opus ex sententia processit. nam posteaquam in compluribus eius temporis epistulis se non deesse amici acriter hortantis uoluntati promisit, crescente materia totam rem fluctuare queritur ('*κατ' ὀπώρην τρύξ*') neque se ad scribendum penetrasse *(II 7, 1; 8, 1; 12, 3; 14, 2)*.

Denuo memoriam rerum suarum redintegrauit, cum ex exsilio reuocatus locum sibi in re p. non esse intellexisset, sed ut inter senatum et tres uiros dubitabat, ita in scribendo incertus erat, quid maxime spectaret. Primum quidem, si Cassio Dioni credimus (39, 10) tum '*βιβλίον τι ἀπόρρητον*' conposuit et 'De consiliis suis' inscripsit, qui index fragmentis ipsis confirmatur. quod quidem opus fuit illud Theopompium, tum ad finem perductum. nam quod ad Atticum de eo scripserat 'se dare se historiae' *(II 8, 1)*, concinit cum Dione defendisse eum consilia sua

1) Cf. Dion. Hal. ad Pomp. 6 p. 65 Vsen. (de Theopompo): *Τελευταῖόν ἐστι τῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ χαρακτηρικώτατον ὃ παρ' οὐδενὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οὕτως ἀκριβῶς ἐξείργασται καὶ δυνατῶς οὔτε τῶν πρεσβυτέρων οὔτε τῶν νεωτέρων· τί δὲ τοῦτό ἐστι; τὸ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν μὴ μόνον τὰ φανερὰ τοῖς πολλοῖς ὁρᾶν καὶ λέγειν ἀλλ' ἐξετάζειν καὶ τὰς ἀφανεῖς αἰτίας τῶν πράξεων καὶ τῶν πραξάντων αὐτὰς καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, ἃ μὴ ῥάδια τοῖς πολλοῖς εἰδέναι, καὶ πάντα ἐκκαλύπτειν τὰ μυστήρια τῆς τε δοκούσης ἀρετῆς καὶ τῆς ἀγνοουμένης κακίας. καί μοι δοκεῖ πως ὁ μυθευόμενος ἐν Ἅιδου τῶν ψυχῶν ἀπολυθεισῶν τοῦ σώματος ἐξετασμὸς ἐπὶ τῶν ἐκεῖ δικαστῶν οὕτως ἀκριβὴς εἶναι ὡς ὁ διὰ τῆς Θεοπόμπου γραφῆς γιγνόμενος.* R. Hirzel in m. Rh. 47 p. 367 sqq.

prodente; deinde ipse *(ad Att. II 6, 2)* asperrime se odio suo indulsisse, Dio multa libere et acerbe contra tres uiros et alios quosdam contexuisse dicit, denique ipse ἀνέκδοτα se uni Attico legare eumque primum ea habiturum et aliquamdiu solum *(II 6, 2; 12, 3)*, Dio timore commotum eum filio obsignata tradidisse et ante mortem suam legi et edi uetuisse.[1]) itaque post Caesaris caedem cum Atticus eum esset adhortatus, ut ederet atque quaedam adiungeret, hoc quidem ille excusauit, quod hic liber nondum ut uellet perpolitus esset eaque, quae amicus contexi uellet, separatum uolumen expectarent, perpoliuisse tamen uidetur sed uetus propositum retinendi non deseruisse, quia quae dixisset, 'minore periculo uiuo Caesare dici potuissent quam mortuo' (m. Maio, *XIV 17, 6; cf. p. 4 fr. 1*).

Deinde (ineunte a. 56/698) L. Lucceium *(uid. infra p. xxxi)*, qui Italici belli et ciuilis historiam tum scribebat atque se etiam reliquas res orsurum significauerat, inpellebat, ut peculiari corpore res a principio coniurationis usque ad reditum suum conprehenderet, qui multa promisit, nihil fecit *(uid. infra l. s.)*, etsi Atticus amici preces adiuuit (m. Aprili 55/699, *Cic. ad Att. IV 9, 2, cf. IV 6, 4*), et quod illi quasi per iocum minatus erat multorum exemplo scripturum se ipsum de se, si, quod uellet, non inpetrasset *(ad fam. V 12)*, re uera mente concepit, id tamen ita, ut simul C. Caesarem respiceret. nam cum hoc nouam coniunctionem libello aliquo m. Aprili ad eum misso iniit, quo quamquam modicus in laudando eo fuit, tamen quo minus ad optimates laberetur, hac palinodia inpeditum se esse et cogitabat et uolebat uberioremque se fore professus est, si et ille libenter accepisset et amici qui fuissent non desisterent sibi inuidere *(ad Att. IV 5)*. id autem moliebatur, ut 'de temporibus suis' tres libros uersibus conponeret (eodem tempore quo totidem de oratore), quibus poema de consulatu suo continuasse uidetur miseriasque deplorasse, quibus postea esset adflictus. gloriatur tamen admodum parce et molliter a se aduersarios laesos esse atque primum ueritus edere noluerat, ne eos, qui de se bene meriti essent, non omnes no-

---

1) Fortasse recte hunc librum dictum esse O. Harnecker (in Fleckeisen. ann. 123 p. 184 sq.) a Cicerone ipso in Bruto 4, 16 (a. 47/707 uel 46/708) censet, ubi aegre fert, quod nihil habeat, quo Attico pro annali ad se misso gratiam referre possit: *nec enim ex nouis — fructibus est unde tibi reddam quod accepi, — nec ex conditis, qui iacent in tenebris et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est.*

minasset in laudandoque eorum expectationi non satis fecisset *(ad fam. I 9, 23)*, etsi opus, cum confectum esset, aegre retinebat *(ad Att. IV 8ª, 3)*.[1]) quali autem animo inbutus ait, inde facile colligimus, quod eos libros non solum ad Quintum fratrem tum cum Caesare Britanniae bellum inferentem, sed ipsum etiam ad imperatorem misit, qui primi libri prima se ne Graeca quidem meliora legisse a 54/700 respondit *(cf. etiam ad Q. fr. II 13 [15ª], 2)*, de ceteris ita iudicauit, ut aut res aut χαρακτὴρ eum non delectasse Marco uideretur *(ad Q. fr. II 15 [16], 4 sq.)*. quo iudicio scriptoris studium et inpetus animi inminutum est. nam quamquam Caesar non destiterat 'officio, diligentia, suauitate' eum prosequi, Cicero, quod m. Iunio a. 54/700, cum tantum modo poema suum de temporibus suis ab eo probari audisset, nondum ipsius litteras accepisset, sibi proposuerat, ut expeditionem in Britanniam anno proximo superiore factam scriberet, idque, quoniam in Caesare colendo tam diu indormiuisset, properando tarditatem cursus corrigeret, 'cum equis, tum uero quadrigis poeticis' *(ad Q. fr. II 13 [15ª], 1 sq.)*, postea hoc consilium abiecit. accedebat quod Quintus ad idem argumentum deductus *(Buecheler Q. Cic. fr. reliq. p. 16)* uersus a fratre petebat, ut ipse colores, i. e. situs, naturas rerum et locorum, mores, gentes a Quinto. itaque mense Septembri et suum ad Caesarem poema incidit et apud fratrem de uersibus, quos promiserat, curam et sollicitudinem excusat *(ad Q. fr. III 1, 11; 4, 4; 6, 4)*. nihilominus m. Nouembri ad opus suum intermissum, ne Caesaris expectationem fallat, redit et paulo post exeunte eo anno nuntium certum opperitur, 'ut suaue, sibi quidem ut uideretur, ἔπος ad Caesarem' mittat *(ad Q. fr. III 8, 3; 9, 6)*.[2]) Reliquiae tamen eius omnino nullae exstant, dubitoque num in publicum emiserit, deterritus uarietate temporum et Caesaris iudicio, eademque sors uidetur fuisse poematis de temporibus suis, quo item eodem tempore illius gratiam aucupatus erat. nam huius poeseos notitia omnis eius epistulis continetur solisque epistulis a. 54/700 ad Q. fratrem datis certorum quorundam locorum commemoratio, poematis ad Caesarem

1) Quod Cicero Atticum (*IV 11, 2*) mense Iunio Lucceio suum 'librum' dare iubet, hoc poema fuisse uidetur.

2) Forsitan eodem iocus in epistula ad Trebatium ictum missa (m. Apr. 53/701, VII 18, 1) spectet. — Haec tria poemata a Teuffelio (*Literaturg. p. 365 sq.*) recte distincta Baiter *Cic. op. IX p. 130 sqq.* et Mueller *IV 3 p. 398 sqq.* denuo commiscuerunt.

II 13 [15ᵃ], 2. III 1, 11; 8, 3; 9, 6, de temporibus suis III 1, 24, ubi Mueller pro Medicei scriptura *in secundum librum librorum meorum* scripsit *in secundum librum temporum meorum*, et II 7 [9], 1, ubi ex tempore epistulae sermonem esse apparet de hoc libro, sed quod Quintus frater suaserat, 'ut meminisset Iouis orationem, quae esset in extremo illo libro', ad carmen consulatus reuocauit, quod solum Quintilianus et Pseudo-Sallustius nouisse uidentur *(uid. infra p. xvi fr. 5. 6. 8)*.

Quartum denique poema, quod huc pertineat, est Marii. cui scribendo quo anno operam dederit, nescimus; perfecerat, cum libris suis de legibus prooemium praemitteret, sed ne illud quidem constat, utrum hoc scripserit, cum ad illud opus adgrederetur, a. fere 52/702, an cum inperfectum retractaret, m. Aprili a. 46/708, atque propter hanc dubitationem, utrum Marium, cum suus ciuis fuisset, an cum Caesaris cognatus et in re p. auctor, celebrare maluerit, an, quoniam cum utroque necessitudine aliqua coniunctus erat, ipse per Marium ad Caesaris dignitatem adspirare.

Denique ab anecdotis illis Theopompiis R. Hirzel *(m. Rh. 47 p. 368. Dialog I 547 sq.)* et Ed. Schwartz *(Herm. 32 p. 558)* "*Ἡρακλείδειον* aliquid', in quo conponendo post Caesaris mortem uersabatur, recte distinxerunt antea uulgo cum eis confusum. nam Cicero, quoniam et sui ipsius et illius caedis eum paenitebat et iam mense Aprili exeunte Atticus, ut se historiae daret, suaserat *(ep. XIV 14, 5)*, tum Maio, ut "*Ἡρ.* aliquid' scriberet, cum et argumentum conponendum et scribendi tempus maturius exspectandum esse respondisset, primo recusauerat *(XV 4, 3)*, m. Iulio autem eo inclinabat[1]), Octobri, cum amicus tanto opere consilio suo delectaretur, promisit sed quaesiuit, quale uellet esse *(XV 13, 3)*. tum uero altum de eo silentium, etsi se ardere studio historiae m. Nouembri ad Atticum scripsit *(XVI 13ᶜ, 2)*. de argumento tamen ex sola significatione "*Ἡρακλείδειον*' quaedam colligere possumus. nam Cicero Heraclidae Pontici, cum, quod puerilibus fabulis libros respersisset, ei exprobraret *(de nat. d. I 13, 34)*, admirator erat potissimumque eius dialogorum, quibus de moribus alios homines, maxime antiquos, disputantes fecerat. itaque in libris *de re publica* sermonem Africano eiusque amicis attribuit neque ob-

---

1) XV 27, 2 (V non. Quint.) *excudam aliquid 'Ἡρ., quod lateat in thesauris tuis,* XVI 2, 6 (V id. Quint.) *'Ἡρ., si Brundisium salui, adoriemur.*

secutus est Cn. Sallustio, qui multo maiore auctoritate de illis rebus dici posse admonuerat, 'si ipse loqueretur de re p., praesertim cum esset non Heraclides Ponticus sed consularis et is, qui in maximis uersatus in re p. rebus esset'. nam quae tam antiquis hominibus attribueret, ea uisum iri ficta esse; etiam sermonem de oratore eum rettulisse ad eos, quos ipse uidisset; 'Aristotelem denique, quae de re p. et praestanti uiro scriberet, ipsum loqui' (*ad Q. fr. III 5, 1* m. Nou. 54/700). eandemque rationem octo annis postea exposuit, cum ad Atticum scriberet antiquas personas suauiter in dialogos includi, ut et Heraclides in multis et ipse sex 'de re p.' libris fecisset (*ad Att. XIII 19, 3 sq.* m. Iulio exeunte a 45/709).[1]) apparet igitur *'Ἡρακλείδειον* id proprium habuisse, ut antiquae personae inter se colloquerentur, qua de causa Varro ei sermoni interesse non potuit, id quod Schwartz l. s. uoluit, pertinuisse autem ad eas ipsas res, quae tum gererentur, quibus totus Cicero tum animo occupatus erat. quid quod hic rumor etiam Athenas peruaserat Ciceronem sermones de Caesaris morte scribere, ad quos ut adiungeretur C. Trebonius per litteras ab eo petiit.[2])

Idem tamen hoc quoque animo uoluit ut Graecam historiam laude Romana aequaret. itaque cum de legibus prooemiaretur, Quintum fratrem fecit profitentem multa se de eo consilio secum collocutum esse eamque paruam inter se fuisse dissensionem, quod ipse (Q.) eum 'ab ultimis temporibus' capere exordium uoluisset, Marcus autem aequalem aetatis suae memoriam depoposcisset, Atticumque sibi adsentientem, cum Pompei laudes annumque suum memorabilem illustrare posset, quae ab eo praedicari mallet quam 'de Remo et Romulo'. quamquam ipse tergiuersatus est et diuturnitate otii se carere finxit; nam 'historiam nec institui posse nisi praeparato otio nec exiguo tempore absolui' *(I 2, 5 sqq.)*. Cassio tamen Dioni si credimus, iam ad ipsum opus accessit. nam apud eum Q. Fufius Calenus ad tantam inpudentiam processisse Ciceronem declamat (anno, ut finxit, 43/711), ut, cum satius

---

1) Eodem tempore quo Cicero, etiam Varro dialogum scribebat *(ad Att. XV 13, 3)*, quem ille *'Ἡρακλείδειον* dicit, de quo opere diu exspectato obscure loquitur ad Att. XVI 11, 3.

2) Ad fam. XII 16, 4 (VIII kal. Iun. 44/710) *Tu, sicut mihi pollicitus es, adiunges me quam primum ad tuos sermones; namque illud non dubito, quin, si quid de interitu Caesaris scribas, non patiaris me minimam partem et rei et amoris tui ferre.* cf. ad Att. XV 3, 2.

fuisset res suas obliuione obscurare, omnem memoriam ita exponerét, ut res a consulatu suo exorsus usque ad Romuli regnum deduceret.[1]) contra Plutarchus *(Cic. 41)* consilium res patrias historia conplectendi conpluribus et publicis et priuatis malis turbatum esse scribens inprimis diuortio cum Terentia facto, (a. 46/708) cum ipso Cicerone concinere uidetur. quod uero addit *καὶ πολλὰ συμμῖξαι τῶν Ἑλληνικῶν καὶ ὅλως τοὺς συνηγμένους λόγους καὶ μύθους ἐνταῦθα τρέψαι,* hoc quid uoluerit, non perspicio, nisi Plutarchi auctor haec ad libros *de legibus* rettulit, quos Graecorum sapientia redundare constat.[2]) Dionis autem uerba omni fide carerent, nisi nuper simile aliquid de nostra memoria et excogitatum et quibusdam probatum esset, sed ne sic quidem pro ueris haec habere possum, immo subesse existimo et declamatoris illius studium omnia augendi et amplificandi et errorem ex eodem illo prooemio ortum, in quo illa 'ultima tempora' perperam de eis, quae Ciceroni proxima essent, intellecta essent.

Sed primum in Ciceronis historia obtinet locum is liber, qui est De consulatu Graece scriptus. quo quidem gloriatur quod 'totum Isocrati *μυροθήκιον* atque omnes eius discipulorum arculas ac non nihil etiam Aristotelia pigmenta consumpserit' *(ad Att. II 1, 1),* putatque huic Graeco Graecum inuidere *(I 20, 6)* conturbatamque a se esse Graecam nationem *(II 1, 2).* rhetorum igitur artificiis res uel augere uel obscurare ei placuerat. nimirum per lubricum incedebat, ut offensiones principum euitaret.[3]) uelut cum Crassum et Caesarem a coniuratione non alienos fuisse sibi persuasisset, illi etiam laudem quandam eius patefactae attribuit *(fr. 1),* huic autem post orationem de coniuratis per municipia

1) Cass. Dio 46, 21 *Καὶ οὕτω γε ἀναίσχυντος εἶ ὥστε καὶ συγγράψαι ταῦτα τοιαῦτα ὄντα ἐπεχείρησας. — προθέμενος γὰρ πάντα τὰ τῇ πόλει πεπραγμένα συγγράψαι (καὶ γὰρ σοφιστὴς καὶ ποιητὴς καὶ φιλόσοφος καὶ ῥήτωρ καὶ συγγραφεὺς εἶναι πλάττεται) ἔπειτ' οὐκ ἀπὸ τῆς κτίσεως αὐτῆς, ὥσπερ οἱ ἄλλοι οἱ τοῦτο ποιοῦντες, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς ὑπατείας τῆς ἑαυτοῦ ἤρξατο, ἵνα ἀνάπαλιν προχωρῶν ἀρχὴν μὲν τοῦ λόγου ἐκείνην, τελευτὴν δὲ τὴν τοῦ Ῥωμύλου βασιλείαν ποιήσηται.*

2) Graux *in edit. sua uit. Cicer. p. 159* ipsa haec Ciceronis uerba (de legg. I 1, 5) '*quamquam et apud Herodotum patrem historiae et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae*' ansam praebuisse censet Plutarcho uel eius auctori.

3) Nolo ipsas res, quas ab eo enarratas esse consentaneum est, persequi. ipse paucis paragraphis 'exposuit breuiter consulatum suum' in Pis. 2, 4 — 3, 7.

diuidendis habitam e curia egredienti 'adulescentes' gladiis minatos esse in narratione praetermisit.[1]) sed praeter hos duos locos, qui soli citato indice ad illum Ciceronis librum redeunt, etiam aliis a Plutarcho esse in usum uocatus uidetur, ad quem eum et studio uitarum ab ipsis, quorum uitas illustrabat, scriptarum et sermone Graeco deferri proximum erat. hic quidem in Ciceronis uita c. 10—22 coniurationem Catilinae narrans et Crassi indicium ita rettulit *(c. 15)*, ut in illo libro expositum esse ipse in Crassi uita *(c. 13)* prodiderat, et saepe cum Ciceronis locis quibusdam orationum concinit, quas cum Plutarchum non ad hoc peruoluisse consentaneum sit, hic consensus ab eius historiis repetendus est, id quod certatim multi demonstrauerunt.[2]) Cf. Plut. c. 10 u. 1 sq. (ed. Sintenis. mai.) = in Vatin. 2, 6. in Pison. 1, 3; u. 13 = in toga cand. ap. Ascon. p. 82 K.-S.; u. 19 sq. = in Cat. II 4, 8. pro Cael. 5, 12; (c. 11, 9 sq. = Asc. arg. or. in toga c. p. 73;) c. 14, 14 = in Catil. III 8, 18. poema de cons. de diuin. I 11, 17; u. 18 sqq. = pro Mur. 25, 51 sq.; u. 30 sqq. = p. Mur. 26, 52; c. 16, 18 sqq. = in Cat. I 7, 16 (cf. II 6, 12); u. 22 = in Cat. I 5, 10; c. 17, 18 sqq. = in Cat. III 4, 9; c. 18, 9 sqq. = in Cat. III 4, 8; 10; III 2, 4; 5 sqq.; c. 19, 7 = in Cat. III 3, 8; u. 10 sqq. = in Cat. III 5, 12 sq. coll. 4, 8; 6, 15.[3]) accedunt etiam alia. nam et quae Plutarchus *(c. 19)* post coniuratos conuictos in aedificio amici cuiusdam uicini secum deliberantem Ciceronem induxit, quae facienda essent, breuiter adumbrata illa a Sallustio *(Cat. 46, 1 sq.)*, omnino rhetoris artem redolent et quod Terentiam uxorem quasi Egeriae persona induit *(c. 20)*. tum Ciceronis laus

---

1) Plut. Caes. 8 *Τοῦτο μὲν οὐκ οἶδα ὅπως ὁ Κικέρων, εἴπερ ἦν ἀληθές, ἐν τῷ περὶ τῆς ὑπατείας οὐκ ἔγραψεν.*

2) Heeren *De font. Plut.* p. 185. P. Weizsäcker in Fleckeis. ann. 111 p. 417—428. E. Schmidt, *De Ciceronis commentario de consulatu Graece scripto a Plutarcho in uita Ciceronis expresso.* Diss. Ien. 1884; K. Buresch, *Die Quellen zu den vorhandenen Berichten von der Catilin. Verschwörung* in comment. Ribbeck. p. 217—234, alii. — Contra quod G. Smit Sibinga, *De Plut. in Cic. uita fontibus ac fide pars prior* (Hagae 1868), a Plutarcho orationes Ciceronis uelut Murenianam pertractatas esse uix quisquam credet.

3) Omnes locos, quibus Plutarchus cum Ciceronis libris etiam nunc exstantibus conspirat, accurate adnotauit Gudeman *The sources of Plutarch's life of Cicero* p. 66—115, quamquam uix recte Suetonio eum usum esse demonstrasse sibi uisus est. Vide *Berl. phil. Wochenschr.* 1903 col. 1095 sqq.

ita amplificatur, ut cuius etiam alii participes fuerunt, ad eum solum referatur atque et totus excessus Catilinae cardo in eo solo ponatur *(c. 16)* (cum Sallustius haec senatus decreto facta esse tradat, *c. 30*), et maximum momentum ad Catilinae socios morte multandos eius oratio habeat *(c. 21)*. denique ne di quidem Ciceroni desunt, qui terribili terrae motu, fulminibus, nocturnis formis Romanos admonent, cum Catilina consulatum peteret *(c. 14, id quod uberius Cicero in poemate suo de consul. persecutus est, de diu. I 11, 17. cf. in Cat. III 8, 18. Cass. Dio 37, 25, 2)*, et patefacta coniuratione prodigio consulem dubitantem per uirgines Vestales et Egeriam confirmant *(c. 20)*. quamquam in hac ipsa re inest difficultas quaedam. nam quod tum accidit prodigium, cum domi Caesaris Bonae Deae sacra fierent — ut ex ipsis cineribus flamma subito emergeret — Seruius *(ad Verg. buc. 8, 105)* Ciceronem consulem futurum esse id uxori ostendisse testis est auctoritate ipsius poematis usus; at uero etiam hic cum Plutarcho consentit Dio *(37, 35, 4)*, ut scholiastam illum cum in multis tum in hac re errasse statuendum sit et recto loco secundum Ciceronem prodigium a Plutarcho et Dione narratum esse sequatur *(Buresch l. s. p. 226)*.

Est sane uere illud dictum Plutarchi narrationis moderationem ab arrogantia Tulliana abhorrere: at quid inpedit, quominus hanc ab ipso biographo abstersam esse censeamus? id quod uel ea de causa ei faciendum fuit, ut per totam uitam eundem colorem seruaret.[1])

Etiam a Sallustio hunc commentarium et anecdota ita in usum uocata esse nuper Ed. Schwartz *(Herm. 32 p. 581)* contendit, ut ipsas res ex eis sumptas suo filo contexeret, i. e. quemadmodum suis partibus conducere arbitraretur, disponeret et redigeret atque sua scribendi arte perpoliret; id quod uerisimilitudine quadam non caret. nam dum solus commentarius in manibus

---

1) Citat Plutarchus Ciceronem de Terentia in parenthesi c. 20: *καὶ γὰρ οὐδ' ἄλλως ἦν πρᾳεῖά τις οὐδ' ἄτολμος τὴν φύσιν ἀλλὰ φιλότιμος γυνὴ καὶ μᾶλλον, ὥς αὐτός φησιν ὁ Κικέρων, τῶν πολιτικῶν μεταλαμβάνουσα παρ' ἐκείνου φροντίδων ἢ μεταδιδοῦσα τῶν οἰκειακῶν ἐκείνῳ.* haec tamen nec in commentariis nec in anecdotis scribere potuit. Leo *Biogr. p. 162 sqq.* Plutarchum alio auctore, qui Tironem, minimum etiam alium Ciceronis uitae scriptorem, tum ipsius commentarios epistulasque atque rerum scriptores contaminasset, usum esse uoluit. at uide *Berlin. phil. Wochenschr. 1903 c. 1096 sqq.*

hominum erat, amici Caesaris, cur ei aduersarentur, non habebant (summa enim cum cautione eum scriptum esse uidimus); immo eidem id agebant, ut coniurationis crimen in ipsum Catilinam eiusque socios ut homines omni scelerum genere maculatos conferrent partesque suas inclinationis ad eum suspicione purgarent; tum uero, cum post Ciceronis mortem miserabilem anecdota edita essent bilique sua effusa omnium animos, ut fieri solet, in se contraxissent, facile haec causa Sallustio esse potuit, ut ciuium iudicia corrigeret cumque Caesare reconciliaret, qua in re Ciceronis laudes aliqua ex parte minuere neque tamen obtrectare nisi per obliquum hoc eius prudentiae fuit, cum historiae, non libelli auctoritate librum suum commendare uellet.

Maximum tamen discrimen inter uestigia Tulliana, quae apud Plutarchum eaque quae apud Sallustium cernuntur, intercedit. nam etsi illic quaedam addita sunt[1]) — habebat enim in promptu materiam ad uitas Caesaris Crassique collectam, ex qua diuersa quaedam adnotaret (uelut c. 20, u. 21—31), aliis locis ipsum Plutarchum audire nobis uidemur loquentem *(c. 13 in. c. 19 fin.)*, aliis instituta Romana moresque popularibus suis explicat — sed haec a tenore narrationis facile dignoscuntur, ut ceteras res, si errores quosdam neglegentiae leuitatisque exceperis, ad Ciceronis auctoritatem referre liceat. at uero apud Sallustium quae cum Plutarcho concinunt, confirmant originem Tullianam, totum autem opus longe aliud spirans consilium, cum eum reconditos fontes circumspexisse non probabile sit[2]), uere Sallustianum habendum est.

Feliciter tamen illud Ciceroni contigit, ut materia ab eo de consulatu prompta per historiam propagaretur et ne Sallustius quidem ea carere uellet uel posset, aduersariorum autem orationes inuectiuae, cum ueritatis modum longe excederent, ad rhetorum ludos delaberentur ibique delitescerent. quae quidem fortuna opportune adiuta est auctoritate Liuii, qui similiter ac Plutarchus altum dicendi genus, quo Cicero floruerat, temperauit et mitigauit; per eum autem eius memoria defluxit in Cassii Dionis historiam, forsitan etiam Appiani; nam, etsi hic ne Sallustium quidem neglexit, id quod ex conpluribus locis constat, quibus ipsa eius

1) Nomina tamen aliquot ex Sallustio a Plutarcho aspersa esse cum Bureschio l. s. p. 220 et Weizsäckero l. s. p. 423 uix crediderim.

2) Falsam opinionem de studiis Sallustii historicis proposuit H. Duebi in Fleckeis. ann. 113 p. 851 sqq.

uerba praue interpretatus est[1]), et consensus eius cum Plutarcho manufestus est, ut ad Ciceronem reuocemur, neque tam artus (non adstipulor Bureschio *l. s. p. 229 sqq.*) praesertim in laudibus illi attributis, quae apud Appianum multo moderatiores sunt, ut Liuium auctorem adhibitum esse censendum sit.

Breuius de Latino commentario transigi potest, quem num omnino Cicero adortus sit aut perfecerit, omnino nescimus. certe memoria eius illa ad Atticum epistula continetur *(uid. p. v)*. Accedimus ad *Ἀνέκδοτα*, item Latine scripta, quae proxime ad historiam accedunt. nam etsi arte uti noluit, tamen nullius hominis ratione habita res scripsit, id quod ex eius ipsius professione consequitur et ex eo, quod dum uiueret, in obsignatione perstitit *(uid. p. v sq.)*. nimis indulserit etiam uanitati et gloriae suae: tamen quod hic commentarius Ciceronis interiit, ualde nobis dolendum est neque mirum, quod Asconii curiositas ad eum rediit, qui uno loco hanc 'expositionem consiliorum Ciceronis' citauit, pluribus, ut C. Lichtenfeldt *(De Q. Asconii Pediani fontibus ac fide. Breslauer philol. Abh. II 4, 1888 p. 19 sqq.)* et P. Koetschau *(De Cic. or. in toga cand. p. 23 sq.)* uiderunt, tacite expilauit (p. 73, 7—74, 3 K.-S. de Ciceronis petitione consulatus, 75, 8—20 de C. Antonii ignominia, 75, 23—76, 2; 79, 28—80, 4; 76, 6—10; 78, 7—9; 80, 8—11; 82, 22—23; 14—16 de Catilinae moribus). unde autem Plutarchus huius libri notitiam habuerit, ignoramus, nec quibus riuulis ad Charisium, Augustinum, Boethium deducta sit.

Pauca igitur ex hac Ciceronis historia ad nos peruenerunt, ut ne hoc quidem accuratius certiusue definiri possit, quas res ultra ipsum consulatum conplexa sit, neque diu in manibus ueterum uidetur fuisse, etsi aequales magnam spem in eius facultate Latinae historiae posuerunt. nam Cornelius Nepos historicos Latinos recensens, cum ὑπόμνημα ut Graece scriptum, expositionem ut arte rhetorica carentem non curaret, morte eius hoc genus litterarum Latinarum omnino rude atque incohatum relictum esse queritur. haec enim dicit *(de uir. ill. fr. 17): Non ignorare debes unum hoc genus Latinarum litterarum adhuc non modo non respondere Graeciae, sed omnino rude atque incohatum morte Ciceronis relictum. ille enim fuit unus, qui potuerit et*

1) Cf. Mendelsohn in comment. crit. App. p. 687 sqq. Th. Wiedemann in Philol. 21 p. 473—480, qui praeter Sallustium primarium auctorem ipsum Plutarchum ab Appiano inspectum esse censet.

etiam debuerit historiam digna uoce pronuntiare, quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a maioribus acceptam perpoliuerit, philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformarit oratione. ex quo dubito, interitu eius utrum res publica an historia magis doleat. cui laudi nos quidem facere non possumus ut adsentiamur. nam quae eius opinio de historia fuit, quae ipse de commentario suo gloriatur, arti eum, ut suae aetatis iudicio occupatum, magis quam ueritati seruiturum fuisse constat.[1])

Appendicis loco nunc etiam poematum, quae supra tractaui, fragmenta enumerabo, praesertim cum ne Baehrensius quidem in Fragmentis poetarum Romanorum recte ea distinxerit. neque tamen sine dubitatione. etenim ipse de Mario in prooemio librorum de legibus *(I 1, 4)* alias in historia obseruandas esse leges, alias in poemate exposuit, cum in illa omnia ad ueritatem referrentur, in hoc ad delectationem pleraque, idem tamen poema de consulatu suo inter ἱστορικά numerat *(ad Att. I 19, 10)*. delectationem autem maxime inde petebat, quod res in terra gestas cum caelestibus coniunxit et saepe multis uerbis deos deasque loquentes fecit, uelut Vraniam in altero libro, Calliopen in tertio *de consulatu*, Apollinem in altero *de temporibus suis*, Iouem ipsum in extremo, 'quae sibi secutus quaedam Graecorum exempla permiserat' *(Quint. XI 1, 24)*. qua imitatione per se ridicula, ipsi uehementer probata duas res adsecutus est, ut et diuino ore largius se ipsum laudaret laudesque quasi diuinitus sanciret et res etiam inferioribus temporibus gestas, si placeret, praesagiis carmini suo insereret. uelut A. Gabinium et L. Pisonem, cum praeter Clodium maxime exsilii auctores fuissent, ita ulcisci constituit, ut in secundum librum *de temporibus* Apollinem includeret 'dicentem, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset, quorum alter exercitum perdidisset (Piso), alter uendidisset (Gab.)' *(ad Q. fr. III 1, 24)*. hic enim reditus ex prouinciis foedissime habitis a. 54/700 factus est. denique ut de ipsa poesi ad Ribbeckium *(Röm. Dicht. I 296 sqq.)* reuocem, primo carmine se ut ducem tutoremque bonorum, quorum 'famam laudesque' semper auxisset, celebrauit praedicauitque multaque in eo scripta esse 'ἀριστοκρατικῶς' gloriatur *(ad Att. II 3, 4)*. ipsa tamen opera indigna fuit tanto uiri nomine, arrogantia et insolentia nimia. itaque alii *([Sallust.] in*

---

1) Vid. Berndt *Über Ciceros Ansicht von der Geschichte.* Progr. gymn. Attendorn. 1880. J. Zingler, *De Cicerone historico quaestiones.* Diss. Berol. 1900. H. Peter *Gesch. Litter.* I 10 sq., II 181.

Cic. 4, 7. cf. Quint. XI, 1, 24) maligne in eum inuecti sunt, 'quod Mineruam omnis artes se edocuisse, scripsisset Iouem o. m. in concilium deorum se admisisse, Italiam exsulem umeris suis se reportasse', alii inriserunt poemata ut 'Musis et Apolline nullo' scripta, ne admiratores quidem eius partes tueri ausi sunt. qua de causa certas reliquias horum poematum paene omnes ipsi debemus, paucas exilesque Seruio et Nonio praeter eas, quae a uulgo in ludibrium uersae sunt. Sunt igitur hae:

1. De consulatu suo ex libro I: Seruius ad Verg. buc. VIII 105 (cf. Plut. Cic. 20).

Ex libro II: 2. Ciceronis de diuin. I 11, 17—22 (cum u. 20 sqq. cf. Dio 37, 25, 2. uersus 36—38 iterauit de diuin. II 20, 45. uid. Lactant. inst. diu. III 17).

3. Nonius s. u. euentus p. 204.

4. Ex libro III: Ciceronis ad Att. II 3, 4.

5. Cicer. ad Q. fr. II 7 [9], 1 *(suadesque, ut meminerim Iouis orationem, quae est in extremo illo libro).* cf. Quintil. XI 1, 24 *(Iouem illum, a quo in concilium deorum aduocatur).* [Sallust.] in Cicer. 4, 7. uid. supra p. VIII.

Incertae sedis: 6. Quintil. XI 1, 24 *Mineruam, quae artes eum docuit).* cf. [Sallust.] in Cicer. 4, 7.

7. Nonius s. u. census p. 202.

8. [Sallust.] in Ciceron. 4, 7 *(Italia exsulem umeris suis reportauit).*

9. Cicer. de offic. I 22, 77 (in Pison. 29, 72 sqq. Philipp. II 8, 20. [Sallust.] in Cicer. 3, 6. [Cic.] in Sall. 2, 7. Laus Pisonis 36. Plin. nat. hist. 7, 117. Quint. XI 1, 24. Plut. comp. Demosth. et Cic. 2. Seru. ad Verg. Aen. I 1).

10. Quintil. IX 4, 41 ([Sallust.] in Cic. 3, 5. [Cic.] in Sall. 2, 7. Iuuenal. 10, 122. Diomed. p. 466 K.).

11. [Probus] de ultim. syll. p. 248 K.

12. Cic. ad Att. II 15, 3 (quae uerba Tunstall aliique ad Marium rettulere).

13. De temporibus suis: Ex libro II: Cicer. ad Q. fr. III 1, 24.

14. Incertae sedis: Cicer. ad Q. fr. II 9 [7], 1.

15. Ex Mario: Cicer. de legg. I 1, 1.

16. Cicer. de diuin. I 47, 106 (u. 1 etiam in schol. Veron. ad Verg. Aen. V 255).

17. Isidor. orig. XIX 1, 20.

Q. TVLLIVS CICERO[1]

Etiam frater Marci (natus cca 102/652, praetor 62/692, a tribus uiris occisus 43/711) historiam adtigit. nam cum in Asia pro praetore esset, inter legatos L. Tubero *(uid. Relliq. I p. CCCLVI)* a. 61/693 eum comitatus est *(ad Q. fr. I 1, 3, 10)*, cuius auctoritate et exemplo, ut uidetur, impulsus, ut animum exspectatione decedendi suspensum leniret tempusque tereret, a. 59/695 'annales' confecerat petiitque a fratre, ut emendaret et ederet *(ad Att. II 16, 4)*. quoniam tamen eidem uersus facile profluebant fratremque ea arte superabat, etiam hos annales uersibus scriptos esse quidam suspicati sunt; at quinque annis post, priusquam cum Caesare in Galliam abiret, uersabatur in Callisthene et Philisto lectitando, ut Marcus eum ad historiam adgredi existimaret *(ad Q. fr. II 13, 4)*, unde eum ne pedestrem quidem orationem in annalibus scribendis spreuisse adparet atque ad illos annales decessu ex Asia interruptos retractandos eum redisse uerisimile est. Alia uestigia eius operis, si quidem perfectum editumque est, omnino euanuerunt; ignoramus igitur, et quam partem rerum Romanarum sibi proposuerit (num consulatum fratris? *Buecheler p. 15*) et quo genere orationis usus sit, leniore sane sono quam frater, id quod et commentariolus petitionis probat et exempla Callisthenis, quem rhetorico paene more Marcus scripsisse dicit, et Philisti, 'pusilli' illius Thucydidis *(de or. II 13, 57 sq.)*, Theopompi elatione atque altitudine obscurati. De poemate, quo Caesaris expeditionem celebrabat, uid. s. p. VII.

M. TVLLIVS TIRO

Cum Cicerone mutuo amore et familiaritate coniunctus fuit eius seruus Tiro, qui cum a. 54/700 uel inseq. manu missus esset *(ad fam. XVI 16)*[2]) summa cum pietate et obseruantia patronum colere non desiit neque umquam, nisi ualetudinis infirmitas aut negotia ad eum delata auocarent, ab eo discessit, cum uehementi desiderio se adpeti sciret. patrono annis aliquot inferior[3]) ab eo

1) *Q. Cic. reliquiae recogn. Fr. Buecheler* p. 15 sq.

2) C. Iaufmann, *M. T. Tiro,* Progr. gymn. Dillingensis 1897 uitam fuse enarrauit.

3) Hieronymus ad a. 2013 Abr. 4/750 p. 145 Sch. Hinc eum

liberaliter institutus est, ut hic magistrum se eius fuisse diceret *(ad fam. XVI 3, 1)*, superstesque eius fuit, in Puteolano praedio, quod a. 44/710 emerat *(ad fam. XVI, 21, 7)*, 'usque ad centesimum annum consenescens'.

Vtebatur autem eo 'adminiculatore et quasi administro in studiis litterarum' Cicero *(Gell. VI 3, 8)* innumerabiliaque eius officia cum in multis rebus tum in studiis et litteris suis grato animo praedicat *(ad Att. VII 5, 2. ad fam. XVI 4, 3)*, neque solum bibliothecam componebat indicemque conficiebat *(ad fam. XVI 20)* sed etiam acritate subtilitateque ingenii et doctrinae amplitudine ipsa eius studia adiuuabat et emendabat. quid quod Cicero *κανόνα* eum scriptorum suorum esse solere dicit neque Musas suas eius praesentia carere posse, ut sine eo omnino oblanguescant *(ad fam. XVI 17, 1; 10, 2)*. eruditione autem et diuersissimas res comprehendebat resque uel minimas curabat *(Gell. XIII 9)*, qua de causa Marcus patronus gaudet, quod cum eo *συμφιλολογεῖν* possit *(ad f. XVI 21, 8)*, et rhetorum praeceptis instructus erat, id quod iudicium de Catonis oratione Rhodiensi docet, elegantiaque insignis *(Gell. VI 3)*. idem igitur libros conplures de usu atque ratione linguae latinae scripsit *(G. XIII 9)* atque aliquid Sophocleum eum pangere patronus suspicatur *(ad fam. XVI 18, 3)*, idem de promiscuis quaestionibus libros conposuit *(G. X 1, 7)* atque notas primus commentatus est.

Occisi autem patroni totus seruiit memoriae. nam libris eius diligenter describendis praefuit, ut qui ad eum redirent, summa auctoritate florerent *(Gell. XV 6. I 7, 1. XIII 21, 16)*, epistulas disposuit *(Röm. Brief p. 82 sqq.)*, ioca, quibus ille maxime gloriatus erat, tribus libris collegit, qua quidem in re, si ipse collegit, Ciceronis admiratione occaecatus nimium numerum in eum congessit *(Quint. VI 3, 5)*, uitam eius maiore librorum numero scripsit, nam libro quarto usque ad annum 57/697 peruenerat *(fr. 2)*.

Pauca huius supersunt fragmenta, certum unum apud Asconium *(fr. 2)*, quem tamen etiam alia ex hoc thesauro in commentarios orationum Tullianarum transtulisse uerisimile est *(C. Lichtenfeldt De Ascon. fontibus ac fide p. 72 sq.)*. praeterea in uita Ciceronis Plutarchus eum bis citauit de eis rebus, quae

---

a. 104/650 natum esse quidam collegerunt; is tamen annus cum loco quodam ipsius Ciceronis pugnat, quo a. 50/604 Tiro adulescens dicitur (ad Att. VI 7, 2. cf. VII 2, 3). itaque supra certis numeris abstinui.

ex aliis Tironis libris duci uix potuerunt, uno loco, cur nuptias cum Publilia fecisset *(fr. 3)*, altero de caede eius, quamquam quod Tironem Philologi mentionem iniecisse negat *(c. 49)*, ipse quem eius caedis ultimum auctorem fuisse narrauit *(c. 48)*, eius uitae uestigia his locis contineri colligas Plutarchumque in iocorum libro adhibenda adquieuisse, id quod ex fasciculis iocorum ratione quadam dispositorum hic illic interiectis discitur; at, quin causam patroni, cum uitam scriberet, pientissime defenderit maculasque in eius fama maligne inspersas absterserit, quoniam dubitari non potest, hoc uero studium etiam apud Plutarchum manufestum est, iure quodam liberti manum agnoscere nobis uidemur. nam posteaquam, quod et ipse bello ciuili et Tullia filia a Terentia uxore neglecti essent, diuortium factum esse exposuit, sic concludit: *αὗται γάρ εἰσιν αἱ λεγόμεναι τῆς διαστάσεως εὐπρεπέσταται προφάσεις (c. 41)*, haud obscure Tironem significans, quem praesertim in ea parte, quae sequitur, contra Terentiam de Publiliae nuptiis citet. ad eundem redire uidetur, quod c. 20 et 29 eius naturam immitem, difficilem, audacem fuisse Plutarchus scribit resque domesticas eam solam direxisse atque etiam publicis se immiscuisse, ut maritus se subicere deberet, eumque ab eadem ne amore Clodiae irretiretur uerita Clodii inimicitias in se suscipere coactum esse. nec hoc spernendum est de filiae morte Plutarchum similiter loqui atque Asconium.[1]) etiam alias res ad Tironem referre poterimus, uelut uaticinium nutricis de alumni fortuna laudemque eius artis poeticae *(c. 2)*, Catonem, quod Pompeium secutus sit, exprobantem *(c. 38)*, in uniuersum tamen Plutarchi uita, etsi Ciceroni admodum fauet atque in proconsulatu laudando rhetorum more uagatur, intra iustos fines se tenet et raro panegyrici formam induit *(Leo Biogr. p. 165)*. multa aperte ipsum Plutarchum redolent. saepe enim narratio in particulas quasdam discerpta est, res publicae priuatis multo postpositae sunt, rationes et causae actionum adumbratae et obscuratae, ipsius persona in Graeci sapientis modum et exemplum depicta et exornata. cauendum igitur est, ne Plutarcho ad Tironis uitam, quae multo latior fuit, accuratius describendam utamur.

1) C. 11 *γήμαντι δ' αὐτῷ* [Ciceroni] *μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἡ θυγάτηρ ἀπέθανε τίκτουσα παρὰ Λέντλῳ· τούτῳ γὰρ ἐγαμήθη μετὰ τὴν Πείσωνος τοῦ προτέρου ἀνδρὸς τελευτήν.* = Asc. p. 4, 20 *Cicero filiam post mortem Pisonis generi P. Lentulo collocauit, apud quem illa ex partu decessit.* Lichtenfeldt l. s. p. 72.

Denique num Gellius *(fr. 1)* aut Tacitus *(fr. 4)* eam ipsam inspexerint, non liquet; certum tamen esse puto haec iure antiquitus fragmenta ex uita excerpta habita esse; nescio enim, cui alii libro rectius ascribenda sint.

T. POMPONIVS ATTICVS[1])

T. Pomponii memoria arte nobis nunc cum Tulliana cohaeret. nam a. 109/645 equestri loco natus et a patre, uiro doctissimo, liberaliter institutus eadem disciplina iam puer usus est, qua praeter L. Torquatum et C. Marium filium M. Tullius Cicero, familiaritatemque perpetuam cum eo iunxit. cum uero ceteri publicam uitam capesserent, ipse ambitione et periculis uacare maluit atque bello ciuili orto, ne alterutram partem offenderet, a. 86/668 'cum magna parte fortunarum suarum' Athenas se recepit ibique per unum et uiginti annos mansit et academiam Epicureorumque hortos frequentans (a. 79/675 simul cum Cicerone) et urbi exhaustae ex hereditate sua, quam a patre acceperat usurisque augebat, succurrens, ut omnibus honoribus ab eius ciuibus cumularetur. Vniuersa doctrina Graeca instructus, cum non cognomen solum Athenis deportaret *(Drumann V p. 85)* Romam a. 65/689 reuersus etsi Ciceronis publicis consiliis fauebat, tamen a fluctibus ciuilibus remotus ne cum P. Clodio quidem consuetudinem intermisit aut Antonii familiares ex urbe fugientes aut Fuluiam 'temporaria' liberalitate sua deseruit, quamuis Ciceroni inimici essent, eandemque rationem etiam postea secutus est, ut neque honores peteret et obseruantia comitateque omnium animos deuinciret, idem tamen fenus extendere pergeret. itaque cum admodum cautus moderatusque esset neque quidquam temere faceret, quamuis diues esset, ex tot bellorum ciuilium periculis insidiisque incolumis euasit annoque 32/722, cum in morbum grauem incidisset, inedia uitam finiuit.

Indole igitur dissimillimum eum Ciceronis fuisse manufestum est neque mirum, quod simultates quaedam inter eos non omnino defuerunt. sed semper eos conciliabat communis amor studiorum litterarumque, in quo quidem ipsa differentia artiore uinculo eos

---

1) J. G. Hulleman, *Diatribe in T. P. A.* (Traiecti ap. Rh. 1838). De uita Drumann *H. R.* V p. 5—90.

copulauisse uidetur. nam cum Cicero, qua erat facilitate ingenii, cum otiosus esset, per omnia litterarum genera peruagaretur, materias diuersas, quamuis antea alienas celeriter arreptas arte dicendi se egregie tractare et illustrare posse confideret, hac ipsa uirtute et summam sui admirationem moueret et studium litterarum humanitatemque inter ciues latius diffunderet, Atticus diligenter curioseque in ipsas res inquirebat neque minutias spernebat, si ad eas delatus erat, ut quid uerum esset, exploraret, idemque amplum artium campum scientia sua et iudicio complectebatur. itaque in omnibus disputationibus, quae ad litteras pertinerent, hunc illo superiorem fuisse adparet. nihilominus secundas agere solebat, id quod eo magis laudandum est, quo saepius eum Cicero omnibus precum generibus fatigabat omnesque difficultates numarias ad eum transferebat. nimirum uera amici admiratione impletus erat, neque hercle plus ualet ad nostrum de Cicerone iudicium conformandum, quam illa Attici patientia et adsiduitas. accedebat quod etiam hic ut illis temporibus arti dicendi ipsam rerum cognitionem longe postponebat. itaque etsi saepe illi materiam commendabat, de qua scriberet, habebatque eum obsequentem aut scientiam eius supplebat[1]) aut dubitationes siue de uerbis siue de rebus soluebat librosque et orationes eius emendabat, ut Aristarchum hic eum diceret *(ad Att. I 14, 3 uid. Schneider l. s. p. 34 sq.)*, tamen et Ciceroni et sibi omnino inferior esse uidebatur. Fuit uir uere litteratus et curiosus[2]), cui quidem studio seruorum litteratorum cohorte circumdatus aliorumque eruditione libenter usus eo intentius se dare potuit, quod a luxuria libidinibusque et a rebus publicis totus abhorrebat, nisi ne amicis periclitantibus deesset. res autem numariae uel ipsius uel amicorum etsi non neglegebantur, tamen eius animum non occupauerunt aut a doctrina abstraxerunt, qua quidem in re iniquius de eo Drumann iudicauit, cum uitam eius talibus negotiis paene omnem contineri diceret. contra nimis Attici laudem exaggerauit Cornelius Nepos, cum uitam eius scriberet,

1) Cf. de fin. II 21, 67 *Nunc uero quoniam haec nos etiam tractare coepimus, suppeditabit nobis Atticus noster e thesauris suis quos et quantos uiros!*

2) Inique de eius ueritate iudicauit Boissier (*Cic. u. s. Freunde* p. 143 uers. germ.). Cf. ut unum hunc locum apponam, ad Att. XII 6, 2 (ubi de Tyrannionis libro *de accentibus* loquitur): *Amo enim πάντα φιλειδήμονα teque istam tam tenuem θεωρίαν tam ualde admiratum esse gaudeo. etsi tua quidem sunt eius modi omnia. scire enim uis, quo uno animus alitur.*

iure tamen suo eum in excellentibus Latinis historicis posuit, dummodo ne qui res exornarent sed qui examinarent et inuestigarent dictos esse interpretemur. namque quemadmodum principum philosophorum praecepta eum ita habuisse percepta tradidit, ut his ad uitam agendam, non ad ostentationem uteretur *(c. 17, 3)*, atque etsi summa suauitate oris atque uocis florebat, ut excellenter poemata pronuntiaret *(1, 3. 4, 1)*, eundem tamen recitationibus gloriari noluisse sed satis habuisse incredibili breuitate summorum uirorum Romanorum facta magistratusque quaternis quinisque uersibus sub imaginibus eorum exposuisse *(18, 5 sq.)*[1]), sic de historia rerum tantummodo cognitionem, diligentiam, ubertatem praedicat neque quidquam ea dulcius esse posse eis, qui aliquam cupiditatem habeant notitiae clarorum uirorum *(c. 18)*. Etiam aliis rebus haec ratio studiorum comprobatur. nam Cicero cum eius librum de consulatu legisset, horridula sibi illa atque incompta uisa esse rescripsit, ornata hoc ipso, quod ornamenta neglecta essent *(ad Att. II 1, 1)*. deinde Atticus arta amicitia cum M. Terentio Varrone coniunctus erat, qui et libros *De uita populi Romani* ad eum misit et senex in eis, quos de re rustica composuit, colloquentem eum induxit, cum Cicero animo et uoluntate ad Varronem haud ita inclinaret Atticoque iterum iterumque monendus esset, ut in scriptis suis eius rationem haberet. etiam Attici igitur honori id tribuisse uidetur, ut in Bruto *(75, 262)* de Caesaris commentariis iudicans nihil esse in historia pura et illustri breuitate dulcius esse statueret.[2]) tum Cicero, cum ad Atticum scriberet *(VI 1, 18)*, Timaeum eius familiarem appellat, quem antiquis temporibus propter omnia colligendi industriam temporumque ordinis constituendi studium aliis admirationi, aliis inrisui fuisse constat. denique ex hoc eius genere scribendi repetendum est, quod et Ciceronem, ut ad historiam se conuerteret, adhortari non destitit, eam scilicet ob causam, ne diutius litterae

1) Hos uersus separato uolumine publici iuris fecit, si quidem Plinius n. h. 35, 11 tale eius opus citauit: *Imaginum amorem flagrasse quondam testes sunt Atticus ille Ciceronis edito de eis uolumine, M. Varro,* idemque usurpasse uidetur in libris VII et XXXIII, in quorum indicibus 'Pomponius Atticus' enumeratur.

2) Similiter Tyrannionis eruditio ab Attico pluris fiebat quam a Cicerone (ad Att. XII 6, 2) itemque Cornelii Nepotis ieiunitas, qui rursus librum de uita excellentium imperatorum Graecorum ad Atticum misit atque eius rogatu librum de uita et moribus M. Catonis (Censorii) separatim (praeter eam quam historicis Latinis inseruit) fecit (uit. Cat. 3, 5).

Romanae Graecis in hac arte cederent *(de legg. I 2, 5 sqq. ad Att. XVI 13c, 2; Brut. 19, 74; cf. Corn. Nep. fr. 1)*, quae ut perfectae essent, rhetorum praeceptis carere non posse censeret, et ille a se sine eius ope historiam nec institui nec effici posse aperte professus est *(ad Att. XVI 13c, 2)*, materiam ab eo subministratum iri confisus neque quidquam suum esse arbitratus, nisi ut eam arte sua exornaret, augeret, amplificaret.

Secundas item Atticus etiam ita egit, cum totas bibliothecas conficeret, quas postea aliis siue uenditaret siue donaret *(ad Att. I 7; 10, 4; 11, 3; 4, 3)*, tum ad suam uberrimam amicis, si quo libro carerent, libentissime aditum aperiret *(ad Att. IV 14, 1)* Ciceronisque opera per seruos suos, quos multos habebat litteratissimos, describenda et diuendenda curaret *(Nep. 13, 3. Drumann V p. 66 sq.)*. denique magnam partem uitae in officiis, quae aliis praestaret, consumpsit, qua quidem in opera etiam 'unus liber Graece confectus de consulatu Ciceronis' *(Nep. 18, 6)* ponendus est, quem a. 60/694 ad Ciceronem misit neque tamen propter ieiunitatem orationis eius plausum accepit *(ad Att. II 1, 1)*. in rebus tamen cum amico conspirauit, ut hic, si ipse hunc 'commentarium' ante legisset, furatum se esse ab ipso dicturum eum esse scriberet *(l. s.)*, eoque consensu esse factum uidetur, ut cum ipsius Ciceronis commentariis etiam huius uestigia omnino interirent. neque enim praeterea quidquam de eo memoriae traditum est.

Plurium usui eo libro, quem annalem inscripsit, seruiisse uidetur, de quo haec Nepos *(c. 18, 1): Moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisque amator, quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo uolumine exposuerit, quo magistratus ordinauit. nulla enim lex neque pax neque bellum neque res illustris est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata, et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum uirorum propagines possimus cognoscere.*[1]) Misit eum ad Ciceronem *(Brut. 3, 13)*, cuius

1) Fr. Schneider, *De annali T. P. A.* in *Zeitschr. f. Altert. 6 (1839) p. 33—40.* — Nuper amplior commentarius prodiit F. Muenzeri '*A. als Geschichtschreiber*' in Herm. 40 p. 50—100, quo inde profectus, quod Cicero in libris, quos ante annalem editum et quos post scripsit, de temporum notatione ipse secum pugnauit, inferiorem ad Atticum reuocat, maxime in Bruto et Catone, qui dialogi talibus rebus abundant; uerum tamen maxime in capite sexto (p. 85 sqq.) nimis coniecturis

de re publica libris se 'ad ueterum rerum suarum memoriam comprehendendam inpulsum atque incensum esse' in praefatione, ut uidetur, scripserit (certe haec eum Cicero in Bruto dicentem induxit, *5, 19*), idque eam ob causam, ut amicum, cui Nepos in temporibus constituendis auctor fuerat[1]), ab eius leuitate et credulitate ad certiora et diligentiora reuocaret. originem autem hoc studium a patre duxisse uidetur, ad quem M. Iunius Gracchanus, homo antiquitatis peritissimus, librum de potestatum iure miserat *(Cic. de leg. III 20, 49).* Edidit autem filius librum suum Alexandrinorum *χρόνους* imitatus a. 47/607 uel inseq.; nam Cicero in Bruto scribendo (a. 47/607 exeunte uel 46/608 ineunte, uid. *O. E. Schmidt, Briefw. d. Cic. p. 316. 420*) ab eo ut nouissimo exorditur et saepe numero ad eum redit, eum ut rerum Romanarum auctorem religiosissimum et diligentissimum laudans *(11, 44. 3, 14. cf. 19, 74),* eoque enchiridio etiam in ceteris libris, qui subsecuti sunt, (maxime in Catone) componendis eum usum esse consentaneum est, etsi frequens illa temporum notatio relanguit.

'Explicatis' igitur 'temporibus', ut Cicero ait in Bruto *(4, 15),* uel 'conseruatis notatisque', ut in oratore *(34, 120)*[2]), Atticus uno in conspectu omnia posuit coniunctisque cum temporum notatione consulum nominibus (non omnium praetorum aut tribunorum plebis, id quod Mommsen *Chronol.² p. 145* ex epist. *ad Att. XIII 30, 2; 32, 3. XVI 13ᶜ, 2* conclusit), breuitatique ita studuit, ut uno libro totam memoriam colligaret, 'nihil cum illustre praetermitteret, septingentos annos complexo' *(or. 34, 120),* — unde quoniam Romam conditam esse maluit olympiadis sextae anno tertio (= 753 a. Chr. n. *fr. 2*), ad eum ipsum annum, quo eius conficiendi consilium eum cepisse Cicero narrat, progressum eum esse elucet — idque non solum omnium rerum Romanarum et legum et pacum et bellorum et rerum illustrium atque Apollodori Corneliique Nepotis exemplum secutus *(Cic. ad Att. XII 23, 2. uid. Susemihl Griech.-alex. Litt. II p. 38)* litterarum *(fr. 5)* sed etiam

---

indulsit, neque a me impetrare possum, ut Atticum leuitatis in eligendis auctoribus insimulandum esse concedam eumque quam Catone et Polybio inferioribus et turbatis annalibus uti maluisse (p. 68 sqq.) aut 'commentarios antiquos' (fr. 5) talesque auctoritates non suae diligentiae sed Varronis doctrinae debuisse (p. 60 sqq. cf. infra p. xxv sq.).

1) V. infra p. *LI sq.*

2) *conseruare* ad ordinem pertinet, cf. Cic. de or. II 80, 329: *erit autem perspicua narratio, si uerbis usitatis, si ordine temporum conseruato, si non interrupte narrabitur.*

imperiosorum populorum et regum illustrium *(orat. l. s.)*, qua in re externarum rerum ratione habita (certe Atheniensium, cf. *Muenzer l. s. p. 78 sqq.*) cum Cornelio amico et admiratore concinuit, eademque de causa numeros urbis conditae cum olympiadibus comparauit. denique quod propagines clarorum uirorum adiectas esse ille narrauit, usus eius diligentiae in Bruto multis locis etiam nunc manufestus est. quid? quod post annalem editum Cicero cautius historiam attigit, ut in eo libro pollicitus est *(11, 44)*, neque operae pepercit ex Attico quaerendi etiam de 'ineptiis', si qua dubitatio ei erat oborta, uelut cum in libro de finibus scribendo uersaretur (a. 46/708), quibus consulibus P. Scaeuola pontifex maximus, quibus (L. Hostilius) Tubulus, quibus L. Libo tribuni plebis fuerint quoque crimine Tubulus condemnatus sit *(ad Att. XII 5, 3)*, ut quae de eis *de fin. II 16, 54* proferat, ad Attici scientiam redeant, tum quo anno (C. Sempronius) Tuditanus quaestor aut tribunus militum *(ad Att. XIII 33, 3)*, quo C. Fannius tribunus plebis *(XVI 13ᶜ, 2)*; deinde cum de luctu minuendo scriberet, num Cn. Caepio, Seruiliae Claudii pater, uiuone patre suo naufragio perierit an mortuo, Rutilia uiuone C. Cotta filio suo mortua sit an mortuo *(XII 20, 2)* similiaque de aliis *(XII 22, 2. 24, 2)*; porro quae causa legationis Carneadis fuerit — hoc igitur in annali desiderauerat *(fr. 8)* —, quis ea aetate praefuerit hortis Epicureis, qui Athenis πολιτικοί fuerint illustres *(XII 23, 2)*, maxime autem torsit amici diligentiam facilitatemque, ut, qui decem legati Mummio fuissent, comperiret *(XIII 30, 3; 33, 3. cf. ep. 6, 4; 4, 1; 5, 1)*.

Ex his autem epistulis item uidemus, ex quibus fontibus Atticus, in hac opera ab Antiocho seruo adiutus *(XIII 33, 3)*, sua haurire solitus sit; delegatur enim a Cicerone ut ad fontes ipsi notos promptosque et ad uiuorum quorundam recordationem *(XII 22, 2)* et ad senatus consultorum collectionem *(XIII 33, 3)* et de rebus Graecis ad Apollodorum *(XII 23, 2)*, cuius indicium iam supra adnotauimus, aliud inde elucere uidetur, quod Cornelius Nepos iam a. 63/691 eundem secutus chronica sua composuit *(uid. p. L sq.)*[1]; denique ueteres quosdam commentarios de poeta-

1) Ceterum rationem auctorum aestimandorum Cornelius Nepos Attico debere uidetur. nam II 9, 1 Thucydidem de Themistoclis in Persidem aduentu se sequi profitetur, quod et aetate proximus et eiusdem ciuitatis fuisset, idemque 10, 4 de eius morte eundem auctorem probat. de eadem autem re Cicero in Bruto 11, 43 eundem auctorem

rum uitis aut ipse in annali citasse aut se adhibuisse cum Cicerone communicasse uidetur. nam compara fr. 5 *(Brut. 18, 72)* et 15, 60: *His consulibus* [M. Cornelio Cethego P. Sempronio Tuditano], *ut in ueteribus commentariis scriptum est, Naeuius est mortuus; quamquam Varro noster diligentissimus inuestigator antiquitatis, putat in hoc erratum uitamque Naeuii producit longius. nam Plautus P. Claudio L. Porcio, uiginti annis post illos quos ante dixi coss. mortuus est, Catone censore. Hunc igitur Cethegum consecutus est aetate Cato, qui annis nouem post eum fuit consul. eum nos ut perueterem habemus, qui L. Marcio M'. Manilio consulibus mortuus est annis LXXXVI ipsis ante me consulem.* redolere etiam hunc locum diligentiam Attici notationis senties magnamque similitudinem cum priore intercedere.[1]) pertinet uterque ad uitas poetae Romani, utroque subtiliter reicitur alius auctoris sententia, illic Varronis (de poetis), hic Accii (in didascaliis), utroque ueteres (uel antiqui) commentarii laudantur. atqui casu fieri uix potuit, ut Cicero ipse hanc occasionem de ueteribus poetis Romanis disputandi inter oratores arriperet tamque

citauit, cum adderet: '*qui et Atheniensis erat — et paulo aetate posterior*'. hic igitur consensus Attici doctrinam prae se fert, qua Cicero etiam aliis eius libri locis gloriatur. H. Rosenhauer, *Phil. Anz.* XIII (1883) p. 747.

1) Leonem (*Plaut. Forsch. p. 57 sq.*) secutus Muenzer *l. s. p. 55 sq.* ipsam notationem ex Cicerone sic enucleauit et digessit:

514/240 *anno DCIV u. c. C. Claudius Caeci f. M. Tuditanus coss.*
Liuius primus fabulam docuit.
515/239 *anno I post Ennius nascitur.*
545/209 *annis XXX post Q. Fabius Max. cos.*
Tarentum cepit.
557/195 *annis XLI post C. Cornelius Q. Minucius coss.*
Fabula Liuii agitur ludis Iuuentatis, quos Salinator Senensi proelio uouerat.

ex priore loco:

550/204 *annis CXL ante Ciceronem cos. L. Corn. Cethegus P. Tuditanus cos.*
bello Punico secundo.
M. Cato quaestor.
Naeuius moritur.
559/195 *annis IX post Cato cos.*
570/184 *annis XX post P. Claudius L. Porcius coss.*
Cato censor.
Plautus moritur.
605/149 *annis LXXXVI ante Cic. cos. L. Marius M'. Manilius coss.*
Cato moritur.

simili ratione uteretur. altero autem loco cum ipsius Attici persona illi coniunguntur (*'et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis inuenimus'*), quales a se inspectos esse nusquam, quod sciam, Cicero dicit. itaque etsi se inuenisse testatur, tamen et hoc testimonium ad Attici auctoritatem redire ueri est simillimum et priore loco ueterum commentariorum mentione eadem significatur.[1])

Sed etiam aliis Bruti locis, praesertim quibus diligens temporum notatio redundat[2]), Attici materiam subesse consentaneum est[3]), uelut 20, 78: *Nam hoc* [C. Sulpicio Gallo] *praetore ludos Apollini faciente, cum Thyesten fabulam docuisset Q. Marcio Cn. Seruilio coss. mortem obiit Ennius.* 27, 106: *L. Piso trib. pl. legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio coss. tulit — et iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum desiderabant tabella data, quam legem L. Cassius Lepido et Mancino coss. tulit.* 28, 109 *Fuit enim M. Lepido et L. Oreste coss. quaestor Gracchus, tribunus Pennus, illius M. filius, qui cum Q. Aelio consul fuit.*[4])

1) Itaque Leo *Plaut. Forsch. p. 57 sq.* et Atticum sua ex Varrone repetiisse et Ciceronem uix recte dixerit.

2) Cf. 19, 74 *Haec si minus apta uidentur huic sermoni, Brute, Attico adsigna, qui me inflammauit studio inlustrium hominum aetates et tempora persequendi. Ego uero, inquit Brutus, et delector ista quasi notatione temporum et ad id, quod instituisti, oratorum genera distinguere aetatibus, istam diligentiam esse accommodatam puto.*

3) M. Naumann, *De fontibus et fide Bruti Cic.* (Diss. Hal. 1883) *p. 7 sq.*

4) Muenzer l. s. p. 80 sqq. etiam Bruti c. 7, 28 Attici annalis fragmenta auget, ubi Cicero oratorum Atheniensium memoriam perlustrat, qua in urbe 'primum monumentis et litteris oratio est coepta mandari', atque postquam Pisistratum, Solonem, Clisthenem enumerauit, quos 'opinio' esset multum ualuisse dicendo, addit: *Post hanc aetatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis potest perspici, Themistocles fuit, quem constat cum prudentia tum etiam eloquentia praestitisse; post Pericles et q. s.,* ubi Muenzer multorum codicum scripturam *Attici* defendit. at Atticum duabus paragraphis antea appellauerat, tum nec eius annalis simpliciter dici potuit *monumenta* nec coniungi *ex eis posse perspici,* nam si 'monumentis' significantur libri, eis certam aliquam memoriam propagari dicitur (itaque haud raro '*monumenta alicuius rei litteris mandata esse*' apud Ciceronem inuenitur); denique *opinioni* de Pisistrato, Solone, Clisthene *monumenta* Cicero opponit de Themistoclis eloquentia, memor eorum, quae modo scripserat, uerborum, confirmatque ea certiore documento, i. e. origine Attica, ut redeat ad Periclem et Thucydidem, quos uere oratores fuisse antea dixerat.

Neque postea Cicero annalem seposuit, quem recte saluti sibi fuisse dixerat *(Brut. 3, 14.* cf. *or. 34, 120)*, quamquam praeter unum locum *(fr. 8)* eum laudare omisit, cum nuda temporum notatio omnium communis esse uideretur. similiter Cornelius Nepos, etsi laudibus eum effert, uno loco eum citat *(fr. 7)*.[1]) ultimus tempore — ut incerta transeamus — in manibus eum habuit Asconius *(fr. 3. 6. cf. Lichtenfeldt l. s. p. 73)*; nam scholiasta Veron. *fr. 1* et Solinus *fr. 2* notitiam suam alienae industriae debent, nescimus cui.

Sed etiam nostram nunc temporum Romanorum notationem ab hoc annali pendere statuendum esset, si recte post Pighium, Matzatium, alios C. Cichorius *(Stud. Lips. IX p. 249—258)* demonstrasset Attici recensionem fastorum, compositam illam ex duabus, Licinii Macri (apud Idacium, in chron. Paschali, certis quibusdam partibus Liuii Dionysiique) et ea, cuius particulam (per Castorem) in Diodori fastis ubicunque referrentur consules cognominibus adscriptis haberemus, recensione Capitolina nobis seruatam esse. trahere huc uidentur argumenta quaedam; potuit etiam illud addi intra eos annos, quibus fasti Capitolini parieti insculpti essent (54/700—30/724), M. Vipsanium Agrippam filiam Attici in matrimonio habuisse (ab a. 36/718 usque ad a. incertum, certe non ultra a. 28/726, quo Iuliam duxit) Octauianumque eius consuetudine delectatum per epistulas frequentes de antiquitate ab eo requisiuisse eiusque admonitu ueterem Iouis Feretrii aedem in Capitolio reficiendam curauisse *(Nep. 20, 2 sq.)*; uerum tamen nec argumentis sententiam suam satis stabiliuit Cichorius et quasdam graues dubitationes contra eam protulit C. F. Vnger in Fleckeiseni ann. 143 p. 472 sqq. parum igitur exploratam eam nunc esse dico.

Tertio loco hic afferendi sunt ei, quos Atticus de familiis Romanis scripsit libri, de quibus sola memoria apud Nepotem exstat *(18, 3): Fecit hoc idem* (ut familiarum propagines explicaret, *τὸ γενεαλογεῖν ἑαυτόν Herod. II 143*) *separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enarrauerit notans, qui a quoque ortus, quos honores quibusque temporibus cepisset; pari modo M. Marcelli*

1) Annus urbis conditae Attico cum Varrone communis est, qui quidem si auctor dici solet, mensem diemque L. Tarutius Firmanus, familiaris Varronis, Ciceronis, Attici, accuratius eruit (Mommsen in chron.[2] p. 146 sqq.), de anno nil obstat quominus Varro Atticum secutus sit.

Claudii (cos. 50/704, paulo ante a. 40/714 mortui) *de Marcellorum, Scipionis Cornelii* (cos. 52/702, mortui 46/708) *et Fabii Maximi* (mortui 45/709, in quorum gentes duo filii L. Aemilii Pauli adoptione recepti erant)[1]) *Fabiorum et Aemiliorum. quibus libris nihil dulcius esse potest eis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum uirorum.* Opus hercle tum fuit incorrupta integritate et diligentia litterati alicuius hominis, quae ciuium et inscientiam de proauis *(Cic. ad Att. VI 1, 17)* et mendacia fraudesque disiceret, sed dubito an in hac re comitati Attici cesserit religio et constantia.[2]) certe Nepos eius ipsius, cum inter uiuos esset, genus 'ab origine ultima stirpis Romanae' repetere ausus est *(c. 1, 1)*, aperte Pomponem, filium Numae, cuius imagine Pomponii tum numos signare solebant, dicens *(Drumann V p. 1 sq.)*.

Alia huius operae Attici uestigia omnino nulla supersunt, uideturque omnino eius memoria solis epistulis Ciceronis ultra alterum p. Chr. n. saeculum propagata esse. quod nisi ita esset, Suetonius et de gramm. 16 et Tib. 7 hunc Atticum non definiuisset additis uerbis *'ad quem sunt Ciceronis epistulae' (Reifferscheid m. Rh. XV p. 610)*.

SAVFEIVS

Saufeium, praesertim cum eius doctrina Varronianam redoleret, cum Attico coniunxi, neque enim eum eundem atque L. Saufeium equitem Romanum Atticique amicum, a Cicerone ideo in epistulis saepe appellatum, esse posse abnuerim *(Drumann V p. 78)*; in libris quidem scribendis hic uersatus est *(ad Att. XIV 18, 4; 4, 2)* et complures annos studio philosophiae ductus Athenis habitauit *(Nep. Att. 12, 3)*.

Q. HORTENSIVS HORTALVS

(Natus a. 114/640, cos. 69/685, mort. 50/704.)

Cum Ciceronis memoria arte cohaerent Hortensius et Lucceius, quorum illum oratorem ante Ciceronem celeberrimum eiusque

1) Itaque non necesse est cum Cichorio p. 237 post *Cornelii* interponere *Corneliorum*. Vid. de Scipionis et Fabii cognatione Muenzer l. s. p. 95 sqq.

2) V. Boissier *Cic. u. s. Freunde* p. 143 (uers. Germ.).

aemulum dixisse melius quam scripsisse constabat *(Cic. or. 38, 132)*, ut placeret aliquid eo dicente, quod legentes non inuenirent *(Quint. XI 3, 8)*. utebatur idem singulari memoria *(Cic. Brut. 88, 301)*, qua adiutus maiorum cum aliorum tum suorum res diligenter tenebat. uelut Cicero de 'decem legatis Mummio' Attici auctoritati opponit ea, quae de uno ex eis, C. Sempronio Tuditano, proauo Hortensii, ex eo 'audisse' scribit *(ad Att. XIII 30, 2; 32, 3; non enim temere dixit Hortensius 33, 3)*. itaque etiam XII 5, 3, ubi quaedam 'de bono auctore, Hortensio, se accepisse' dicit, ad dictum eius rettuli eiecique ex fragmentis.[1]) restat unum ex Velleio, qui ad annales eius, quos citauit, cum de Minatii Magi, ataui sui, uirtute quaereret, esse delatus uidetur. pertinet ad bellum Marsicum, nec inscite E. Woelfflin *(Herm. 27 p. 652 sqq.)* meminit Plutarchi, qui in uita Luculli c. 1 (quem locum etiam in Fragm. p. 205 indicaui) hunc adulescentem cum Hortensio oratore, Sisenna rerum scriptore iocantem se bellum Marsicum siue uersu siue oratione uel Graece uel Latine persecuturum esse, prout sors euenisset, et gloriatum esse narrauit et Graeca historia exposuisse, idemque quasi certantem cum eo Hortensium Latina ille uir doctus coniecit. nam per se ipsa historia ab Hortensii indole uidetur abhorrere.

L. LVCCEIVS

Eis temporibus, quibus Cicero ex exsilio redux locum sibi rei publicae administrandae praereptum esse cum magno suo dolore intellegebat, ut certe memoriam suam redintegraret, cum alia moliebatur tum L. Lucceium precibus adiit. is Catilinam et publice a. 64/690 reum inter sicarios fecerat et orationes in eum scripserat, ut pari atque Cicero odio in eum arderet, et a. 59/695 consulatum cum Bibuli loco peteret, repulsus erat *(Ascon. ad Cic. in toga cand. p. 81 sq. Cic. ad Att. I 17, 11)*, ut item a re p. remotus litteris se abderet et in 'Italici belli et ciuilis historia' scribenda uersaretur. neque tamen hoc opus primum aggressus est. nam iam antea 'quodam in prooemio suauissime' demonstrauerat se a Gratia non magis flecti potuisse quam Herculem Xenophontium illum a Voluptate. aptissimus igitur Lucceius Ci-

1) E. Kornemann, *Zur Gesch. d. Gracchenzeit* p. 39 haec aliaque a Cicerone ex eius annalibus sumpta esse frustra posuit.

ceroni esse uidebatur, qui desiderio suo satisfaceret, praesertim cum antea commendationibus suis *(ad fam. XIII 41. 42)* bene de eo meritus esset, notaque est epistula, quam a. 56/698 de eo negotio ad eum dedit *(ad fam. V 12)*, quae ipsi ut 'ualde bella' uehementissime placuit *(ad Att. IV 6, 4)*.[1]) nimirum Cicero cum gloriae suae amplificandae causa omnes historiae rationes antea exhausisset, tum inimicorum perfidia, insidiis, proditione superatis et quasi triumpho in urbem reductus egregiam sibi materiam suppeditare uidebatur uarietate casus sui animos hominum tenendi ('nihil est enim aptius ad delectationem lectoris quam temporum uarietates fortunaeque uicissitudines' *§ 4*) hortabaturque Lucceium, ut 'a principio coniurationis usque ad reditum suum' uitam suam a summa laude per grauissimas moles molestiarum et asperitatum ad fructum otii pertexeret. qua quidem in re confidebat amicum rerum ciuilium scientia adiutum et causas rerum nouarum remediaque incommodorum explicaturum et reprehensurum ea, quae uituperanda duceret, quae placerent, 'exponendis rationibus' comprobaturum maximeque notaturum inimicorum fraudem. spernebatur igitur 'ordo annalium quasi enumeratione fastorum' odiosus, expectabatur fabula 'toto Isocrati μυροθηκίῳ' condita. Hac potissimum causa inductus Lucceium rogabat, ut omissis in praesens reliquis rebus, quas orsurus erat, hostilia externaque bella a ciuili coniuratione seiungere mallet, i. e. unum opus totum ad suam laudem gloriamque dirigeret fabulae legibus obsecutus.

Rescripserat ille se facturum *(ad Att. IV 6, 4)*, cohortatus eum est Atticus *(IV 9, 2)*, anno post Cicero ad eum per Atticum 'librum', commentarios rerum omnium, ut uidetur, quos se confecturum esse pollicitus erat, misit *(ad fam. V 12, 10. ad Att. IV 11, 2)*. defuit tamen Lucceius eius uoluntati, neque omnino posthac eius rei mentio fit, ne in litteris quidem, quas a 45/709 post Tulliae mortem inter se dederunt *(ad fam. V 13—15)*, etsi studiorum societas etiam tum eos coniunxit *(V 13, 4)*. locus in eis fuit historiae commemorandae, si confecta esset. omnino oblitterata esse res uidetur tumultu belli ciuilis.[2])

---

1) Laudauit Lucceium Cicero etiam cum Caelium defenderet (m. Apr. 56/698), ut hominem sanctissimum atque integerrimum, humanitate, studiis, artibus atque doctrina insignem (c. 21, 52. c. 22, 54).

2) De Catilinae coniuratione a. fere 60/694 scripsisse uidetur Herodes aliquis, de quo Cicero ad Att. II 2, 2: *Herodes, si homo esset,*

M. TERENTIVS VARRO

(Natus a. 116/638, mortuus 27/727.)

Ex larga doctrina Varroniana ea pauca huc transtulimus, quae maiore ex parte ad historiam quam ad antiquitates pertinerent. itaque etsi libri qui sunt quattuor de uita populi Romani ad T. Pomponium Atticum missi, cum totidem libris de gente populi Romani artis uinculis inter se coniuncti sunt, ut unum paene corpus inter se effecerint, illos seponere, hos recipere malui, cum illi uitam priuatam descripserint, hi res Romanas ab origine ultima repetierint. historiae tamen praeceptis ne in his quidem obsecutus est. laudauit eum Appianus *(b. c. IV 47)* ut *φιλόσοφόν τε καὶ ἱστορίας συγγραφέα*, similiter ac Ps.-Lucianus *(Macr. 20)* Posidonium (*φιλοσοφόν τε ἅμα καὶ ἱστορίας συγγραφέα*), rectius tamen, id quod libris qui supersunt confirmatur, Quintilianus *(X, 1 95)* plus scientiae in libris doctissimis et cognitione linguae Latinae et omnis antiquitatis et rerum Graecarum Romanarumque abundantibus eum contulisse iudicat quam eloquentiae, quocum consentiunt Tacitus in dialogo *(c. 23)* et Plutarchus *(Romul. 12)* *Οὐάρρωνα τὸν φιλόσοφον, ἄνδρα Ῥωμαίων ἐν ἱστορίᾳ βιβλιακώτατον.*[1]) materiam historiarum potius congessit et cumulauit quam oratione exornauit. sed ceterorum librorum exigna fragmenta uel testimonia cur locum suum hic obtineant, non est cur pluribus exponam; indices suaserunt, ultra quos aut pauca aut nihil certi accepimus.

Initium faciam a quattuor libris 'De familiis Troianis', quod argumentum tum nobilium animos alliciebat et delectabat. nam posteaquam C. Iulius Caesar dictator originem suam aperte ad Aeneam rettulit, etiam aliae gentes, quinquaginta fere, ut scribit

---

eum [Dicaearchum] *potius legeret quam unam litteram scriberet. qui me epistula petiuit, ad te, ut uideo, comminus accessit. coniurasse mallem quam restitisse coniurationi, si illum mihi audiendum putassem.* Omnino igitur ignorauit, qualis rerum status tum esset neque Dicaearchi scientiae copiam aequauit. eundem postea Marci filii magistrum fuisse sunt qui putent.

1) Cf. Cic. Phil. II 41, 105 *Quae in uilla illa* [Varronis Casinati] *antea dicebantur, quae cogitabantur, quae litteris mandabantur, iura populi Romani, monimenta maiorum, omnis sapientiae ratio omnisque doctrinae.*

Dionysius *arch. I 85,* hoc studium imitatae talem antiquitatem uel ex tenebris eruerunt uel finxerunt. adiuuerat Attici auctoritas, cum in libro '*De familiis Romanis*' earum gloriae magis seruiret quam ueritati *(uid. s. p. XXVIII sq.).* intra Troianae tamen originis fines Varro se continuit neque certae cuiusdam familiae studii conuinci potest, si Vergilium eius in Aeneide sectatorem perlustramus. Nautiorum quidem, de qua uno quod superest fragmento agitur, tum ex claris recesserat, ceterae, quarum origo Troiana uel a Vergilio Seruioque uel a Dionysio uel a Paulo commemorantur, hae sunt:

Memmia: '*Mnestheus, genus a quo nomine Memmi*' Verg. V 117. cf. Seru. ad h. l.

Gegania 'a Gya comite Aeneae' Seru. ad Verg. V 118.

Sergia: '*Sergestus, domus tenet a quo Sergia nomen*' Verg. V 121.

Cluentia: '*Cloanthus, genus unde tibi, Romane Cluenti*' Verg. V 122.

Iunia: '*Μάρκος Ἰούνιος ἑνὸς τῶν σὺν Αἰνείᾳ τὴν ἀποικίαν στειλάντων ἀπόγονος*' Dion. IV 68.

Aemilia; '*gentem appellatam dicunt — alii, quod ab Ascanio descendat, qui duos habuerit filios, Iulium et Aemylon*' Paul. p. 23.

Caecilia: '*Caecilii appellati a Caecade Troiano, Aeneae comite*' Paul. p. 44.

'Cloelia familia *a Clolio, Aeneae comite, est appellata*' Paul. p. 55.

Vt autem his libris familiarum quarundam, ita nobilitatem totius populi Romani, qui solus 'gentem' prae se ferebat (uid. *Liu. X 8, 9*), descripsit quattuor libris De gente populi Romani[1]) paulo post antiquitates rerum humanarum absolutas, partim explicans, quae ibi strictim tetigerat, partim supplens, quae ante omiserat, anno 43/711 *(fr. 9),* priusquam, ut uidetur, ab Antonio, uetere inimico, proscriptus esset[2]), forsitan cometa a. 44/710 adductus, qui tum Romanorum animos uehementissime commouerat, ordinemque ita instituit, ut gentem ab antiquissimis temporibus repeteret, haec autem Graeca fuisse statueret regni

1) Vid. Kettner *Varronische Studien* p. 38—78 et me in mus. Rh. '*Die Epochen in Varros Werk De gente p. R.*' 57 p. 231—251.

2) ipse hoc testatur apud Gell. III 10, 17 *ex quibus* [libris suis] *aliquam multos, cum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse,* itaque parum recte de Appiani fide a Fufio Caleno Varronem seruatum esse narrantis dubitatum est. Cf. Boissier *Varron* p. 25.

Sicyoniorum, quibus quasi appendices inseruit Assyrios aequales (nam apud hos secundum regem [Ninum] regnasse uolebat, cum illud etsi paruum iam exstaret); Aegyptios litteras certe a Graecis per Io Inachi filiam Argiuam, quae ab iis Isis nominata esset, accepisse Serapidemque fuisse nomen Apidis item Argiui post mortem. Augustinus enim, qui in priore parte ciuitatis dei secundum hos libros res terrenas descripsit, haec de serie populorum prodidit *(XVIII 2): Sed inter plurima regna terrarum — duo regna cernimus longe ceteris prouenisse clariora, Assyriorum primum, deinde Romanorum, ut temporibus ita locis inter se ordinata atque distincta. nam quo modo illud prius, hoc posterius: eo modo illud in oriente, hoc in occidente surrexit; denique in illius fine huius initium confestim fuit. regna cetera ceterosque reges uelut appendices istorum dixerim. Ninus ergo iam secundus rex erat Assyriorum, qui patri suo Belo successerat, regni illius primo regi, quando in terra Chaldaeorum natus est Abraham. erat enim tempore illo regnum Sicyoniorum admodum paruum, a quo ille 'undecumque doctissimus'* [Terent. de metr. 2846] *Marcus Varro scribens de gente populi Romani, uelut antiquo tempore, exorsus est. ab his enim Sicyoniorum regibus ad Athenienses peruenit, a quibus ad Latinos, inde Romanos. — Sed quoniam res Graecae multo sunt nobis quam Assyriae notiores et per Graecos ad Latinos ac deinde ad Romanos, qui etiam ipsi Latini sunt, temporum seriem deduxerunt qui gentem populi Romani in originis eius antiquitate rimati sunt: ob hoc debemus, ubi opus est, Assyrios nominare reges, ut appareat, quemadmodum Babylonia quasi prima Roma, cum peregrina in hoc mundo dei ciuitate procurrat, res autem, quas propter comparationem ciuitatis utriusque, terrenae scilicet et caelestis huic operae oportet inserere, magis ex Graecis et Latinis, ubi et ipsa Roma quasi secunda Babylonia est, debemus assumere. (uid. fr. 9.)* Hiat sane in hac serie transgressio a Graecis ad Romanos, cum nesciamus, qua arte stemma ab illis ad Aenean 'inuictosque Troianos' *(Antiq. hum. fr. 6 p. 88 Mi.)* deduxerit; simultatem quidem oblitteratam ab eo esse hinc adparet, quod Troianus et Arcadem Salium in Italiam secum duxit *(fr. 15 p. 90)* et cum Diomede amicitiam quandam iunxit *(fr. 16 p. 90)*. Sed utut est, etiam in hoc studio a Graecorum doctrina profectus est, cum a Posidonio, quem imitatus et res Graecas Romanasque ita contaminauit, ut quae Romani ab aliis gentibus

accepissent exponeret *(fr. 21. cf. Wendling Herm. 28 p. 335 sqq. mus. Rh. l. s. p. 242 sq.)*, et non satis habuit res gestas persequi sed idem morum uoluntatumque totius gentis memor fuit, ut res recte perspiceret *(Wachsmuth Einleit. p. 652 sq.)*, qua de causa ut ille et philosophus et historicus dicitur, tum a Castore Rhodio chronographo. nam qui ante eum in chronologia uersati erant, eius amici Cornelius Nepos et Pomponius Atticus, intra Apollodori operam se continuerant, qui res ab excidio Troiae deduxerat, Varro Castorem secutus usque ad hominum principium regressus erat. Neque tamen ignorabat, quanta fidei uarietas esset. itaque tres partes instituit, *τὸ ἄδηλον*, usque ad diluuium primum, i. e. Ogygi, *τὸ μυθικόν*, usque ad Romam conditam (nam ut Romanus pro Castoris prima olympiade hoc tempus substituit), *τὸ ἱστορικόν*, quae diuisio postea etiam ab aliis chronographis probata est.[1]) debetur ea notitia Censorino, sed quae praeterea de annorum computatione prodidit, uel lacuna uel neglegentia eius auctoris turbata sunt, de qua re pluribus in mus. Rhen. *l. s. p. 231 sqq.* disputaui. certo enim scimus partim ex Augustino, teste de h. l. locupletissimo, partim ex ipso numero quadringentorum quadraginta annorum Varronem periodos suas circumscripsisse *(fr. 4)* usum et libertate uel libidine Graeca in definiendis rebus fama traditis et superstitione quadam in numeris ponendis (nam 440 uel 441 exortus erat ex 7 $\times$ 63, i. e. ex septem generibus, 63 ex nouem hebdomadibus uel septem enneadibus), desperata tamen obscuritatis distributione fabulosum tempus eum diuisisse in tres periodos, primam a diluuio Ogygi usque ad Inachi uel Deucalionis, ab anno 2073 usque ad a. 1633, alteram usque ad expeditionem Troianam (1193), tertiam usque ad conditam Romam (753). tum uero libris primam complexus est primo, alteram altero *(fr. 14)*, tertiam tertio, quarto quartam, i. e. memoriam Romanam, cuius breuitatem ut recte aestimemus, stemma populi eum depingendum sibi proposuisse tenendum est.

1) Vid. m. Rh. l. s. p. 242. — In diuinarum rerum libris Varro tria genera theologiae distinxerat, mythicon, physicon, ciuile explicaueratque ea ita (August. de c. d. VI 5): *Mythicon appellant, quo maxime utuntur poetae, physicon quo philosophi, ciuile quo populi. primum quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta. in hoc enim est, ut deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus; in hoc ut dii furati sint, ut adulterarint, ut seruierint homini; denique ⟨in hoc⟩ omnia ⟨diis⟩ adtribuuntur, quae non modo in hominem sed etiam quae in contemptissimum hominem cadere possunt.*

Elucet igitur etiam hinc eius artificium et in quadripartitione totius argumenti, qua si poterat, usus est ('ut ideo fere omnia sint quadripartita', *de l. l. V 12*), et in coniunctione rerum cum librorum exitu et in ratione tractationis secundum rerum uarietatem instituta. nam etsi totum opus certis regum generumque nominibus quasi pertexuit, luxuriauit tamen in exornando, cum uarias fabulas ex amplis Graecorum thesauris adderet, qua in re ne deorum auctoritatem minueret, quae turpia antiquitus de eis narrabantur, uel Euhemerum secutus[1]) ad homines rettulit, ut Europae raptum ad Xanthum Cretensium regem, ita tamen, ut multos homines eiusdem doctrina usus in deorum numerum post mortem receptos esse doceret, uel 'non fabulosam sed historicam rationem reddens' ita fabulas illas interpretatus est, ut deos omnino maculis uitiorum humanorum purgaret, illas autem secerneret ab eis, quae 'ingeniis hominum ita essent fictae, ut non essent opprobriis numinum adfixae', uelut Triptolemi, Minotauri, Centaurorum, quas quidem inter diluuium Deucalionis et bellum Troianum recensuerat.[2]) tertio libro Varro historiam quae dicebatur de rebus post bellum Troianum usque ad Romam conditam effudit, quarto in lucem originis Romanae progressus Italiae disciplinam et uitam (si eam iure a Seruio laudatam esse sumimus, *fr. 20*) cum eis quas antea depinxerat gentibus comparasse et comprehendisse uidetur, ita ut a Romanis eos, quos imitati essent, superatos, quae ab illis accepissent, facta esse meliora demonstraret *(m. Rh. l. s. p. 241 sq.)*.

Illud autem studium rationis numerorum Pythagoricum non solum res externas sed etiam chronographiam imbuit. in qua etsi in uniuersum Castori se addixit, tamen ipsa indole ad Pythagoram inclinabat, ut eius modo se etiam sepeliri iuberet *(Plin. n. h. 35, 160. uid. m. Rh. l. s. p. 235 sq.)*. nam cum stoici annos maiores miliariis ciuilium annorum dimensi essent, Varro et eum numerum intra quadringentos quadraginta annos coercuit et emendationem tem-

1) Vid. Festus s. u. p. 310: *Sus Mineruam in prouerbio est, ubi quis id docet alterum, cuius ipse inscius est. quam rem in medio, ut aiunt, positam Varro et Euhemerus ineptis mythis inuoluere maluerunt quam simpliciter referre.*

2) Saepe fabulis, quas 'poetae cantent, theatra concrepent, populi celebrent' opponit declamans Augustinus rationalismum Varronis ut magna cum doctrina ex obscurarum notitia litterarum eruentis, quibus 'ne deorum naturae seu moribus credantur incongrua', prohibeatur (de c. d. XVIII 10. 11. 12).

porum, quam illi ex siderum motu, unde omnia pendere manufestum esset, ipse ex palingenesia repetiuit, quod illo annorum spatio 'idem corpus et eadem anima, quae fuissent coniuncta in homine aliquando, eadem rursus redirent in conunctionem' *(fr. 4)*. illud tamen a se non impetrauit, ut stoicam doctrinam omnino abiceret, sed ita rem instituit, ut antiquis temporibus, cum homines spatium quadringentorum quadraginta annorum mente complecti nondum possent, periodi diluuiis notarentur et separarentur, haec autem portentis caelestibus significarentur, quod de Ogygo laudatis mathematicis testatus est Castor et qui hunc laudat Varro *(fr. 6)*. causa in eo esse posita uidetur, quod ut Romanus Etruscam de saeculis disciplinam tum per urbem uulgatam neglegere non potuit, qua eorum spatium similiter atque stoicorum doctrina portentis definiebatur *(m. Rh. l. s. p. 244 sqq.)*. hac autem ipsa mutabilitate quoniam impediebatur, quominus saeculis uertentibus uel naturalibus, quae diuina uoluntate notarentur, ad tempora constituenda uteretur, ad libros Sibyllinos se conuertit, qui Graeco ritu compositi centesimo decimo quoque anno ludos saeculares Romae celebrari uolebant. itaque haec saecula cum numero item Graeco 440 ita coniunxit, ut hunc palingenesia Pythagorica, eius quattuor partes diuisas Sibyllarum auctoritate quasi consecraret chronographiamque suam et rerum Romanarum et earum, quae ante urbem conditam gestae essent, ad uim quandam superiorem uel diuinam referret. qua ratione priscae morum probitatis et integritatis reuocatae etiam ueteri illi desiderio aureae aetatis satisfaciebat spemque eius explendi firmabat, cuius prima uestigia habemus a. 40/714 apud Vergilium in bucol. 4, 4 sq.

Vltima Cumaei uenit iam carminis aetas;
magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.

Haec tamen dubia res est, num, cum de gente populi Romani librum suum componeret, computationem saeculorum cum anno urbis conditae conexuerit aut num aliquos ludos saeculares, qui plures erant, primos centesimo uel centesimo primo anno post urbem conditam celebratos esse uoluerit. illud constat morem Tuscum imitatum sola saecula eum constituisse et numerasse, quod ut recte faceret, curiose computasse, quis annus urbis conditae esset, idque genethliacorum uel mathematicorum opera et doctrina adhibita, maxime L. Tarutii Firmani, quem contraria ratione, atque fere fieri solebat, ex rebus gestis Romuli diem natalem, hinc urbis deducere iusserat *(Plut. Rom. 12)*.

Sic Varro duplicem uiam aperuit et muniuit. nam primum Graeca libidine coercita certum quendam annum u. c. sanxit, ut qui postea ludos suos saeculares ab urbis initio repetere uellent, uelut Claudius, Antoninus Pius, Philippi imperatores, haberent, qua auctoritate inniterentur, eiusque computatio magis magisque uulgaretur. tum uero Augustus eius palingenesiam ad sua consilia perficienda conuertit, cum acta Sibyllina quattuor ludis saecularibus adiectis interpolaret (*Mommsen Chronogr.*² *p. 185 sq.* cf. *mus. Rh. l. s. p. 249 sqq.*) suisque a. 17/737 editis auream aetatem libris Sibyllinis promissam sponderet.

Ex scriptoribus laudauerunt hos libros Charisius (hic numeris additis ex Plinio, *fr. 1. 2. 15*, ipsum 16 ad Plinium referens), Arnobius (*fr. 9*), Seruius (*18. 20. 21. 22. 23*), scholiasta Statii (*fr. 5*), nouisse uidetur Censorinus (*3*), largissimam tamen materiam suppeditauerunt Augustino (a. 426) libros de ciuitate dei componenti, maxime l. XVIII, in cuius priore parte, quae ad saeculorum historiam pertinent, ex illis originem ducunt, ut ea iure quodam nostro Frickium[1]) secuti minutioribus litteris eis, quae ipse Augustinus ad Varronem rettulit, interposuisse nobis uisi simus.

'Annalium III' a Varrone scriptos esse index Hieronymi (in Ritschel. opusc. III p. 526) testatur, fragmenta duo habemus, unum apud Charisium addito indice, alterum ex Gellii capite quodam ex 'libris, qui chronici appellantur' excerpto coniectura Ritschelii (*l. s. p. 449*) huc relatum. quo opere ut in aliis studia sua litterata cum Attico et Cornelio Nepote coniunxit, ita eorum annalem uel chronica aliqua ex parte uel suppleuit uel emendauit, postquam antiquitates atque libros de uita et de gente populi Romani absoluit, priusquam ad linguam Latinam tractandam accederet. nam mirandum esset, si Cicero id cognouisset, nusquam commemorasset, cui unus fons in talibus rebus Attici annalis a. 47/707 ad eum missus fuit (*ad Att. XII 23, 2. Cf. Urlichs Quellenreg. d. Plin. p. 17*). utrum intra memoriam Romanam se continuerit, an etiam per alias gentes uagatus sit, dubium est, etsi illud mihi magis adridet.[2]) breuitati certe idem studuerat. Idem index Hieronymi 'Rerum urbanarum libros III' eum

1) *Die Quellen Augustins im XVIII. Buch seiner Schrift De ciuitate dei.* Progr. gymn. Höxter. 1886.

2) Quod Ritschl *Op. III p. 453* Gellium *XVII 4, 3* de Euripidis uictoriis ex his annalibus fluxisse coniecit, ipse admodum incertus fuit.

scripsisse enumerat *(l. s. p. 526)*, quas cum omnes nimis largam materiem suppeditassent, sensu artiore tractatas esse per se elucet. quaerentibus autem, quo sensu, O. Jahn *(Herm. 2 p. 235)* ipsius urbis res eum exclusis peregrinis *(Plin. ep. IV 11, 15)* complexum esse suspicatus est, commentariorum 'rerum urbanarum', quas Caelius ad Ciceronem in Ciliciam misit, memor, conspectum occupationis urbanae oppositae rusticae Boissier *(l. s. p. 169)*, topographiam Schanz *(I 1² p. 371)* insertis monumentis uelut Argeorum *(de l. l. V 45—54)*. quodsi M. Lepido Q. Catulo coss. (78/676) domum pulchriorem non fuisse Romae quam Lepidi ipsius, ut 'inter diligentissimos auctores' constaret, Plinius *n. h. 36, 109* Varrone usus rettulit[1]) idque his libris, ad topographiam trahimur. sed res est incerta.

Soli Hieronymi indici (p. 526) notitiam debemus

Legationum III

et De Pompeio III, denique praeter hunc etiam loco cuidam Charisii

De sua uita libros III (sic enim Ritschl emendauit, *de suauitate* codex).

Cum suae uitae mentionem Varro etiam in aliis libris insperserit (uelut in antiquitatibus ap. Gell. XIII 12, 6), illud nos non offendet, quod totis libris eam uel partes eius persecutus est. nam etiam ad libros de Pompeio scribendos consuetudine sua amicitiaque deductus erat, qui ad eum imperia et belli piratici *(de r. r. II praef. 6)* et, ut uidetur, Mithridatici *(Plin. VI 51)* et Hispaniensis detulerat. causam igitur huius 'commilitonis' (*Solin. 19, 3)* rebus expositis defendisse uidetur, similiterque suam tribus legationum libris[2]), etsi rem ipsam curiositate sua solita obscurauit. habebat tamen ut gloriaretur, ut solus 'ex illa ingeniorum quae tum fuit multitudine' bello piratico corona nauali ornatus *(Plin. 7, 115. 16, 7. Fest. p. 162)*, uitamque suam defunctus rerum publicarum sollicitudine, id quod certe uerisimile est *(Ritschl III p. 439 sq.)*, complecteretur. Etiam nobis promptum fuit omnia ea

---

1) Urlichs l. s. p. 17. Cf. Plin. 36, 49 *M. Lepidus Q. Catuli in consulatu conlega primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit magna reprensione. is fuit consul anno urbis* DCLXXVI. *hoc primum inuecti Numidici marmoris uestigium inuenio, non in columnis tamen crustisue, ut supra Carystii, sed in massa ac uilissimo liminum usu.*

2) Sic Ritschl *Op. III p. 436*, cuius coniecturam frustra Reitzenstein *Herm. 20, 517* improbauit.

hic colligere, quae de uita sua Varronem tradidisse cognitum haberemus, sed etsi quaedam in libris illis locum suum habuisse concedimus, noluimus hanc operam admodum periculosam suscipere, quoniam libenter eum occasione uitae suae commemorandae in aliis libris usum esse constat. itaque ea supersedi.

CORNELIVS NEPOS

De Cornelii Nepotis uita siue ab ipso siue ab aliis haec sunt memoriae prodita. Padi eum accolam fuisse *(Plin. n. h. III 127)* municipemque T. Catii Insubris *(Plin. ep. IV 28, 1. Cic. ad fam. XV 16, 1,* ex quibus testimoniis coniunctis Ticino eum ortum esse Mommsen collegit, *Herm. 3 p. 62),* eius aetate Eudoxum quendam Ptolemaeum Latyrum (a. 81/673 mortuum) fugisse *(Exempl. fr. 6. Plin. n. h. II 169),* a. 65/689 audiuisse Ciceronem pro Cornelio defensionem perorantem *(De uita Cic. fr. 2),* eo iuuene uiolaceam purpuram uiguisse, non multo post successisse Tarentinam, huic dibapham Tyriam, qua P. Lentulus Spinther aedilis curulis (i. e. a. 63/691) primus in praetexta usus esset *(Ex. fr. 18),* denique scriptorem historicum clarum habitum esse a. 40/714 *(Hier. ad a. Abr. 1977 p. 139 Sch.),* obisse diui Augusti principatu *(Ex. fr. 18. 19),* certe post Atticum *(uid. infra p. XXXXVIIII).* Vt mores institutaque cognoscamus, exordiemur a consuetudine, quam cum T. Pomponio habuit. totus enim erat in eo admirando, diligendo, laudando, cum uitam eius scribebat, ut minor in maiore (Atticus a. 109/645 natus erat), idemque eius exemplum imitatus a uita publica se abstinuit et spreta dignitate senatoria *(Plin. ep. V 3, 6)* omne tempus in re familiari curanda litterisque tractandis consumpsit. quo anno autem hanc amicitiam iunxerit, non liquet, certe aliquot annis postquam Atticus Athenis Romam reuersus est (a. 65/689), neque enim accuratius eius temporis meminerat *(uit. Att. 3, 5).* tum uero Atticus eum dignum iudicauit, qui etiam tabulas expensi inspiceret *(c. 13, 6 sq.)* undecimque Ciceronis epistularum uolumina ceterum anxie secreta perlustraret *(c. 16.* uid. *Brief in d. röm. Litt. p. 41 sqq.).* uersiculi parum seueri, quos deliciis illius aetatis obsecutus lusit, eius morum sanctitati non obfuerunt *(Plin. ep. V 4, 6),* immo ipse Atticus eum hortatus est, ut etiam de M. Catonis uita et moribus librum faceret *(uit. Cat. 3, 5),*

unique Ciceroni postposuit *(ad Att. XVI 5, 5).*[1]) itaque etiam in huius notitiam peruenit, etsi Gellius rem auxit ut qui maxime Ciceronis amicum familiarem eum fuisse scribens *(uit. Cic. fr. 1).* nam quamquam duo minimum libri epistularum ad eum scriptarum editi sunt *(Kayser Cic. X p. 38 sq.)* atque etiam Ciceronis uiui (mense Iulio a. 44/710) litteras colligere consilium cepisse uidetur *(Röm. Brief p. 36 sq.)*, hic tamen eodem tempore filium puerum, quem mortuum esse Atticus scripserat, Nepoti fuisse ne cognitum quidem habuit *(ad Att. XVI 14, 4)* minuitque nimiam illius laudum comitatem. certe nescio quod Nepotis iudicium eum offenderat, siue de poematis siue de scriptis philosophiae siue de aliis, quibus se maxime superbire Attico profitetur *(XVI 5, 5).* consuetudo igitur eorum intra litteras publicasque res se continuisse uidetur, id quod etiam epistularum fragmenta testantur. utut est, gratum auimum non solum scripta Attici uita significauit sed etiam Ciceronis uitam compluribus uoluminibus persecutus est deque eius operibus emendandis bene meruit *(uid. infra p. LV).*

Sed ut etiam accuratius, quae eius indoles fuerit, adumbremus, uitis quae etiam nunc exstant carere non poterimus, quamquam hoc litterarum genus ab historia abhorrere ipse dicit *(uid. infra p. XXXXII).* neque enim quisquam dubitabit, quin et uitae Catonis et Attici et liber de excellentibus ducibus exterarum gentium ab hoc Cornelio Nepote scripta sint, qui quidem liber quod in codicibus Aemilii Probi dicitur, hoc ex epigrammate *(Anth. lat. 783 R. Poet. lat. min. V 83)* quodam subscripto perperam intellectum esse L. Traube *(Ber. d. Bayer. Akad. 1891 p. 409—425)* nunc omnibus persuasit. nam illud alienum opus exarauit et recensuit Probus cum patre et auo, ut ad Theodosium II ('Calligraphum' i. e. antiquarium) mitteret. quod uero G. F. Vnger *(Abh. d. Bayer. Akad. XVI 1 p. 127—226)* Hyginum substituit, etsi multa ad Nepotis librum rectius aestimandum contulit, certatim illud nomen multi, maxime H. Rosenhauer, B. Lupus, R. Bitschofsky exploserunt Nepotisque auctoritatem firmauerunt.

Nepos igitur iam cum Chronica componeret (ante a. 54/700, *u. infra p. L*), etiam Graecas res complexus erat habuitque in ea re praeter Ciceronem socios Atticum amicum, qui in annali (a. 46/708), Varronem, qui in imaginibus (a. 39/715) simile consilium secutus

---

1) Admodum dolendum est, quod alteri parti logistorici '*Varro in Nepote*' *(Char. p. 59, 15)* nobis inuisum est.

est, ut totum hoc genus uirorum litteratorum ultra Romanos fines studia et scientiam propagasse uideas *(cf. Leo Biogr. p. 193 sqq.)*. sed eius scriptio nec *καθολική* nec *κοινὴ ἱστορία* fuit, cum ad singulos uiros singularesque res pertineret, id quod etiam clarius in uirorum illustrium uitis explicandis adparet, quibus hoc sibi proposuerat, ut collatis Graecorum Romanorumque factis, utri utris praeferendi essent, iudicari posset *(23, 13, 4)*, qua de causa id egit, ut Graecos, quorum mores uitaeque instituta suo iure uti concederet et doceret *(cf. praef.)*, laude sua non fraudaret in eodemque gradu poneret, quo suos ciues, in Hannibalis uita his etiam obtrectaret, et non solum bellicam sed etiam ceteras uirtutes artesque exponeret. itaque pugna Marathonia 'nihil adhuc gloriosius extitisse' praedicat *(1, 5, 5)*, idem quod Q. Ennium poetam Cato ex Sardinia deduxerit, non minoris aestimat, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum *(Cat. 1, 4)*, quid? quod eloquentiam innocentiae antestare exemplis Themistoclis Aristidisque demonstrat *(3, 1, 2)* atque quae in amore Alcibiades delicate iocoseque fecisset, relaturum se fuisse profitetur, nisi maiora potiora haberet *(7, 2, 3)*.

Tum in materia tractanda se non res explicare sed uitas enarrare neque historiam scribendam suscipere profitetur *(16, 1, 1. cf. 15, 1, 3)*; itaque securus a temporum ordine aberrat resque temere miscet atque confundit *(cf. potiss. 12, 2; 3. 23, 4, 4—5, 3 cum Nipperdeyi adn.)*, omnino omittit, quae ad uitam illustrandam non pertinere uideantur, eorumque, qui uiris suis illustribus adfuerint, laudes minuit aut tacet; uelut, ut unius Themistoclis prudentia Graeciam liberatam esse Europaeque succubuisse Asiam in eius uita recte praedicasse uideatur *(5, 3)*, Leonidae eiusque Spartiatarum fortitudinis ne meminit quidem, Aristidis autem uictoriam Plataeensem breuiter commemorat *(2, 1)* satisque habet eius abstinentiam innocentiamque laudasse, partitionis operis etiam obliuiscitur, ita ut Phocionis uitam, cum integritas uitae multo notior fuerit quam rei militaris labor huiusque memoria sit 'nulla', illius autem magna fama *(19, 1, 1)*, ab anno octogesimo exorsus res intestinas exponat *(uid. Leo Biogr. p. 208)*. contra largam fabellarum rerumque, quae animos mouere possint, copiam effundit. nam cum expertes uel rudes litterarum Graecarum, uulgus, non historicos librum suum in manus sumpturos esse simulat, si tantum modo summas attigerit, satietatem lectorum maxime cauet atque ita in Pelopidae uita cum satietati tum ignorantiae eorum

se mederi putat *(praef. 2. 16, 1, 1)*, ut intra Cadmeam liberatam Pelopidaeque mortem se contineat, has autem duas res copiose enarret, ceterum omnibus periculis cum Epaminonda eum adfuisse breuiter inserat. apparet igitur eum et delectare uoluisse et exemplis propositis prodesse, intentiorem tamen curam posuisse in delectando.[1])

Cum uero uitas scribere et quantus quisque uir fuerit, per se spectari uelit, laudatorum priuilegio usus in augendis amplificandisque uirtutibus nimius est et ipse secum inter singulas uitas haud raro discrepat; uelut in Chabriae uita Agesilao inuidet, cum res ei est cum illo, at in ipsius omnia laudat; etiam in singulis quibusdam rebus sibi ipse contradicit *(cf. 12, 4, 3 et 17, 7, 2)*, uelut in Iphicratis uita meritum urbis Spartae ab Epaminondae incursu seruatae ad Iphicratem *(2, 5)*, in Agesilai ad hunc refert *(6, 1)*.[2])

Denique in rebus ordinandis imitatus est Graecos. nam cum Romani laudationibus in foro uterentur aut orationibus eas inserentes aut mortuos laudantes, a rhetoribus Graecis etiam genus demonstratiuum, laudationum uituperationumque, quorum exempla Euagoras Isocratis Xenophontisque Agesilaus fuerant *(Leo l. s. 209 sqq.)*, inuectum et in ludis accurate tractatum est. hinc auctor ad Herennium praecepta sua duxit (a. 86/668—82/672, *III 6, 10—8, 15*) et Cicero (a. 55/699 sq., *de or. II 84, 341 —85, 349*), neque tamen ad id tempus quemquam Romae hoc genus ornandi 'Graecorum more' temptasse ex huius uerbis apparet.[3]) Primus igitur eam uiam ingredi, quantum scimus, ausus est Cornelius Nepos, idque ita, ut hoc genus laudationis cum duobus uitas scribendi generibus item Graecis contaminaret *(uid. Leo l. s. p. 85 sqq.)*.

Prius fuit peripateticum, quod ab Aristotele Aristoxenoque incohatum uitas diuersorum hominum illustrium generum, regum, ducum, poetarum, philosophorum, ceterorum scriptorum enarrabat et paulatim, maxime Hermippi opera eo euagabatur, ut portentis

---

1) Cf. Cic. de or. II 84, 341 *Ipsi enim Graeci magis legendi et delectationis aut hominis alicuius ornandi quam utilitatis huius forensis causa laudationes scriptitauerunt.*

2) Etiam huius priuilegii exempla adnotauit Nipperdey, post eum multi, ut Gemss *Berl. Ztschr. f. Gymnasialw. 37 (1883) p. 390 sqq.*

3) *ut nosmet ipsi ornandi causa Graecorum more, si quos uelimus, laudare possimus, sit a nobis quoque tractatus hic locus* l. s. 84, 341.

et fabulis intermixtis eas exornaret. neque enim id spectabat, ut lectorum scientiam ueritate patefacta amplificaret aut corrigeret sed ut animos eorum alliceret et titillaret.

Sed ne alterum quidem uitas scribendi genus Nepoti incognitum fuit *(Leo p. 118 sqq.)*. nam doctrina et ueritas Callimachi Eratosthenisque cum a se impetrare non posset, ut ad fabulas fictionesque aberraret, cum cura atque diligentia in uitas moresque scriptorum inquisiuit easque speciatim dispositas in usum uirorum litteratorum sine ornatu dicendi condidit. Inter haec igitur tria genera Nepos fluctuauit, non modo ita, ut in alia uita aliud sequeretur sed ne per singulas quidem uitas tenuit totas unum aliquod. quod si dixerit forsitan quispiam, ne lectorem satietas caperet, eum tribus uires suas expertum esse, errores eius neglegentiae et inscitiae a Nipperdeyo acerbe castigatae grauiores sunt, quam ut id credamus. immo tria illa genera parum diligenter distinxisse uidetur. nam illud quidem apud rhetorem didicerat Isocratis exemplo temporum ordinem in laudando sequi aut Xenophontem imitatus materiam secundum uirtutes digerere *(uid. ad Herenn. III 8, 5)*, sed ut has rationes, quas recte Quintilianus distinxit[1]), in uita Attici, in qua non habebat quem exscriberet, miscuit, per genus, educationem, adulescentiam Romamque aduentum, tum per uitam publicam post auunculi mortem secundum tempora adnexa liberalitate, denique per uitam priuatam secundum uirtutes eam enarrans, ita, cum oratoria institutione absoluta siue Attici siue Varronis auctoritate ad peripateticum illud genus uitas scribendi Alexandrinumque delatus esset, nouitate rei correptus citius scribere instituit, priusquam certam quandam rationem sibi praescripsisset, qua quamquam progredientem in opere se carere sensisse eum consentaneum est, tamen ne tunc quidem, quod esset illud discrimen, subtiliter perspexit. hoc enim Pelopidae initium est *(16, 1)*: *Pelopidas Thebanus magis historicis quam uulgo notus. cuius de uirtutibus dubito quemadmodum exponam, quod uereor, si res explicare incipiam, ne non uitam eius enarrare sed historiam uidear scribere; si tantummodo summas attigero, ne rudibus Graecarum litterarum minus dilu-*

---

1) III 7, 15 *Alias aetatis gradus gestarumque rerum ordinem sequi speciosius fuit, ut in primis annis laudaretur indoles, tum disciplinae, post hoc operum, id est factorum dictorumque contextus; alias in species uirtutum diuidere laudem, fortitudinis, iustitiae, continentiae ceterarumque, ac singulis assignare, quae secundum quamque earum gesta erunt.*

cide appareat, quantus fuerit ille uir. itaque utrique rei occurram, quantum potuero, et medebor cum satietati tum ignorantiae lectorum. itaque satis habuit uitis suis (praeter Cimonem et Dionem) breue prooemium uarie institutum anteposuisse, tum libere materiam tractauit *(uid. Leo l. s. p. 202 sqq., ubi plura de hoc capite).* nam modo res ab initio usque ad mortem temporum ordine persecutus est, in aliis copiosius, in aliis breuius, modo res bello et pace uel publice et priuatim gestas distinxit, modo ab una aliqua re insigni exorsus uitam usque ad finem deduxit, ita ut in Phocionis uita una narratione mortis contentus esset, hic illic quaedam de uirtutibus adnotans nec grauitati uirorum numerum uersuum accommodans. De Epaminonda autem subito eum promittentem audimus *(15, 1, 3): Cum autem exprimere imaginem consuetudinis atque uitae uelimus Epaminondae, nihil uidemur debere praetermittere, quod pertineat ad eam declarandam,* quod quidem in omnibus uitis consilium fuit, tum pergentem: *quare dicemus primum de genere eius, deinde quibus disciplinis et a quibus sit eruditus, tum de moribus ingeniique facultatibus et si qua alia memoria digna erunt, postremo de rebus gestis, quae a plurimis animi anteponuntur uirtutibus.* quae cum disponeret, species eius mentem ita occupauerunt, ut res gestas per illas disponeret, quartam autem partem omnino omitteret *(uid. Nipperdey a. h. l.).* Denique medium locum inter illas uitas laudationemque Epaminondae Agesilaus obtinet per tempora rerum gestarum laudatus.

Quod si ad doctrinam oratoriam Nepotis scriptionem magis inclinare uidemus quam ad historiam rerum scientia instructam, non mirum nobis esse uidebitur in uiris illustribus colligendis. eum rhetorum fictiones pro monumentis uendidisse *(Exempl. fr. 3, uid. adn.)*[1]) eundemque intra fines ludi rhetorici se continuisse. nam quod Nipperdey *(praef. p. xxv)* Myronidem, Tolmidem, Phormionem, Niciam, Demosthenem, Brasidam, maxime Aratum, Philopoemenem, Cleomenem desiderat, hi ne a Cicerone quidem nomi-

1) Verum tamen ipsum haec decreta excogitasse mihi parum uerisimile est; certe Themistoclis et Pausaniae epistulas eorum uitis insertas satis diligenter ex Thucydide uertit, id quod ipse addidit *(Gesch. Litt. I 247),* atque etiam Corneliae epistulae *(De uir. ill. fr. 15)* ex eius officina non prodierunt, quas quidem ab ipsa Cornelia originem ducere mihi Nipperdey *Op. p. 95 sqq.* persuasit. Cf. Jordan *Herm. 15 p. 530 sqq.*

nantur, praeter Aratum et Cleomenem, qui semel, contra Nepotis uiri illustres apud eum praeter eos octo, de quibus deinceps disputabo, compluribus locis occurrunt; quin etiam Themistoclem, Aristidem, Agesilaum, Epaminondam tamquam exempla laudationum Graecarum ipse enumerat *(de orat. III 84, 341)*. si igitur quando Nepos ultra notissima nomina egressus erat, ipse gloriatur Pelopidamque inducit 'ut magis historicis quam uulgo notum', quoniam apud rhetores paulatim laude Epaminondae ita obscuratus erat, ut etiam in indice nominum Tulliano frustra quaeratur, cum apud antiquos locum suum obtinuisset *(cf. Lippelt Quaest. biogr. p. 13)*. Cimonem autem, Dionem, Phocionem Cicero casu praeteriisse uidetur, ad Iphicratem Chabriamque Nepos Graeca lectione deductus, ad Datamem Carem et fortasse ad Eumenem Cardianum laudatione aliqua delatus esse. illud enim Lippelt *(l. s. p. 37 sqq.)* recte animaduertit hunc non ea curiositate fuisse, ut ad ultimos fontes ascenderet — sic in multis uitis laudes bellicas farragine fabularum, quae ad mores aliasque res pertinerent, non obruisset — atque etiam partem errorum, quibus eius uitae scatent, rhetorum adhibitorum uel neglegentiae uel arti studioque augendi ornandique tribuendam esse.

Alia est quaestio, quatenus Nepos auctoribus suis se addixisse uideatur. atqui certum est ipsum arte materiam colligendi et disponendi non omnino caruisse, neque enim in hoc genere Attici uita ceteris inferior habenda est. quodsi Leoni *(l. s. p. 200 sqq.)* delectum uirorum ex opere aliquo περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν in priorem editionem transtulisse uidetur, ego quidem sic sentio eum et nomina uirorum suorum illustrium et auxilia auctorum institutioni rhetorum, quaedam etiam amicorum doctrinae debere, tum uero materiam siue delatam siue acceptam ipsum suo ingenio conformasse, idque ita, ut non puerili more uiros suos laudaret sed et uitis scriptis animos hominum delectaret et rerum exemplis lectores doceret 'suos cuique mores plerumque conciliare fortunam' *(25, 19, 1)*. quasi oui tamen testas secum trahere uidetur. nam quamquam genere dicendi, ut a scholasticis laudationibus differat, utitur tenui[1]), artificiosos uerborum ambitus uitans et in enarratione rerum simplicitatem quandam captans, idem tamen institutionis suae non oblitus et totis libris singulisque uitis praefari et ipsi

1) Nipperdey p. XXXVII sqq. B. Lupus *Der Sprachgebrauch des C. N.* p. 195. Norden *Die antike Kunstprosa* p. 204.

tenori lumina inserere solet, artificia antitheseon et in uerbis et in rebus, parecheseon ('Alliteration'), numerorum et in clausulis et in morum descriptionibus inepte frequentat et cumulat, cum aliis locis neglegentiae crimine non possit liberari, locis communibus uulgarem et cottidianam sapientiam arroganter proponit[1]); quid? quod ne rerum quidem ueritati pepercit, uelut, ut antithesis uim augeret, cum Herodotus *(VI 110)* conplures dies ad Pentelicum Athenienses castra habuisse auctor sit, priusquam cum hostibus confligerent, postero die post castra posita Nepos praelium commissum esse declamat (*1, 5, 3,* imitatus Isocratem *IV 87,* qui etiam eodem die), Xerxem iter in Graeciam sex mensibus fecisse, reditum triginta diebus (*2, 5, 2,* quadraginta quinque diebus secundum Herodotum *VIII 115*), Alcibiadem quadraginta circiter annos natum diem supremum obisse *(7, 10, 6),* cum quadraginta quinque minimum haberet, Themistoclem litteris sermoneque Persico adeo eruditum esse, ut multo commodius diceretur apud regem uerba fecisse, quam ii possent, qui in Perside essent nati (*2, 10, 1; cf. Thuc. I 138 τῆς Περσίδος γλώσσης ὅσα ἠδύνατο κατενόησε*, Plut. Them. 29 *τὴν Περσίδα γλῶσσαν ἀποχρώντως ἐκμαθών*); alia omnino ficta sunt, uelut iterum omnes Lacedaemoniorum copias ab Iphicrate fugatas esse *(11, 2, 3)* multaque quae omnia diligenter Nipperdey in editione sua maiore notauit. nec minus quod in prooemio plura persequi cum magnitudinem uoluminis prohibere dicit tum festinationem, ut ea explicaret, quae exorsus esset *(§ 8),* aut Epaminondae abstinentiae illustrandae modum adhibendum esse, quoniam uno hoc uolumine uitam excellentium uirorum complurium concludere constituisset, quorum separatim multis milibus uersuum complures scriptores ante se explicassent *(15, 4, 6),* rhetorum scholam sapiunt, qui saepe rerum inopiam tali ratione uelauerunt. at idem, cum in his rebus orationi ornandae ueritatem concederet, a se impetrare non potuit, quin Attici auctoritati obsecutus non solum saepe nomina scriptorum, quibus usus esset, sed etiam rationes egregias, quae ne nunc quidem spernerentur, de pretio eorum proferret; de tempore enim, quo Themistocles in Persidem confugerit, Thucydidem ceteris anteponit, quod aetate proximus de iis, qui illorum temporum historias reliquissent, et eiusdem ciuitatis fuerit *(2, 9, 1; uid.*

1) 9, 5, 1 *accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda quam in aduersa esset fortuna.* 18, 1, 1 *quod magnos homines uirtute metimur, non fortuna*, similia.

supra p. xxv sq.), tum de Alcibiadis moribus aequius iudicat commotus respectu Thucydidis ut 'eiusdem aetatis' et Theopompi ('post aliquanto nati') Timaeique ut in ceteris rebus 'maledicentissimorum' *(7, 11, 1)*. quamquam in Thucydide describendo accurata diligentia etiam hic caruit.

Eadem inconstantia in rebus publicis aestimandis insignis est. ab una parte laudat Miltiadis in Chersonneso tyrannidem (*I 2, 3; 8, 4*, quae re uera crudelissima fuit) uel ex Epaminondae uita intelligi posse praedicat unum hominem pluris quam ciuitatem fuisse *(15, 10, 4)* uel in magnis liberisque ciuitatibus inuidiam comitem gloriae esse, ut Athenis omnes principes a conspectu ciuium suorum recesserint *(12, 3, 3 sq.)*, inuehitur in sua tempora, quibus res publica potentia administretur *(Cato 2, 2)* uel imperatorum *(17, 4, 2)* uel ueteranorum *(18, 1, 2)*, boni pro libertate fortius loquantur quam pugnent *(8, 2, 4; cf. 1, 6, 2)*, probat in Attici uita Augusti imperium, contra rhetorum more eorum uirtutem admiratur, qui tyrannorum nece patriam in libertatem uindicare ausi sint *(20, 1. 8, 1, 2)*, neque ullum imperium tutum esse declamat nisi beneuolentia munitum *(10, 5, 3; 9, 5)* multusque est in mortibus regum uel tyrannorum exornandis et amplificandis, in qua re largam materiam rhetoribus talia opera qualia Phanii Eresii *τυράννων ἀναιρέσεις καὶ τιμωρίαι* Anaximenisque rhetoris *βασιλέων μεταλλαγαί* suppeditabant. similiter materiae proprietate ductus modo honestam mortem turpi uitae praelatam laudat (*12, 4, 3)*, modo prudentiam e grauibus procellis ciuilibus ad incolumitatem peruenientem *(Att. 10, 6)*.

Sed haec diuersitas etiam in ipsa materia conspicitur. nam in aliis ducum uitis res bellicas uel posthabuit uel strictim tetigit, ita ut fabulae aliaeque narrationes longe superarent, at Datamis et Eumenis vitae rerum ordinem paene more historiae explicant et fabularum copia paene omnino uacant, similisque species Dioneae est. nec uersuum numeri grauitati uirorum pares sunt. quid quod regum illorum uitae[1]) praeter Hannibalis omnium longissimae sunt. ex qua disputatione nec multis ex fontibus res conquirere nec summas res eligere nec certam imaginem Nepotem depingere sibi proposuisse adparet.

---

1) Datamis excusat sane longitudinem rerum gestarum et obscuritate et ratione, sed Pelopidae, quem item uulgo ignotum fuisse dicit, uitam uix dimidia parte transegit.

Quae cum res ita sint, de singularum uitarum ordine desinemus mirari. tempora enim sequi Nepos sibi uisus est, etsi non semper accurate tenuit *(cf. Leo l. s. p. 198)*, usque ad Timoleontem *(XX)*, tum appendicem subiunxit, qua Graeciae orientisque reges, qui item imperatorum laude floruissent sed iam in libro 'De regibus' tractati essent, etiam in hoc libro enumeraret. ornandi tamen operis causa arte dicendi cum uel prooemia uel epilogos interponeret, in eis admodum neglegenter uersatus rem turbauit. nam ut transitum a Timotheo ad Datamem *(XIV)* pararet, Iphicratis *(XI)*, Chabriae *(XII)*, Timothei *(XIII)* extremam aetatem imperatorum Atheniensium neque post eorum obitum quemquam ducem in ea urbe dignum memoria fuisse dicit *(XIII 4, 4)*, at undeuicesimum uitarum locum Phocion obtinet, neque, quod facile quis suspicetur, omnes ante Datamem Athenienses fuerunt, etiam Pausanias, Lysander, Dion eis inserti erant. quodsi Hamilcar et Hannibal agmen claudunt, causa et in aetate et in patria posita est *(XXI 3, 5)*. leuitas autem Nepotis etiam ex alia re elucet, qua *(XXI 1, 1)* priusquam de regibus peroret, hos fere fuisse Graecae gentis duces concludit, idem qui antea *(XIII 4, 5)* Datamem fortissimum uirum maximique consilii omnium barbarorum exceptis duobus Carthaginiensibus, Hamilcare et Hannibale, appellauerat, tum post Hannibalem ad Romanos transiturus *(XXIII 13, 4)* 'utrorumque' facta conferri iubet, quo facilius, qui uiri praeferendi sint, possit iudicari, denique Graecos et barbaros, si commodum erat, miscuit.[1])

Haud magnam igitur ex hoc libello de Nepotis ingenio opinionem percepimus. nam quamuis consilium Romanorum ceterarumque gentium illustrium uirorum uitas colligendi, describendi,

1) Quoniam in libris nostris mss. Attici uita iterata cura usque ad mortem perducta est *(uid. infra p. LV sq)*, totum opus a Nepote retractatum esse Wachsmuth *Einleit.* p. 213, Schanz *I*² p. 221, Wissowa *Realencycl.* IV c. 1414, Leo *Biogr.* p. 195 sqq. arbitrati non solum uitas, quae ordinem turbarent, regum, Datamis *(sic Leo l. s.)*, Hamilcaris, Hannibalis, sed etiam *(sic Leo)* inscriptionem singulaque enuntiata, praefationis quoque, ab eo tum interposita esse collegerunt. magnam tamen partem leuitatis et inscitiae etiam sic restare Leo concedit, maxime illa additamenta cum priore cura non esse contaminata, neque quidquam ualet, quod in uita Hannibalis scripsit *(13, 1)* 'Atticum in annali suo scriptum reliquisse.' cf. infra p. LV sq. itaque quae postea in altera editione nouata sint, pro certo diiudicare non audeo neque Nepotis neglegentiae crimina, quae supra in eum congessi, minuere.

ciuium cognitioni subiciendi laudemus et probemus, certa ratione destitutus inter praecepta rhetorica, quae didicerat, curiositatemque, quam in Attico admirabatur, fluctuat et cum res antea parum diligenter considerauerit et digesserit, fortuita cogitatione, lectione, inuentione a uia, quam ingressus erat, facile se depelli passus in miros errores prolabitur, quos si animaduerterit, ut excuset, frustra operam dat.

Hinc ad singula eius opera progrediemur.

Primum fuit chronicorum, de quibus singulare quoddam testimonium Catullus memoriae prodidit, cum carmina quaedam ad Cornelium mitteret *(Chron. fr. 7).* quem quidem Cornelium hunc Nepotem esse Catulli conterraneum Ausonius *(p. 120 Sch. p. 186 P. u. 9)* confirmat. itaque scripsit ea aliquanto ante a. 54/700, quo Catullus ultima carmina edidit paulo post moriturus[1]), atque primus, ad id tempus 'unus' Italorum 'omne aeuum' libris tribus complecti ausus est. Quod tamen laudat poeta doctrinam et laborem, numerorum, nominum, auctorum multitudine animum praestrictum fuisse uel ex eis, quae supra disputauimus, suspicabimur. arripuit enim eum librum, quem ut tum (a. 45/709) de chronologia rerum Graecarum usitatissimum in Attici quidem manibus fuisse Cicero pro certo ponit, Apollodori chronica *(ad Att. XII 23, 2)*[2]), eumque in suum sermonem translatum spreto tamen uersu, quo Apollodorus usus erat, rebus Romanis suppleuit, ut eandem rationem hic subesse E. Rohde coniecerit, quae inter Eusebium et Hieronymum intercedit *(mus. Rh. 36 p. 535).* nam ut Apollodorus sic Nepos *Χρονικά* inscripsit, exorsus ille erat ab interitu Troiae (a. 1184/3), hic Saturni *(fr. 1),* certe Homeri

1) A. 67—64 Schwabe *Quaestt. Cat.* p. 296, cca. a. 65 Baehrens *Catull. II* p. 69.

2) Scymnus qui dicitur uarietatem rerum, quas Apollodorus complexus est, his uersibus laudauit (16 sqq.): *Ἔστι δ' ἃ γράφω τοιαῦτα. Τοῖς ἐν Περγάμῳ | βασιλεῦσιν, ὧν ἡ δόξα καὶ τεθνηκότων | παρὰ πᾶσι ἡμῖν ζῶσα διὰ παντὸς μένει | τῶν Ἀττικῶν τις γνησίων τε φιλολόγων, | γεγονὼς ἀκουστὴς Διογένους τοῦ Στωϊκοῦ, | συνεσχολακὼς δὲ πολὺν Ἀριστάρχῳ χρόνον, | συνετάξατ' ἀπὸ τῆς Τρωϊκῆς ἁλώσεως | χρονογραφίαν στοιχοῦσαν ἄχρι τοῦ νῦν βίου. | Ἔτη δὲ τετταράκοντα πρὸς τοῖς χιλίοις | ὡρισμένως ἐξέθετο καταριθμούμενος πόλεων | ἁλώσεις, ἐκτοπισμοὺς στρατοπέδων, | μεταναστάσεις ἐθνῶν, στρατείας βαρβάρων, | ἐφόδους, περαιώσεις τε ναυτικῶν στόλων, | θέσεις ἀγώνων, συμμαχίας, σπονδάς, μάχας, | πράξεις βασιλέων, ἐπιφανῶν ἀνδρῶν βίους, | φυγάς, στρατείας, καταλύσεις τυραννίδων· | πάντων ἐπιτομὴν τῶν χύδην εἰρημένων.*

Hesiodique tempora *(fr. 2)* tractauerat, ille usque ad suam aetatem (a. 144 uel altera editione 119) descenderat, item hic, cum Catullum, quem iuxta Lucretium suis temporibus principem locum poetarum obtinuisse etiam in uita Attici dicit *(12, 4)*, commemoraret *(fr. 7)*[1]; uterque poetarum rationem habuerat *(fr. 2. 4)* eorumque tempus τῇ ἀκμῇ ('aetate') definiuerat *(fr. 4)*. Haec testimoniis Hieronymi *(fr. 2 in adn.)* et Solini *(fr. 3)* comprobantur, ex quibus etiam hoc elucet usque ad Romam conditam Nepotem spatia temporum et cum Apollodoro olympiadum numero et annorum ante Romam conditam regnoque regum Latinorum finiuisse[2]; postea ad regna regum Romanorum *(fr. 4)* et eis expulsis ad annos ab urbe condita consulesque *(fr. 6)* transiit. Rerum tamen Romanarum quem auctorem in primis secutus sit, eius rei certa indicia desunt, quamquam illud cum probabilitate quadam coniecit Muenzer *(l. s. p. 336)*, cum et Minucius Felix *(fr. 1)* Cassii (Heminae) testimonium cum Nepote coniungeret et Gellius XVII 21, 3, Cassium a Nepote et adhibitum et nominatum esse.

Romae autem cum increbrescenti et latius serpenti litterarum studio tales libri admodum grati fuerint, non mirum est, quod certa Cornelii uestigia apud Ciceronem inuenimus, qui antequam Atticus annalem suum ederet, ad huius chronica confugere solitus est. sic *(uid. Rohde m. Rh. 36 p. 532 sqq.)* de rep. II 10, 18 *Centum et octo annis postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est olympias. — Homerum autem qui minimum dicunt Lycurgi aetati triginta annis anteponunt fere* i. e. a. 914, qua cum ratione Nepos apud Gellium consentit *fr. 2*, et Tusc. I 16, 38, ubi Pythagoram Superbo regnante in Italiam uenisse ponit. nam Gellius *XVII c. 21* 'ex libris qui chronici appellantur

1) Scite et subtiliter, ut solet, de hoc Catulli loco Vahlen (*Sitzungsber. d. preuss. Akad.* XXXVIII [1894] p. 1067 sqq.) ita egit, ut cum Froehnero ultimos huius carminis uersus restitueret: '*Quare habe tibi quidquid hoc libelli | Qualecunque tuo patrone uerbo | Plus uno maneat perenne saeclo*' explicaretque ultimum ex ipsius Nepotis carmine aliquo commendaticio translatum esse.

2) Verba Hieronymi sine dubio ita restituenda sunt, ut Apollodorus Euphorbusque (*Ephorus* coni. Scaliger) loca sua mutent. numeros corruptos esse praeter alia annus (1104 Abr.), ad quem haec uita adscripta est, demonstrat; nam inter Romam conditam (1264 Abr.) et annum 1104 centum sexaginta anni intercesserunt, quod spatium cum Gellio concinit, inter primam olympiadem (1240 Abr.) et a. 1104 anni centum triginta sex. Vide Mueller *Fr. chron.* p. 126 sq. Rohde m. Rh. 36 p. 401 sq.

συγχρονισμούς' Graecorum atque Romanorum uirorum composuit, 'qui uel ingenio uel imperio nobiles insignesque post conditam Romam fuissent ante secundum bellum Carthaginiensium' ibique ter Nepotem, quater Varronem (huius ter librum de poetis) testes adfert. atqui eundem utriusque annos urbis conditae in eodem capite miscuisse recte Vngerus *(m. Rh. 35 p. 13 sqq.)* intellexit. sequitur Gellium non unum aliquem auctorem, qui certa quadam ratione annos digessisset, in manibus habuisse, sed et Nepotem et Varronem, eas igitur notas, quae ab anno u. c. Corneliano, quem Cicero etiam de rep. II 10, 18 secutus est[1]) (postea in Bruto Atticum uel Varronem, u. s. p. XXIIII sqq.), proficiscerentur, ex huius chronicis sumptas esse, i. e. annum pugnae Marathoniae (*§ 9:* 260 p. u. c. + 490 = 750), triginta Atheniensibus praepositorum tyrannorum (*§ 19:* 347 p. u. c. + 404 = 751), belli cum rege Pyrrho sumpti (*§ 37:* 470 + 280 = 750. *cf. Plin. n. h. XVI 36 = Ex. fr. 21).* denique quod in eodem capite § 6 haec Gellius scribit: 'postea Pythagoras Samius in Italiam uenit, Tarquini filio regnum obtinente, cui cognomentum Superbus fuit', et hoc et Ciceronis testimonia ad Nepotem referenda sunt.

Quamquam Attico haec opera parum placuisse uidetur, primum quod ultra Romam conditam in tempora fabulosa escenderat, ut etiam Ausonius, cum apologos Titiani et Nepotis chronica ad Probum praefectum praetorio mitteret, hos alios apologos et instar fabularum esse dixerit *(epist. 16 p. 174 Sch. p. 238 P.)* — Euhemerum autem de illis secutus est *(fr. 1)* —, deinde ab eius doctrina et diligentia omnino abhorruit iunioris amici leuitas, quae et in uitis excellentium ducum et in ipsis horum chronicorum uestigiis a uiris doctis huius aetatis saepe reprehensa est. utut est, sedecim fere annis post Atticus annalem suum scripsit, non solum ab alia annorum computatione exorsus sed etiam spretis omnino rebus dubiis incertisque eisque, quas posuit, diligenter inuestigatis et perpensis.[2]) Nepotis tamen chronica ex usu hominum non expulit. id ipsum, quod res ab ulterioribus temporibus repe-

1) *Nam si, id quod Graecorum inuestigatur annalibus, Roma condita est secundo anno olympiadis septumae* [i. e. a. 750 a. Chr.], *in id saeculum Romuli excidit aetas, cum et q. s.,* ubi ex more illius aetatis pro Nepote huius auctores, Graecos annales substituit, i. e. Apollodorum, quocum Polybius eius aequalis consentiebat; alia eius differentiae exempla ex Ciceronis libris diuersis temporibus scriptis Muenzer Herm. 40 p. 52 sqq indagauit.

2) V. supra p. XXIII sqq.

titae erant, adrisisse ex Velleio *(I c. 1—8)* apparet, quibus simile opus, non Nepotis ipsius[1]), subest. tum uero Plinius in nat. hist. ex eius temporum ratione et Solinus uel quem secutus est auctorem[2]) pendent *(Muenzer p. 334 sqq. Rohde l. s. p. 535 sq.)*, deinde usi sunt chronicis Gellius *(fr. 2. 5)* et Minucius Felix *(fr. 1)*, denique saeculo quarto a chronographis christianis et paganis denuo in lucem protracta sunt *(uid. Auson. ep. l. s. et adn. ad fr. 1. 2)*.

Aliis libris, exemplorum minimum quinque *(fr. 2)* Nepos et curiositati lectorum satis facere et, ubi posset, maiorum moratam sanitatem laudare, retinere, reuocare constituit, etiam hanc rem 'ausus unus Italorum' imitatusque Graecorum παραδόξων ἐθῶν συναγωγάς *(Traube l. s. p. 397. 405. Wachsmuth Einleit. p. 223 sq.)*. Citantur a solis Charisio *(fr. 1)* et Gellio *(fr. 2. 3)*, qui quidem Romanorum quaedam 'pulchra atque liberalia atque magnanima facta' ex eis attulit; quae alia fragmenta sub hoc indice coniungi solebant, pleraque ex Plinii naturali historia sumpta *(21. 24. 22. 25. 18. 19. 17. 20, cf. adn.)* ueterum simplicitatem luxuriae suae aetatis opponunt atque optime huc quadrant. uerum tamen etiam praeter haec undecies Nepotem in nat. hist. a Plinio citatum et in indicibus libr. VII (de gentium mirabilibus figuris, prodigiosis partibus etc.), XII (de arborum naturis) XXXIV (de aeris metallis) inter auctores positum inuenimus, uidenturque illi undecim loci ad ipsam geographiam pertinere, ut a Plinio diuersitate materiae ducto plures Nepotis libros adhibitos esse colligere possis. at hi loci omnes intra eius libros II—VI exstant, quibus de geographia agitur, ceteri, qui ad alias artes spectant, in libris IX, X, XIII, XVI, XXXIII, XXXV, XXXVI, qui libri item ad diuersas. nunc compara Stephanum Byzantium bis et uicies situs urbium uel gentium ex Apollodoro adferre, ut, nisi originem ex chronicis ductam adscripsisset, sine dubitatione de opere eius geographico cogitares. magnus profecto in chronicis patebat campus rerum uarietati, maior in imitatione 'παραδόξων ἐθῶν'. itaque nolui fragmenta ex libro nostro secludere, praesertim cum Plinius ipse in libro V *(fr. 13)* multa 'monstrifica' cum auidissima credulitate a Nepote arrepta et cum situ urbium conexa esse traderet idemque sectator esset exemplorum atque in indice libri VII nouem eorum genera enumerauisset. maiorem fidem ei habuit de Italia superi-

1) Quae sententia fuit Sauppii *(Ausgew. Schrift. p. 48 sqq.)* aliorumque, at u. Rohde *m. Rhen. 36 p. 548 sqq.*
2) De Cornelio Boccho u. infra.

ore ut uerissimo auctori de eo situ, 'in quo ipse prodebat', atque etiam ueriori, quam Cato in originibus fuit, cuius auctoritati ipse Nepos haud raro esse oblocutus uidetur. itaque plura Pliniana ad eum redeunt quam indicata sunt, uelut III 124 et 125 *(Muenzer p. 334 sqq.)*, XVII 3 sq. *(coll. Val. Max. IX 1, 4, Traube l. s. p. 405)*, alia plura *(Muenzer p. 322—333)*.[1]) Denique eius auctoritate usi sunt de Gallorum in Italiam transitu ex O. Hirschfeldi coniectura *(Sitzungsber. d. preuss. Akad. 1894 p. 331 sqq.)* Liuius V 33—34, 5, Pomponius Mela *(fr. 6. 7)*[2]), fortasse Valerius Maximus *(Traube l. s. p. 405)*, Plinius etiam in libris grammaticis, ex quibus libris Charisius fragmentum suum *(Ex. 1)* forsitan prompserit *(cf. Brambach Lat. Orthogr. p. 103 sq.)*, Suetonius *(fr. 5)*, Gellius *(fr. 2. 3, etiam aliis locis tacite, cf. adn. ad Ex. fr. 3)*, Iulianus apud Augustinum *(fr. 4)*; Priscianus, si recte fr. 26 huc insertum est.

Vt autem, quibus annis Nepos in his rebus describendis uersatus sit, statuamus, ab eo commemoratur (Ptolomaeus X) Lathyrus a. 81/673 mortuus *(fr. 6 c. adn.)*, aedilitas P. Lentuli Spintheris a. 63/691 *(fr. 18)*, proconsulatus Q. Metelli Celeris in Gallia Narbonensi a. 62/692 *(fr. 7)*, Mamurra ut mortuus (a. 45/709, *fr. 24*), Augusti res quaedam ex bello Mutinensi a. 44/710 et 43/711 *(fr. 5)*.

Nescio an laudibus antiquitatis per haec exempla dispersis Atticus commotus Nepotem rogauerit, ut de M. Catonis uita et moribus separatim librum faceret, ad quod uolumen studiosos eius in breui adumbratione eius uitae, quam libro de historicis Latinis inseruit, delegat *(3, 5)*; certe etiam hic seueritatis eius censurae luxuriam iam pullulantem reprimentis mentio fit *(2, 3)*. alia testimonia non supersunt. Eodem fere tempore, i. e. post Ciceronis mortem, priusquam ad uiros illustres se accingeret, uitam huius amici compluribus libris exposuit 'studio amoris et amicitiae adductus', ut ait Gellius *XV 28, 5*, qui sua Suetonio

1) V. Detlefsen *Die Beschreibung Italiens in der Nat. hist. des Plin. u. ihre Quellen* p. 33 sqq.

2) Plinius in nat. hist. indice libri II Melam non nominauit, in indicibus librorum qui sequuntur nouies, at uero in textu nusquam. quin tamen ipsum excerpserit, mihi non est dubium, quoniam eius ipsius uestigia quaedam rhetoricae dictionis supersunt, neque quin Cornelii Nepotis auctoritatem Plinius II 169 (fr. 6. 7) ei debeat; nam etiam Hannonis ab utroque cum illa coniuncta est. tum uero libro tertio ad ipsum Nepotem ut Padi accolam (fr. 10) rediit, ut multa deinceps ex eo mutuaretur.

debere uidetur *(Reifferscheid Quaest. Suet. p. 424).* notitia eius libri duobus fragmentis, hoc Gelliano et altero Hieronymi continetur. Eiusdem Ciceronis memoriae et editis eius epistulis suisque aliquot ad eum adiectis consuluit et descriptis sua manu libris quibusdam eius, qui ideo Frontonis aetate 'pretiosiores habebantur' *(p. 20 Nab.).*

Restat ut uirorum illustrium genera per libros digeramus, qui quidem sedecim minimum fuerunt *(fr. 3).* tertio decimo historicos Latinos tractatos esse Gellius testatur *(fr. 14),* neque tamen hoc cum uulgari opinione concinit, qua Graeci priorem locum obtinuisse putantur, nisi numerus corruptus est aut, id quod mihi probabilius est, Nepos Varronis imaginum exemplum secutus primo toti operi praefatus est.[1]) deinde hoc non minus constat reges ante duces positos fuisse. illos enim significat in Dionis uita *(9, 5)* eosque breuiter recenset (uel, ut rhetorice dicit, attingere non uult), quod omnium res gestae separatim sint relatae *(21, 1, 1).* tempora igitur primordiorum singulorum generum esse secutus uidetur. atqui haec sunt apud Suetonium Hieronymumque poetarum, oratorum, historicorum, philosophorum, grammaticorum rhetorumque, similiterque Iuuenalis *(uid. Reifferscheid l. s. p. 422)* in septima satira agit de poetis et historicis (qui 'lecto gaudent et umbra' *105*), oratoribus, rhetoricis, grammaticis. hunc igitur ordinem constituentes poetarum (lib. VI. VII), oratorum (VIII. IX), philosophorum (X. XI), historicorum (XII. XIII), grammaticorum (XIV. XV), rhetorum (XVI. XVII) et historicos Latinos in loco quem attribuit Gellius retinuimus et artes secundum origines, quae quidem apud Graecos fuerint, enumerauimus. nam Nipperdeii coniectura (*praef. p. xxii sq.:* V. VI iurisconsulti, VII. VIII oratores, IX. X poetae, XI. XII philosophi, XIII. XIV historici, XV. XVI grammatici) omni certo fundamento caret, quamquam illud recte uidit Nepotem, quod de Philisto in uita Dionis 3, 2 in eo libro plura exposita esse diceret, qui de historicis Graecis conscriptus esset, haec uerba fecisse totum opus perfectum animo praecipientem, similiaque exempla ex Plutarcho protulit.[2])

Primum editi sunt hi libri 'De inlustribus uiris' — hic enim index fuit — uiuo Attico annis 35/719—33/721, fortasse a. 34/720, ut Nipperdey *p. xxi* probabiliter ex uita Attici coniecit, tum uero

1) Sic etiam Wissowa *Encycl. IV c. 1412.*
2) Frustra obloquitur Vnger l. s. p. 140 sqq.

denuo post eius mortem (32/722) et uictoriam Actiacam, cum Octauianus iam imperator dictus esset *(Att. 19, 2)*, nondum Augustus, i. e. inter annos 31/723 et 27/727, adnexis capitibus aliquot (19—22), quibus ultimam partem uitae mortemque enarrauit, quam quidem alteram editionem descripsit Aemilius Probus *(u. s. p. xxxxi)*.

Sed quamuis multis erroribus hi libri abundarent, ipsa tenuitas elocutionis et breuitas et antiquariis et rhetoribus adrisit. ut igitur omnino Nepos litteris insignis habitus est, qua de causa Herennius Seuerus 'uir doctissimus' initio alterius saeculi p. Chr. n. eius imaginem in bibliotheca sua posuit *(Plin. ep. IV 28, 1)*, sic eadem aetate Suetonius hos libros adiit *(fr. 11. 12. 16. 18)*, per quem eum nouit imitator Hieronymus *(Prol. ad Dextrum in libr. de uir. ill. II p. 821 Vall.)*, qui inter eos, qui de uiris illustribus scripserint, enumerat 'apud Latinos Varronem, Santram, Nepotem, Hyginum'. num Plutarchus Nepotem ipsum inspexerit *(fr. 6. 7. 9. 10)*, mihi dubium est, maxime propter societatem auctorum, quibuscum fr. 6 coniungitur, et propter Valerium Maximum, quocum fr. 7. tum Gellius librum de historicis Latinis *(fr. 14)*, etiam Seruius 'inlustres uiros' citauit *(fr. 8)* et de rebus grammaticis Charisius et Diomedes *(fr. 1—4)*, quibus propter certos locos indicatos primos numeros tribui. Ampelium autem et Aurelium Victorem, cum *de uir. ill.* librum ipse scriberet, similitudine operum ad eum adductos esse consensu quorundam locorum confirmatur.[1]) denique in libris manu scriptis non solum totus liber de excellentibus ducibus exterarum gentium sed etiam praeter uitas Catonis et Attici ex libris de historicis Latinis et de oratoribus Latinis frustula quaedam usque ad memoriam nostram propagata sunt *(fr. 17. 15)*.[2])

---

1) Rosenhauer *Symbolae ad quaest. de fontibus qui inscribitur de uiris ill. urbis Romae,* 1882.

2) De fr. 15 uid. supra p. xxxxv. — Sine causa ad Nepotem rettulit I. Cortese, quae in cartula quadam de A. Postumio inuenerat, cf. Buecheler m. Rhen. 39 p. 623.

L. ATEIVS PRAETEXTATVS PHILOLOGVS[1])

Quae de hoc grammatico, qui ipse Philologi appellationem assumpsit, cognita habemus, paene omnia Suetonio debentur, qui haec de eo tradidit:

(de gramm. 10 p. 107 Rf.) Ateius Philologus libertinus Athenis est natus. hunc Capito Ateius notus iuris consultus inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse ait. de eodem Asinius Pollio in libro, quo Sallustii scripta reprehendit ut nimia priscorum uerborum imitatione oblita, ita tradit: 'In eam rem adiutorium ei fecit maxime quidem Ateius Praetextatus nobilis grammaticus Latinus, declamantium deinde auditor atque praeceptor, ad summam Philologus ab semet nominatus'. — coluit postea familiarissime C. Sallustium et eo defuncto Asinium Pollionem, quos historiam componere aggressos alterum breuiario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas uellet eligeret, instruxit, alterum praeceptis de ratione scribendi. quo magis miror Asinium credidisse antiqua eum uerba et figuras solitum esse colligere Sallustio, cum sibi sciat nil aliud suadere quam ut noto ciuilique et proprio sermone utatur uitetque maxime obscuritatem Sallusti et audaciam in translationibus.

Hinc ueri simile est eum M. Ateio, qui a. 86/668 primus muros Athenienses escendit *(Plutarch. Sulla 14)*, praemio datum et ab eo manu missum esse, deinde a M. Antonio Gniphone (114/640—64/690), praeceptore liberalissimo, Alexandrinam doctrinam suscepisse atque et Graece et Latine doctum fuisse. Locum autem hic obtinet, quod post annos 55/699—51/703, quibus Appium Claudium et Claudium Pulchrum in prouinciam comitatus erat *(Suet. l. s.)*, in familiaritatem Sallustii receptus eius historiam breuiario omnium rerum Romanarum adiuuit, quod ad eum cum honore missum quin etiam in publicum emiserit, non est quod dubitemus (etsi quod unum fragmentum huc pertinere potest, inscriptione caret). contra in ipsa sua arte uersatus est, cum Sallustio 'antiqua uerba et figuras' colligeret, eoque defuncto Asinium Pollionem 'praeceptis de ratione scribendi' instrueret.

1) H. Graff *Mélanges gréco-rom. de l'academie de St. Petersburg* II 274—320, cuius commentarii mentionem apud Goetzium in Pauly-Wissowa Enc. II c. 1911 inueni.

Vitam produxit certe usque ad a. 31/723, quo Asinius historiam aggressus est.

Vtut est, ad historiam excolendam plurimum ualuit, quam ob rem, quamquam certa argumenta deficiunt, duos rerum scriptores antiquitatis studiosos, a quibus eum auditum esse nil obstat quominus coniciamus, ei subnexuimus. prior est

C. SVLPICIVS GALBA

imperatoris Galbae auus, de quo Suetonius Galb. 3: *Auus, clarior studiis quam dignitate (non enim egressus praeturae gradum), multiplicem nec incuriosam historiam edidit.* Natus igitur fuit comparatis consulatuum temporibus filii et nepotis a. fere 75/679. multiplex autem uariaque etiam Atei doctrina a Suetonio dicitur, qui octingentos libros commentariorum uel hyles (ὕλης) scripsit *(Suet. l. s.)*, cum curiositas ad diligentiam apud grammaticum spectet[1]); hac igitur arte historiam ornauit, qua res Romanas ab origine urbis usque ad suam aetatem complexus est *(fr. 1. 2)*. Nouerunt eum Liuius, ex quo Orosius sua sumpsit *(fr. 2)*, Iuba, ex quo Plutarchus *(fr. 1)*, Plinius, qui eum in nat. hist. indice auctorum libri XXXVI nominauit.

(L.) ARRVNTIVS

irridetur a Seneca philosopho *(fr. 1 sqq.)*, quod in historiis belli Punici inepte Sallustii antiquitatem et breuitatem, inductus credo Atei doctrina Sallustiique admiratione, imitatus sit, ut quae apud illum rara fuissent, apud hunc crebra uerba essent et paene continua. atqui idem eum 'uirum rarae frugalitatis' appellat similiterque 'L. Arruntii prisca grauitate celeberrimi fidem' Velleius *(II 86, 2)* praedicat. itaque quoniam ab utroque eundem dictum esse ueri simillimum est, ab hoc autem consulem ordinarium a. 22/732 certum (nam ab eo Sosium seruatum esse addit, *Prosopogr. I p. 143 sq. n. 928*), a L. Arruntio cos. a. 22 illas historias compositas esse magna cum probabilitate sequitur, non a filio cos. a. 6/759, quem ut oratorem clarissimum multum in uita rebusque publicis uersatum et a Tacito laudatum ad illas imitationis ineptias descendisse uix credemus (Schanz II 1² p. 284). Sed nolumus eius uitam longius persequi, quae ab argumento hi-

1) Cf. *quamuis curiose inquirerem* Suet. Vesp. 1.

storiarum longe abest neque quidquam ad eas intellegendas affert; illud sufficiet eum, cum a. 43/711 proscriptus ad S. Pompeium fugisset, tum post pacem Misenensem ad Octauianum transisset atque in pugna Actiaca sinistro eius cornu feliciter praefuisset, post consulatum a. 17/737 etiam quindecimuirum sacris faciundis fuisse, id quod in actis ludorum saecularium *(Prosop. l. s.)* exstat optimeque cum antiquitatis eius studio conspirat. post Senecam Plinius in histor. nat. indicibus auctorum libr. III. V. VI etiam hunc coniunctum cum [Statio] Seboso, scriptore geographico, nominauit, tum eius memoria ingrauescente Liuii auctoritate omnino oblitterata est.

ADVERSARII CAESARIS

MVNATIVS RVFVS

Hi Catonini, ut ait Cicero *(ad fam. VII 25, 1)*, libris suis omnibus M. Catonis Vticensis gloriae ita seruierunt, ut partim in eam sententiam eius uitam enarrarent, partim, maxime in Caesaris obtrectationem, orationis uel dialogi forma uterentur, quorum operae historicae quod aut pauca aut incerta fragmenta uel testimonia supersunt, non mirabimur. prioris generis *σύγγραμμα περὶ τοῦ Κάτωνος* fuit Munatii Rufi, 'Cypriacae expeditionis Catonis fidi comitis' *(fr. 1)*, de quo quae accepimus, in eius tribus fragmentis uel leguntur uel ex eis colliguntur. nimirum quod Canidii (proquaestoris) intentiore Catonis amore se offensum ab eo discessisse, dum a Marcia Catonis uxore concordia restituta esset scribit *(fr. 2)*, re uera huius religione et diligentia eum in opibus suis augendis impeditum esse a Drumanno *(h. R. IV 217)* intellectum est. librum eius legit Valerius Maximus *(fr. 1. uid. Quellen d. Plut. p. 67 sq.)*, per Thraseam Paetum *(u. infra)* Plutarchus cognouit, id quod apertius, quam solet, professus est *(fr. 2. 3)*.

T. AMPIVS BALBVS

Iam cum tribunatu plebis a. 63/691 fungeretur, Pompei auctoritati et gloriae operam suam nauauit *(Vell. II 40, 4)* et postquam praetura (a. 58/696 ut uid.) functus proconsulatum Asiae administrauit *(Borghesi Oeuvr. I p. 271 sqq.)*, de crimine

nescio quo reus ab eodem et a Cicerone defensus *(Cic. de leg. II 3, 6)* bello ciuili exorto enixe Pompei causam iuuit, ut a Caesarianis 'tuba belli ciuilis' appellaretur *(ad fam. VI 12, 3. cf. Caes. b. ciu. III 105)* et a uictore in exilium mitteretur. tum uero Cicero, summa familiaritate necessitudineque cum eo coniunctus, ut ait ipse in epistula quadam commendaticia *(XIII 70)*, operam suam interposuit et per Caesaris familiares effecit, ut ei uenia daretur (a. 46/708, *Klebs ap. Pauly-Wissowa I c. 1978 sq.*). id quod ei ep. VI 12 denuntiat, in qua ut patienter et constanter ipsum diploma expectaret admonens cum ad perfugium doctrinae ac litterarum, quibus semper usi sint, eum reuocat, tum haec scribit *(§ 5): Deinde cum studium tuum consumas in uirorum fortium factis memoriae prodendis, considerare debes nihil tibi esse committendum, quam ob rem eorum, quos laudas, te non simillimum praebeas.* ignotum tamen est, quorum uirorum facta tum (a. 46/708) laudauerit, nam quod Caesari, post mortem scilicet, libro aliquo gratiam rettulit, ipsam constantiam in eo desiderauit *(fr. 1)*.

De M. Actorio Nasone nihil praeter unum fragmentum memoriae proditum est. aequalem eum Caesaris fuisse inde colligitur, quod Suetonius in eius uita Actorium citat, obtrectatorem ex fragmenti argumento.

M. FADIVS GALLVS

Etiam magis dubito, num huic inter rerum scriptores locus sit. is Epicureus, qui a. 51/703 a C. Cassio Longino Ciceroni commendatus est (ad fam. XV 14, 1), summo cum amore et hunc et Atticum colebat et apud illum propter ingenium doctrinamque bene audiebat (ad fam. II 14, 1). ad eum ipsum scripsit epistulas ad f. VII 23—27, quarum uicesima quarta (a. 45/709) ab eo petit, ut Catonem suum sibi mittat, aegre ferens, quod eum nondum legerit, utrique enim hoc turpe esse, uicesima quinta, postquam legit, monet, ut a Caesare caueat, ne in catonium Catoninos mittat ueritus. itaque ne illud quidem exploratum est Catonem Fadianum lucem uidisse.

SCRIPTORES CAESARIANI

L. AVRVNCVLEIVS COTTA

Hunc legatum Caesaris, qui iam a. 57/697 commemoratur *(bell. Gall. II 11)* et hieme a. 54/700—53/701 Ambiorigis proditione etsi inuitus e castris euocatus ab Eburonibus cum militibus fortiter pugnans interfectus est *(V 24; 26— 37; 52)*, de re publica Romana inter arma Latine librum composuisse testis est Larensis[1]) Romanus M. Terentio Varrone oriundus apud Athenaeum *(fr. 1)*, idque ita ut etiam in litteris imperatori suo deditus esset eius simplicitatem uitae laudans, ipsum fragmentum docet. proinde agmen ducat Caesarianorum. utra expeditio Britannica dicta sit, nescitur; secundum Buechelerum *(Fleckeisen. ann. 111 p. 136)*, qui huius scriptoris memoriam resuscitauit, altera, in qua uno tempore amplius octingentas naues a littore a Britannis uisas esse Caesar prodidit *(V 8, 6)*, unde extremis mensibus subito eum librum compositum esse cognoscamus.[2])

L. CORNELIVS BALBVS

Etsi non ante a. 40/714 ad consulatum ascendit, tamen apud Caesarem dictatorem magna gratia et auctoritate usus est,

---

1) De hac forma u. Dessau *Herm. 25 p. 156.*

2) Teuffel p. 385 (et Klebs ap. Pauly-Wiss. II c. 2556) hunc Cottam dictum esse uult etiam a Cicerone ad Att. XIII 44 (mense Iul. a. 45/709): *Etsi acerba pompa. uerum tamen scire omnia non acerbum est uel de Cotta. — Cottam mihi uelim mittas. Libonem mecum habeo et habueram ante Cascam.* primum tamen miscuit duos diuersos homines. prior L. Cotta is fuit, quem fama fuerat quindecimuirum sententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus contineretur Parthos nisi a rege non posse uinci, Caesar rex appellaretur *(Suet. Caes. 79. cf. Cic. de diu. II 54, 110)*; tum Ciceronem, postquam Bruti aduentum, librum quendam ab Attico Varroni traditum, Atticam breuiter commemorauit, ad Cottam pergentem librum quendam dixisse ex seqq. adparet, cumque tum ad libros de deorum natura componendos accesserit, in quibus C. Aurelius Cotta (cos. a. 75/679) academicus partes dialogi sustineat, de libro aliquo philosophiae ab eo scripto uel eius nomine inscripto cogitandum est. de Libonis annalibus, quos Cicero eodem fere tempore a se inspectos esse etiam ad Atticum ep. XIII 30 et 32 scribit, uid. I p. CCCLXIIII sqq., de Cascae alicuius libro nihil accepimus; de Cassio Hemina somniat Boot a. h. l.[2] p. 607.

quam non armis et gloria sed arte et humanitate sibi parauerat. Fuit Gaditanus atque cum contra Sertorium stipendia fecisset, a Pompeio ciuitate Romana donatus, de qua a. 56/698 reus factus a Pompeio, Crasso, Cicerone defensus est, postea ab eius historico Theophane Mytilenaeo adoptatus est. itaque ne ei aduersarius e castris esset, a Caesare impetrauit, ut bello ciuili se abstineret atque togatus urbana officia ei praestaret, omniaque temptauit, ut Ciceronem; quocum arta familiaritate coniunctus erat, a Pompei societate retineret. nec eum deseruit omnibus rebus desperatis ex Graecia in Italiam reuersum. nam illius potissimum opera esse factum uidetur, ut Caesar ei clementer ueniam daret. mansit haec consuetudo cum Cicerone, cuius libros, etiam priusquam foras ederentur, legendi studiosus fuit *(ad Att. 13, 21, 4; 22, 3)*, ad quem aliquot epistulas nobis seruatas scripsit *(ep. ad Att. 8, 15 A. 9, 7 B. 9, 13 A, cum Oppio 9, 7 A)*, itemque amans fuit Varronis *(Cic. ad f. 9, 6, 1)* amicusque cum aliorum Caesarianorum tum Hirtii, qui ad eum librum octauum de bello Gallico misit. Vnum ipsius historiae fragmentum dubium esse potest utrius L. Cornelii Balbi sit; nam etiam minor, maioris fratris filius, item Caesarianus, qui a. 19/735 ex Africa triumphauit, scripta quaedam edidit, praetextam de suo itinere ad L. Lentulum procos. sollicitandum *(u. Ribbeck Röm. Dicht. I² p. 194)* et Ἐξηγητικά *(Macr. sat. III 6,16. Seru. ad Aen. IV 127)*. sed et quod Suetonius *(fr. 1)* addidit '*familiarissimus Caesaris*', aptius de maiore dicitur, et quod in historia Augusta imperator Balbinus originem ducere uoluisse dicitur *(uit. 7, 4)* 'a Balbo Cornelio Theofane[1]), qui per Cn. Pompeium ciuitatem meruerat, cum esset suae patriae nobilissimus idemque historiae scriptor'. Omisi testimonium Sidonii Apollinaris, qui ad Burgundionem scripsit *(IX 14, 7)*: *Eminet tibi thematis celeberrimi uotiua redhibitio, laus uidelicet peroranda, quam edideras, Iulii Caesaris. quae materia tam grandis est, ut studentum si quis fuerit ille copiosissimus, nihil amplius in ipsa debeat cauere, quam ne quid minus dicat. nam si omittantur, quae de titulis dictatoris inuicti scripta Patauinis sunt uoluminibus, quis opera Suetonii, quis Iuuentii Martialis historiam, quisue ad extremum Balbi ephemeridem fando adaequauerit?*

1) Propter adoptationem etiam hoc nomine eum usum esse Capitolinus opinatur. itaque non opus est Cichorii coniectura '*a Balbo Cornelio et a Theof.*' (*Rom u. Mytil.* p. 7).

nam ut apud eum opera Suetonii esse ipsius commentarios constat *(u. Rothii praef. p. CI)*, ita a Sidonio Balbum in prima linea libri octaui belli Gallici pro Hirtio scriptore substitutum esse mihi Nipperdey *Quaest. Caes. p. 36* persuasit.

C. OPPIVS[1])

Oppius equestri loco natus post a. 54/700, ultra quem annum eius memoria non ascendit, coniungitur fere cum Balbo, quocum Caesaris absentis causam Romae ita administrare solebat, ut quae constituissent, rata illi essent. tum Ciceronem et bello ciuili apud Caesarem defendit et cum reuerso familiariter uixit, ut multum ab eo consuleretur et consuleret, maxime post Caesaris caedem, cum ipse aperte ad Octauianum transisset *(ad f. XI 29)*, idem amans Varronis *(ad f. IX 6, 1)*, amicissimus Attico *(ad Att. XVI 2, 5)*. Etiam intentius autem quam Balbi litterarum studium in eo fuisse uidetur. nam non solum Caesarem in litteris dandis adiuuit *(Cic. ad Q. f. III 1, 8)* sed etiam libris scriptis eius laudem auxit, ut uel Plutarchus, si de Caesaris amicis uel inimicis uerba faceret, summa cautione opus esse iudicaret *(Pomp. 10)*, continuauitque etiam pro mortuo eam operam, cum in Octauiani gratiam 'librum ederet non esse Caesaris filium, quem Cleopatra diceret' *(Suet. 52,* qui addidit *quasi plane defensione ac patrocinio res egeret)*. Antonius enim etiam a Caesare eum adgnitum esse senatui adfirmauerat.[2]) Praeterea certa testimonia exstant de uita prioris Africani, in quo libro de diuina eius origine nocturnisque cum Ioue consultationibus narrauerat, ut illa auctoritate res a Caesare uel gestas uel paratas quasi sanciret, id quod etiam alios scriptores conatos esse ex Liuii loco quodam *(38, 56, 1—3. uid. Mommsen Röm. Forsch. II p. 502 sq.)* perspexit. Num Cassii, i. e. eius qui Caesarem interfecit, uitam scribere operae pretium esse duxerit, ut tradidit Charisius *(fr. 4)*, mihi admodum

---

1) G. Thouret *De Cicerone, Asinio Pollione, C. Oppio rerum Caesarianorum scriptoribus*. Stud. Lips. I p. 346—360.

2) Aliter ipse Caesar testatus erat, Nicol. Damasc. fr. 101 c. 20, III p. 440 M.: *οἱ μὲν γὰρ ἔφασκον βασίλειον αὐτῷ ἐγνωκέναι συμπάσης γῆς καὶ θαλάττης Αἴγυπτον ἀποδεικνύναι, ἔνθα βασιλίδα Κλεοπάτραν αὐτῷ παῖδα τεκεῖν Κῦρον* [*Καισαρίωνα?*] *φοιτήσασαν εἰς εὐνήν· ὅπερ αὐτὸς ἤλεγξεν ἐν ταῖς διαθήκαις ψεῦδος ὄν*. Cf. de hac re tum multum trita Drumann h. R. III p. 764 sq.

dubium uidetur, quam ob rem de Caesaris uita cogitaui. certe, etsi ea nusquam citatur, tria fragmenta *(5—7)* aperte ad eum pertinent nec tale opus ab eius indole abhorruisse ueteres opinatos esse hinc apparet, quod quidam bella Alexandrinum Africumque et Hispaniense, quae nunc leguntur, ab eo scripta esse putauerunt *(Suet. Caes. 56)*, quae quidem cum amici Tulliani iudicio elegantiaque omnino non concinunt, ut praesertim cum Oppius nec Africo nec Hispaniensi interfuisset, ab omnibus ei abiudicata sint. Sed de fr. 8 quaeritur, num simili ratione ductus ut Africani ita Marii uitam scripserit, cuius consanguinei mores Caesarem imitatum esse Plutarchus in uit. Mar. 6 testatur, quale opus sane animo concipere potuit. at cuius constantiae Marianae apud Plinium in nat. hist. Oppius auctor est, haec a Plutarcho tam aperte cum Caesare coniungitur, ut facile etiam in huius uita locum suum habere potuerit, Plutarchus autem ex materia de uita Caesaris collecta in Marianam transtulerit. *(Cf. Muenzer p. 364 sq.)*

Ceterum auctoritas eius cum propter Caesaris studium parui ducta sit, mirum non est, quod eius opera non diu manserunt (Charisius enim uix ipsa inspexit) neque quisquam scriptor maiores eorum partes exscripsit, nisi Plutarchus in priore uitae Caesaris parte *(Thouret l. s. p. 347 sqq. cf. adn. ad fr. 7 sq.)*. unum Gellium, quae in eodem capite cum fr. 2 et 3 de Scipionis diuinatione et praesagio adnexuit, ex more suo eosdem fontes adhibere perrexisse paene certum est, ut minutis litteris haec infra addiderim, atque etiam III c. 4, ubi idem 'libros, quos de uita P. Scipionis Africani compositos' se legisse uult, ex Oppio uel Hygino originem ducere ueri simillimum.

Alia fragmenta errore ad hunc Oppium relata sunt. nam quae sub Oppii nomine apud Macrobium Festumque Paulumue exstant, sunt Aurelii Opilii, philosophi, rhetoris, grammatici, cuius fragmenta Egger *Serm. ant. reliq. p. 27* collegit. quod autem Roth p. 379 ut Procilii Oppiique recepit ex Ps.-Asconio *(p. 171 Or. ad Cic. Verr. I 19, 50)*, sermo est de P. Oppii M. Aurelii Cottae, proconsulis Bithyniae, quaestore.

TANVSIVS GEMINVS

Huius certa memoria fragmentis continetur, quibus eum post annum 55/699 *(fr. 3)* et ante Strabonis geographiam res Romanas minimum a Sertorio usque ad suam aetatem scripsisse traditum est, idque mente a Caesare abalienata *(fr. 2. 3)*.[1]) ponenda igitur haec historia est in eorum librorum numero, qui de dictatoris auctoritate siue uiui (ut uult Cichorius apud Schanzium I p. 199, Suetonius enim, cui debemus fr. 2, eiusdem aetatis auctores in imperatorum uitis citare solet, *u. Haupt. op. I p. 71*) siue mortui detrahebant idemque quod libellorum famosorum multitudo spectabant. cui quidem rationi uitam quandam uidetur debere. nam sub imperatoribus libenter ultra Liuium scriptores eruebantur, quibus odium contra eos, a quibus ipsi maligne tractari sibi uiderentur, expleretur. itaque eius notitia ad Strabonem *(fr. 1)*, Plutarchi Appianique communem auctorem *(fr. 3)*, Suetonium *(fr. 2)*, qui singulis locis eum citauerunt, atque etiam ad Senecam philosophum peruenit, cum ad Lucilium scribit *(XV 1 [93], 11)*: *et paucorum uersuum liber est* [Metronactis] *et quidem laudandus atque utilis. annales Tanusii scis quam ponderosi sint et quid uocentur. hoc est uita quorundam longa et quod Tanusii sequitur annales.* unde eos propter abundantiam uerborum male audisse cognoscimus. opponit enim Metronactis philosophi breuem eandemque fructuosam uitam aliorum longae et reprehensae comparatque hanc cum libris amplis multorumque uituperationes expertis.

Atqui Catullus c. 36 Volusi cuiusdam annales acerbissime irridet. Lesbia enim, si poeta secum reconciliatus esset, 'electissima pessimi poetae scripta' igni se daturam esse uouerat, quo quidem uoto ipsius Catulli per iocum significauerat. Catullus autem — eo enim facetiae mihi redire uidentur — ita rem uertit, ut pro suis annales Volusi, 'cacatam chartam, plenos ruris et inficetiarum' Vulcano tradat, quem poetam conterraneum etiam c. 95 insequitur, ubi non ultra Paduam (i. e. ostium Padi) eius annales propagatum iri amicturosque scombros uaticinatur Antimachumque tumidum propter uerbositatem eum appellat. hinc Muretus, Hauptius *(l. s.)*, R. Vnger *('De Tan. G. annalium scriptore' in*

1) Fr. 4, si est Tanusii (non Cingii uel Cincii), uidetur in transursu nundinarum mentionem iniecisse.

progr. gymn. Friedland. 1855)[1], L. Schwabe *(ap. Fleckeisen. 129 p. 380)* multique alii, partim dubitanter, partim fidentius a Catullo Tanusium Volusii nomine, quod eodem uocabuli exitu, eadem mensura uteretur, dictum esse concluserunt, suntque multa, quae huic coniecturae faueant, maxime, quod Senecae iudicium nanciscitur quo explicetur. uerum tamen historia Tanusii sermone pedestri scripta, quo rem a. 55/699, usque ad quem Catulli consuetudo cum Lesbia non durauit, factam narrauit, ab annalibus 'pessimi poetae' distinguenda nec eundem adulescentem res Romanas uersibus, aetate prouectum oratione persecutum esse uerisimile est. recte igitur P. E. Sonnenburg[2]) adstipulantibus A. Riesio et Aem. Baehrensio Catulli interpretibus omnino non habuisse eum, cur Tanusii nomen obscuraret, monuit ceteraque aduersariorum argumenta infirmiora esse quam uisa essent. quae cum res ita sint, ex testium Tanusii historiae numero Catullus eiciendus est, Senecam autem aut aliud de Tanusio dictum in mente habuisse censendum, id quod probabilius est, aut illius cacatam chartam ex confusione a Volusio ad eum transtulisse.

M. IVNIVS BRVTVS EIVSQVE LAVDATORES

Vt nunc ad eos pergam, qui Caesaris causam impugnauerunt, primus locus Bruto (praetori in Gallia cisalp. 46/708, urbano 42/712, mort. 42/712) dandus est, quamquam litterarum telo non est usus. continuit enim se historicae scriptionis genus intra epitomas quas fecit, Polybii, Coelii Antipatri, Fannii, amplitudine uerborum ad eos delatus, cum, quae erat eius indoles breuitatis studiosa, magis res quam uerba spectaret, ad Coelium fortasse etiam iuris scientiae societate *(Cic. Brut. 26, 102).* in hac autem re tanta industria uersatus est, ut ne in militia quidem eam intermitteret atque ante ipsam pugnam Pharsaliam, cum alii propter calorem corpora curarent, usque ad uesperum Polybii epitomae componendae operam daret *(Plut. Brut. 4).* Notitiam harum epitomarum debemus Coelianorum — haec enim uera inscriptio fuit — Ciceroni, qui a. 45/709

1) Haec copiosa disputatio maxime ad Catullum coniecturis temptandum et explicandum pertinet.

2) *Der Historiker T. G. und die annales Volusii* in *Histor. Untersuchungen Arn. Schäfer gewidmet* p. 158—165.

ab Attico ea petit *(ad Att. XIII 8)*, eidemque Fannianorum (*fr. 1. ad Att. XII 5, 3,* a. 46/708)[1]), Polybianorum Plutarcho *(Brut. 4)*, Coelianorum *(fr. 2)* nescio quo casu etiam ad Charisium peruenit.

L. CALPVRNIVS BIBVLVS

Bruti uitrici memoriae consuluit etiam priuignus, minimus natu filiorum, quos Porcia priori marito M. Calpurnio Bibulo (cos. a. 59/695) pepererat, qui cum primum agmen ex Asia cum Rhascupoli in Macedoniam duxisset, pugnae Philippensi interfuit, tum in insula Thaso Antonii ueniam impetrauit, deinde ab eo classi praefectus est, denique praetorius post annum 34/720 legatus Syriae fuit, ubi sub tempus pugnae Actiacae mortuus est *(Drumann II p. 105 sq.)*. Libellum quendam eius commentariorum Bruti Plutarchus Brut. 13 commemorauit (*Καί τι βιβλίδιον μικρὸν ἀπομνημονευμάτων Βρούτου γεγραμμένον ὑπ' αὐτοῦ διασώζεται*) et quaedam ex eis inseruit, quae ad consuetudinem matris uitricique pertinent. forsitan etiam alia eiusdem generis ex eis siue ipsis siue per alium auctorem originem ducant, ueluti c. 13. Clementia igitur Antonii eius pietatem non repressisse uidetur.

P. VOLVMNIVS. EMPYLVS

In cohorte ipsum M. Brutum usque ad finem secutus est P. Volumnius, qui philosophus idemque contubernalis eius in militia ab initio a Plutarcho *(fr. 1)* dicitur, ut idem fuisse non potuerit atque Volumnius Flaccus familiaris D. Bruti *(Cic. ad f. XI 12, 1; 18, 1)*. Is commentario mortem amici cum pietate et ueneratione persecutus est, quam gratam memoriam Plutarchus arripuit contaminauitque cum M. Valerii Messallae Coruini memoria, nisi iam alius auctor ei hanc operam subministrauit. nam et solus eius auctoritatem appellauit et narrationi suae, in ceteris rebus paene ad uerbum cum Appiano concinenti, eius personam interposuit[2]); itaque praeter locos fragmentorum etiam ea quae sequuntur de Volumnio cum Dardano satellite et de Statilio speculandi causa progressis dictoque quodam Bruti de siti

1) Quod Boot a. h. l. *Brutus ex Fannio* coniecit, citandi morem ignorauit; nam ex Fannio sua Brutum sumpsisse Cicero dicit etiam cum scripsit *Brutus et Fannius* ut fr. 2 *Brutus et Coelius*.

2) *Quell. d. Plut. p. 137 sqq.* C. Wichmann *De Plut. in uit. Brut. et Antonii font. p. 42 sqq.*

consolantis et de Bruti precibus, ut mortem suam adiuuaret, alioque dicto, cum abnuisset, quo non pedibus sed manibus fugiendum esse respondisset *(c. 51 sq.)*, ad eum referenda sunt *(u. infra LXXXI sq.)*.

Idem argumentum laudandi Bruti sibi proposuit Empylus, rhetor familiarisque eius, de quo haec memoriae tradidit Plutarchus *(Brut. 2)*: *Ὁ δ' Ἔμπυλος, οὗ καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς καὶ οἱ φίλοι μέμνηνται πολλάκις ὡς συμβιοῦντος αὐτῷ, ῥήτωρ ἦν καὶ καταλέλοιπε μικρὸν μέν, οὐ φαῦλον δὲ σύγγραμμα περὶ τῆς Καίσαρος ἀναιρέσεως, ὃ Βροῦτος ἐπιγέγραπται.* uidetur idem fuisse cum eo (nomen enim rarum fuit), qui secundum Ciceronem iuxta Metrodorum Scepsium et Hortensium acri studio id consecutus erat, ut memoriter quae excogitauerat, ad uerbum in agendo referret; Rhodium eum fuisse inde cognouimus *(Quint. X 6, 4)*. Plutarchum autem eum non solum inspexisse sed etiam eum secutum esse Caesaris caedem narrantem caute *(Quell. d. Plut. p. 140)* suspicatus eram, certius Wichmann *(l. s. p. 9 sqq.)* uitae Bruti c. 7—17 et Caesaris 62—66 ex eo petita esse proposuit.[1])

Q. DELLIVS

Notus est facetiis Messallae Coruini, quas Seneca *(suas. 1, 7)* memoriae prodidit: *Bellissimam tamen rem Dellius dixit, quem Messala Coruinus desultorem bellorum ciuilium uocat, quia ab Dolabella ad Cassium transiturus salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset; a Cassio deinde transiit ad Antonium, nouissime ab Antonio transfugit ad Caesarem. Hic est Dellius, cuius epistulae ad Cleopatram lasciuae feruntur.* quod crimen artis desultoriae a Velleio *(II 84, 2)* confirmatur. ad Octauianum autem transiit sub ipsam pugnam Actiacam Antonii consilia prodens *(Dio 50, 13, 8; 23, 1; 3)*, eumque ab eo inter amicos receptum esse Seneca *(de clem. I 10, 1)* testis est. neque tamen in ulla re inter eos nominatur, nisi ab Horatio, qui non sine causa eum honore carminis *(II 3)* post

1) Tertius addendus esset Strato Epirota (App. b. c. IV 131), *ὁ ἀπὸ λόγων ῥητορικῶν γεγονὼς αὐτῷ συνήθης* (Plut. Brut. 52), ut uoluit A. Hillscher (Fleckeiseni Suppl. XVIII p. 392 sq.), nisi quae de eo Brutum in morte adiuuante cum loquacitate proferret Plutarchus l. s. ex Messalla sumpta esse uiderentur; huic autem familiaris fuit (Plut. c. 58); sermone igitur cum eo talia colloqui potuit.

Sallustium *(II 2)* esse prosecutus uidetur *(u. Porphyr. et Kiessling. ad II 3)*. saepius in Antonii historia commemoratur, cuius et inter delicatos fuisse dicitur *(Dio 49, 39, 2)* et postea Cleopatra cum omnibus illecebris in Ciliciam perducta *(Plut. Ant. 25)* eius libidiuibus seruiit (*cf. Ioseph. ant. Iud. XV 2, 5 sqq.*). sed etiam in Iudaeorum rebus ordinandis ei sollertiam suam et dicacitatem praebuit[1]), maxime tamen in bello Parthico, cui ducis munere ornatus interfuit *(fr. 1)*.

Huius uberrimam narrationem habemus apud Plutarchum in uita Antonii c. 33—34 et 37—54.[2]) atqui Strabo, qui in Caucasi descriptione a Theophane maximam partem pendet[3]), a Dellio hoc bellum descriptum esse tradidit *(fr. 1)* et idem stadiorum spatium Antonium emensum esse a Zeugmate usque ad fines Medorum *(XI 13, 4)*, quod Plutarchus priusquam ad Armeniam perueniret (*c. 38*, ex confusione opinor), et eundem numerum equitum ferratorum ei Artauasdem praebuisse *(XI 14, 9)*, quem Plutarchus *(c. 37)*[4]), tum uterque eodem loco hunc regem Armeniae et auctorem funestae cladis proditione sua fuisse et sero eius poenas soluisse.[5]) denique Plutarchus dictum eius quoddam ita adfert, ut historiam ei cognitam fuisse adpareat (etsi num eum locum recte in fragmentorum numerum, 2, receperim, dubito).[6]) itaque iam Heerenius p. 181 sq. eum in hac expeditione narranda Dellium secutum esse coniecit, cui ipse adsensus sum *(Quell. d. Plut. p. 144 sq.)*, aliique, Buercklein et Fennema, hoc argumentis confirmauerunt. quid quod omnis eius memoria, quam nunc habemus, ad eum redire uidetur, ita tamen, ut ipsa materia, Delliana opinor, a Liuio, quem in uniuersum satis ex adseclis cogno-

1) Joseph. ant. XIV 15, 1. XV 2, 5. bell. Iud. I 15, 3. De dicacitate cf. fr. 2. Seneca suas. 1, 7.

2) Vid. A. Buercklein *Quellen u. Chronologie der röm.-parth. Feldzüge 713—718.* Diss. Lips. 1879. H. Ten Cate Fennema *Quaestt. Parthicae*, Diss. Lugd. 1882.

3) Vid. W. Fabricius *Theophanes von Mytilene u. Q. Dellius als Quellen der Geographie des Strabon.* Strassburg 1888.

4) Buercklein p. 14. Fennema p. 11 sq. De diuerso numero in c. 50 u. Fennema p. 12.

5) Strab. XI 13, 4. Plut. c. 50. u. K. I. Neumann in Fleckeis. Suppl. XIII p. 335.

6) Fabricius p. 220 sqq. praeter nostrum (fr. 8 apud eum) decem fragmenta ex Strabone eruisse sibi uisus est: XVI 2, 8 (1. 2); 1, 28. XI 3, 5; 14, 9 (5. 6); 13, 4; et 14, 15 et XVI 1, 28 (7. 9). XI 14, 6; 13, 2 (10. 11).

scimus *(u. Fennema p. 5—9)*, a Cassio Dione *(49, 23—31)*, a Velleio *(II 82; 91, 1)* in Octauiani mentem plus minusue infecta sit. omitto nunc quaerere, num ipsum Dellium Plutarchus adierit (per Nicolaum Damascenum censet Gutschmid *Iran* p. 97 [1]), illud constat eius narrationem Antonio maxime fauere, quae possit excusantem uel defendentem *(Mommsen Hist. Rom. V p. 367)*. nam in ea cum Cleopatrae ueneno et arte agatur *(cf. praeter al. locos c. 37)*, tum Artauardis proditione in perniciem trahitur *(cf. c. 39. 50)*; ipsum ingens militum amor amplectitur, in quo exornando multus est Plutarchus, omniaque ad eum referuntur, ut quae ante eius expeditionem in oriente contra Parthos ab eius legatis administrata sint, aut breuiter memorentur aut taceantur, genus ab Hercule deducitur *(c. 36)*. denique quod non solum uiginti septem dierum iter a Praaspis usque ad Armeniam fuisse *(c. 50)* sed etiam quo die quaedam gesta essent, scripsit *(c. 41. 42. 49)*, cum hoc a Plutarchi more abhorreat, commentariorum formam retinuisse uidetur. Quamquam Dellio propius fuit Theophanem patrem imitari, qui Pompei res in oriente gestas in Alexandri Magni similitudinem auxerat et exornauerat *(cf. Quell. d. Plut. p. 114 sqq.)*. at etsi quaedam partes artem rhetoricam redolent (maxime c. 43 et 44), simplicius tamen filum texuisse uidetur, res magis et numeros quam ornamenta spectans Xenophontisque anabasin aemulatus, cuius decem milia Antonius de suo reditu paene desperans felicia praedicat apud Plutarchum *(c. 45)*, forsitan, ut etiam maiores quam quos labores illi tulissent, a Romanis sustentatos esse demonstraret. Etiam sermo eius uidetur fuisse Latinus, non Graecus ut Theophanis *(Sieglin in Hirschfelderi actis phil. III c. 1454)*.

Quo tamen tempore Dellius in his commentariis scribendis uersatus sit, res est ambigua; ne illud quidem discerni potest, utrum ante bellum Actiacum an post. uirtutis Antonii laude ad illud trahimur. sed cum Cleopatrae omni ratione obtrectetur, cuius insidias dicacitate sua offensae timebat *(fr. 2)*, eius autem iram breui ante ipsam pugnam contraxerit (quod ni ita esset, iam antea ad Octauianum fugisset), sub Augusto eos in publicum editos esse ueri similius est, praesertim cum Dellius ante discrimen

1) Fabricius p. 220 sq. ne Strabonem quidem geographiam scribentem Dellium ante se habuisse uult, sed tum tantum, cum commentarios.

illud mercennariis per Macedoniam et Thraciam colligendis occupatus esset atque etiam ultionis Artauardis a. 34/720 repetitae mentionem fecisset *(u. s. p. LXXII)*. nec talia, quae scripsit, Augustum aegre tulisse putauerim. fato enim Antonium consilio prudentiaque carentem in exitium pulsum esse demonstrant neque quidquam iuuisse uim consilii expertem. certe per ipsum bellum ille res uere gestas Romanos celauerat atque clades pro uictoriis uendiderat *(Dio 49, 32, 1 sq.)*, a quibus mendaciis Plutarchus uel Dellius longe recedunt.[1])

IMPERATORIS CAESARIS AVGVSTI

DE VITA SVA[2])

Augustus non solum ipsam rem publicam denuo constituit, sed etiam ut historiae ipsius omnino studiosus erat *(cf. Liu. IV 20, 7. Gesch. Litt. I p. 81 sqq.)*, eius operis memoriae diligenter consuluit. itaque si quas res egregie gesserat, eas quales uideri uellet, libris libellisque in publicum edendas curare solebat, tum uero cum finem uitae appropinquare sentiret, et testamentum et indicem rerum a se gestarum, quem uellet incidi in aeneis tabulis ante Mausoleum suum, et breuiarium totius imperii sua manu perscripsit *(Suet. Aug. 101. Tac. ann. I 11)*, quae post mortem publicarentur. simili tamen sollicitudine iam ex Cantabrico bello Romam reuersus cum uexatus esset, a. 23/731 praeter testamentum libellum composuit, quo *αἵ τε δυνάμεις καὶ αἱ πρόσοδοι αἱ κοιναί* continebantur *(Dio 53,30)*, quem Cn. Calpurnio Pisoni collegae in consulatu tradidit, eodemque tempore etiam libros de uita sua, qui quidem eundem locum tum obtinebant, quem triginta fere sex annis post index rerum in aere incisus. neque enim alia causa esse uidetur, cur tum in scribendo substiterit, nisi cum deficerent ipsae res, etiam tum in Hispania haud ita gloriosae. hoc autem Suetonii testimonio *(c. 85)* constat eum 'aliqua de uita sua Can-

---

1) Vsque ad pugnam Actiacam Dellium in scribendo peruenisse Buercklein l. s. suspicatus est, sine ulla causa, etsi Fabricius p. 9 sq. adsensus est.

2) Vid. A. Weichert *Imp. Caes. Aug. scriptorum reliquiae* Vol. I p. 194—232. J. Plew, *Quellenuntersuch. zur Gesch. d. Kaisers Hadrian* p. 100 sqq. *Geschichtl. Litt. d. Kaiserz.* I p. 455 sqq.

tabrico tenus bello nec ultra' composuisse, id est usque ad annum 25/729, ultra quem Augustus ei non interfuit quoque iterum ab eo Ianum clausum esse constat *(Mon. Ancyr. ed. Mommsen² p. 50).*[1]) Libris ea complexus est tredecim *(Suet. l. s. Suid. I p. 851 Bhdy)* inscripsitque patrem ex parte imitatus 'Commentarii uitae suae' *(cf. fr. 5. 6. 8. 13. 14. 17. 18),* fortasse addens 'ad Agrippam et Maecenatem' *(fr. 6),* ut et gratum animum significaret et ad eorum testimonia narrationem suam referret. Ipsum opus non habebat, cur excusaret, nam etiam tum hoc fiduciae potius morum quam adrogantiae esse *(Tac. Agr. 1)* potuit arbitrari uel uideri se arbitrari, nec illud a consuetudine abhorrebat Rutilii, Scauri, Caesaris dictatoris, ut quasdam res tacendo oblitteraret, alias obscuraret uel mutaret uel defenderet uel augeret uel exornaret. erant autem multa, ad quae, ut cum Seneca loquar *(de clem. I 11),* ipse inuitus oculos retorquebat, maxime res a tribus uiris gestae, quas quantum ipse aspernatus sit atque a sua persona reiecerit, fr. 11 aperte demonstratur *(Plew l. s. p. 116 sq.).* sed quanta cum arte in ea re uersari potuerit, ex monumento Ancyrano manufestum est *(Geschichtl. Litt. I p. 456 sq. Gardthausen Aug. I p. 1284. II p. 87),* quod annum septuagesimum agens composuit, cum 'dignitate omnibus praestaret' *(Mon. Anc. c. 34).* latius hercle liberiusque iuuenis quadragenarius in uita sua proponenda exspatiari poterat, in qua, ut plura recenti inuidia flagrabant, ita ad eam exstinguendam plura remedia suppetebant, non modo ingenii atque sagacitatis sed etiam artis dicendi ex rhetorum disciplina petita. Itaque quae in indice silentio transiit, in uita copiose exposuerat, diuino consilio se ortum *(fr. 2)* et seruatum esse *(fr. 10)* animamque patris Caesaris inter deorum immortalium numina esse receptam *(fr. 4),* quacum ratione fere congruit, quod illic exercitum priuato consilio priuataque impensa a se comparatum remque publicam dominatione factionis oppressam in libertatem uindicatam esse gloriatus est *(c. 1)* omniaque ad se suamque laudem reuocauit. deinde cum illic res a se gestas capitulatim quasi ex superiore loco perlustraret et comprehenderet, hic eas eo, quo gestae erant ordine persequebatur et ante oculos eorum, qui legerent, explicabat, quod ut efficeret, Caesarem imitatus ne orationibus quidem carere uoluit, quarum exemplum artificiosum

---

1) Nescio quo iure Nissen in mus. Rhen. 41 p. 492 libros usque ad annum 27/727 i. e. usque ad principatum constitutum pertinuisse dicat.

in fr. 11 exstat. tum et aliorum laudes illa aetate omnibus satis cognitas cum sua coniungebat misitque uitam ad Agrippam et Maecenatem in monumento Ancyrano omissos et crimina, quae abluere non posset, in alios transferebat, uelut Ciceronem a se ipso maximi habitum esse simulabat *(fr. 6. 7)*. denique etiam res priuatas tractauit excusans diuortium cum Scribonia factum *(fr. 12)*. haec rerum expositio sermonis elegantia et subtilitate commendabatur. diligenter enim a Iulia auia et ab Atia matre educatus ab Apollodoro Pergameno et Romae et Apolloniae rhetorum praeceptis institutus erat, qui cum a Caesare dictatore ad id munus uocatus esset, eius simplicitatem *(Martial. XI 20)* in scribendo eum imitari iussit, idque ei feliciter successit; nam et Caesaris elegantia[1]) a Cicerone *(Brut. 72, 252)* laudatur et Augusti a Frontone *(p. 123 Nab.)* Suetonioque, addente 'praecipuam curam eum duxisse sensum animi quam apertissime exprimere' *(c. 86)*, qui quidem de quo libro aptius iudicare potuerint quam de uita non uideo; in epistulis aliter scribere solebat. documenta tamen eius in commentariis scribendi rationis unum habemus in fr. 4 idque tenue.

At propter res narratas frequenter scriptores hunc fontem adierunt, partim eius auctoritate, partim adulatione, partim aliorum inopia adacti, in quibus enumerandis temporum ordinem sequar. primus eius librum Nicolaus Damascenus in suum transtulit, quo 'amici' sui etiam uiui uitam exposuit, id quod et ex uniuerso genere scribendi et ex consensu cum Velleio et Suetonio satis apparet; omnia enim animo et mente occupatus ad eius laudem gloriamque rettulit *(Gesch. Litt. I p. 401 sqq.)*. Non minus multus in ea re Velleius fuit (a. 30/783), cuius certa quaedam uestigia *(u. adn. ad fr. 1. 8. 10)* item ad Augustum ducunt *(Gesch. Litt. I p. 382 sqq. E. Schwartz Herm. 33 p. 213)*. citauit tamen eius uitam primus Plinius in naturali historia *(fr. 4)*, praeterea ea usus II 24, ubi de omine quodam sermo est *(fr. 20)*, fortasse etiam 34, 58 *(diuos Augustus admonitus in quiete)*, tum Suetonius eam inter Augusti libros recensuit *(uit. 85)*, etsi eis quae ex ea inseruit fragmentis originem non adscripsit *(fr. 1. 9. 12. 16. 19. [21. 22. 23])*; etiam plura ei nomine omisso debet, maxime in uitae cap. 91. 92. 94, quibus et somnia uel ipsius uel aliena

1) *'formelle u. logische Korrektheit'* Woelfflin *Ber. d. Bayer. Ak. philos.-philol. u. hist. Cl.* 1896 p. 161 sqq.

de ipso, auspicia ominaque resque enumerauit, 'quibus futura magnitudo eius et perpetua felicitas sperari animaduertique posset' *(cf. adn. ad fr. 2. 4. 10. 20)*. accedimus ad tres scriptores Graecos, Plutarchum, Appianum, Cassium Dionem, qui quamquam primus duobus locis de quinque *(fr. 6. 7. 8. 10. 15)*, alter omnibus tribus *(10. 11. 13)* commentarios citant, tamen eos ipsos non omnibus exscripsisse uidentur. neque enim illud casu accidit, ut uterque eodem loco *(fr. 10)* idem ad eos reuocarent. atque Plutarchus quidem quin in Augusti uita commentarios eius ante oculos habuerit, uix dubitatur, in Bruti tamen, Ciceronis, Antonii eis uti non potuit nisi hic illic, ut quae ex eis nominatim afferat, siue suis excerptis siue alienis debere uideatur, quod quidem de fr. 10 certum est.[1]) intricatior res est apud Appianum, a quo qui auctores primarii de bellis ciuilibus descripti sint, etiam nunc ignorari ex Ed. Schwartzii disputatione *(Pauly-Wissowa II c. 222—237. uid. infra p. LXXXVII sqq.)* intellectum est. Soltauio tamen eum diuersos contaminandi facultate caruisse contra eum neganti *(Phil. Suppl. VII p. 595—633)* adstipulor; itaque etsi fr. 10 laudationem commentariorum Augusti ex alio quodam auctore ab eo descriptum esse statuimus, in Illyricis tamen se eos adiisse ipse profitetur *(fr. 13. cf. Plew l. s. p. 111. Soltau l. s. p. 605 sqq.)*, neque est cur colloquium L. Antonii et Octauiani *(fr. 11)* cum Ed. Schwartzio *(l. s. c. 232. Herm. 33 p. 209)* secundum magistratuum commentarios uel acta eaque falsa libere retractatum et more suo rhetorico exornatum esse censeamus. inter Augusti igitur commentariorum fragmenta etiam hoc recepimus[2]), eosque etiam per ceteram narrationem belli ciuilis librorum III—V magis magisque pro fundamento ei fuisse uel ipsos uel per alium auctorem suspicamur, ut in quinto etiam totum se eius auctoritati addiceret.[3]) de Dione plura uerba facere suspersedeo, quoniam Wilmansii opinio a media decade quinta usque ad librum quinquagesimum

---

1) *Quellen d. Plut.* p. 130 sq. 136 sq. 145 sq. Laudatio Marcelli generi in uita Marc. 30 et in comp. c. 1 citata est illic cum quattuor, hic cum duobus auctoribus coniuncta; uid. *Quell. d. Plut.* p. 75.

2) Sic etiam Soltau l. s. p. 603 sq., qui p. 604 etiam tabulam proscriptionis IV 8—11 ex eis originem ducere opinatur, de qua item Appianus *ὧδε μὲν εἶχεν ἡ προγραφὴ* (cf. I 2) *τῶν τριῶν ἀνδρῶν, ὅσον ἐς Ἑλλάδα γλῶσσαν ἀπὸ Λατίνης μεταβαλεῖν.*

3) Cf. infra p. LXXXXIV sq. Weichert *l. s. p. 209 sqq.* Soltauii coniecturas uide apud ipsum.

tertium eum Augustum secutum esse arbitrati nunc ab omnibus inprobata est; nam qui occurrit consensus, a Liuio repetendus est, quem fautoris sui testimonia non neglexisse per se intellegitur.[1])

Denique per uarios riuos fragmenta singula ad Tertulliannm *(fr. 2)*, Digesta *(17)*, Isidorum *(24)*, duo ad Seruium auctum *(5. 14)* peruenerunt, sed qui illi fuerint indagare et longum et superuacaneum est; hoc unum addam cum ceteras res ab Augusto memoriae proditas apud posteros graui auctoritate floruisse tum omina, quibus maiestatem suum confirmasse sibi uisus erat, praecipua cura propagata *(cf. Plew l. s. p. 111 sqq.)*. Pluribus uerbis opus est de fr. 18, quod in ea retractatione Pseudo-Plinii, qui dicitur, inuentum est, quam Albanus Torinus in editione Basileensi (1528) edidit inscripsitque 'C. Plinii Secundi de re medica libri V'. atqui cum et in hoc capite et apud alios scriptores medicos multa remedia oculorum congesta sint, apud Plinium in naturali historia triginta fere, nullum tamen in omnibus partibus accurate cum hoc concinit aut ad Augusti commentarios refertur. retractationem autem illam sexto fere saeculo ex antiquis auctoribus compilatam esse Val. Rose, uir harum scriptionum peritissimus, arbitratur *(Herm. VIII p. 39 sq. 60 sqq.)*, nihilo minus num uere illud fragmentum ex illis commentariis haustum sit, uehementer dubito. nam Scribonius Largus, qui sub imperatore Claudio in compositionibus suis plurima collyria collegit *(c. 19—38)*, nihil aliud cognitum habuit nisi Augustum usum esse medicamento aliquo *(c. 31)*: 'Bene facit ad hoc medicamentum, quo Augustus usus est, et recipit hoc' (ex eo ad uerbum cum Augusti mentione Marcellus anno fere 408, *c. 8, 10 p. 62 Helm. cf. 20, 115 p. 211 Antidotum Hadriani, quo utebatur Caesar Augustus, quae potio dat omni corpori fortitudinem)*, quae compositio etsi quasdam partes cum Pseudo-Plinio communes habet, ut etiam duae quae

1) Cf. Haupt. Philol. 43 p. 595 sqq. In fragmentis meis hist. Rom. p. 258 etiam hic locus Cassii Dionis 48, 44 exstat: *Συνοικοῦσα δὲ ἤδη ἡ γυνὴ [Liuia] τῷ Καίσαρι τίκτει Κλαύδιον Δροῦσον Νέρωνα. καὶ αὐτὸν ὁ Καῖσαρ καὶ ἀνείλετο καὶ τῷ πατρὶ ἔπεμψεν, αὐτὸ τοῦτο ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐγγράψας, ὅτι Καῖσαρ τὸ γεννηθὲν Λιουίᾳ τῇ ἑαυτοῦ γυναικὶ παιδίον Νέρωνι τῷ πατρὶ ἀπέδωκεν.* Sed iam Schmidt *(Zeitschr. f. Geschichtswiss.* I p. 333) et Huebner *De act. p. R.* p. 602 eum ex diurnis depromptum esse putauerunt; cf. Dion. 44, 11, 3 *ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐγγραφῆναι ἐποίησεν κτλ.* 57, 12, 2 *ὥστε — καὶ τοῦτο καὶ ἐς τὰ δημόσια ὑπομνήματα ἐσγράφεσθαι* (de Liuia). 60, 33 *καὶ τοῦτο καὶ ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐσεγράφετο* (de Agrippina).

sequuntur, tamen in uniuersum omnino aliae sunt. itaque illa Augusti apud Scribonium uel Marcellum mentione 'Pseudo-Plinius' quinque triumue saeculorum spatio post inductus esse mihi uidetur, ut et nouum medicamentum ad caligines oculorum sanandas ex obuiis partibus componeret (etiam pyxin Cypriam apud Scribonium c. 37 habemus) et, cum 'et recipit hoc' cum eo uerbo quod antecedit 'usus est' coniungeret et perperam intellegeret, commentariorum auctoritate gloriaretur. neque tamen ex Augusti fragmentorum numero ut in lubrica hac de Pseudo-Pliniorum personis quaestione hoc omnino explodere ausus sum.

Superest ut alterius operis historici testimonium quod unum habemus proponam: *Suet. Claud. 1 Quod equidem magis ne praetermitterem, rettuli, quam quia uerum aut ueri simile putem, cum Augustus tanto opere et uiuum [Drusum a. 9. 745 in Germania mortuum] dilexerit, ut coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in senatu professus est, et defunctum ita pro contione laudauerit, ut deos precatus sit, similes ei Caesares suos facerent sibique tam honestum quandoque exitum darent quam illi dedissent. nec contentus elogium tumulo eius uersibus a se compositis insculpsisse, etiam uitae memoriam prosa oratione composuit.* in qua utrum magis Drusi amori et memoriae an suae causae et imperio indulserit nescimus.

C. CILNIVS MAECENAS

Historia etsi omnino a Maecenatis ingenio ac deliciis abhorrere uidetur, eum huic quoque generi scribendi deditum fuisse Seruius *ad Vergilii georg. II 41* adnotauit: *Constat Maecenatem fuisse litterarum peritum et plura composuisse carmina. nam etiam Augusti Caesaris gesta descripsit, quod testatur Horatius dicens: 'Tuque et q. s.'* parum recte tamen Horatium *(carm. II 12, 9)* interpretatus est, qui ut Octauiani uictorias carminibus laudaret, rogatus nec memoriae Romanae aut fabularum Graecarum certamina '*mollibus aptari citharae modis*' Maecenatem uelle opponit et dicturum '*pedestribus historiis proelia Caesaris melius ductaque per uias regum colla minacium*', se potius a Musa iussum Licymniam Maecenatis uxorem uersibus celebraturum esse. itaque ne uoluisse quidem eum animo illud consilium ex loco Horatiano

colligi potest[1]), Plinius autem quae de morbo Augusti Philippensi eum narrasse idque ab ipso Augusto dissentientem scripsit *(nat. hist. VII 148. cf. Agrippae fr. 1)*, ex aliis libris, uelut dialogis, hausit, quibus etiam IX 24 fabulam quandam de delphino debet[2]) et praeterea secundum indices quaedam in libris XXXII et XXXVII.

M. VIPSANIVS AGRIPPA

Contra Agrippam de uita sua libros plus duos per temporum rationem pertexuisse fragmento altero traditum est tertioque peruenisse eum usque ad aedilitatem suam a. 33/721. substitisse tamen eum intra hunc annum uix credibile est. nam otium uitae scribendae tum nanctus est, cum post morbum Augusti et Marcelli adoptionem propter offensiones cum domo imperatoria ortas Mytilenas secessisset (a. 23/731—21/733). aedilitate autem quae instituisset, post ipsum magistratum peculiari libro accurate discripserat[3]), atque etiam ampliore omnia ad res ipsas rettulit; laudi tamen suae, cum omnino studiosus esset[4]), ne tum quidem, quales res tum essent, pepercisse uidetur, quamquam quod ex Lucrino lacu portum a se factum esse scripserat *(fr. 2)*, ei crimini dari non potest, nam quae sub auspiciis imperatoris ab aliis gerebantur, illi imputari solebant[5]) atque Agrippa summa erga Augustum modestia utebatur[6]). de genere scribendi nihil accepimus, delectationem tamen eum non petiisse consentaneum est, quamquam arte non caruit, si Plinio nat. hist. 35, 26 credimus.[7])

---

1) Kiessling *ad Hor. carm. II 12.* — Iam Frandsen *Maecenas p. 168 sq.* Weichert *Augusti reliq. p. 233 sqq.* aliique de Maecenatis historia dubitauerunt, sed ne de commentariis quidem cum Gardthauseno *Aug. I p. 778* cogitari potest.

2) Harder *Über die Fragmente des Maec.* p. 20 sq. — Plinii et hunc locum et VII 148 inter fragmenta 'uitae' posuit Lion *Maecenatiana p. 39 sq.*

3) Frontin. de aquis II 98 sq. *qui iam copia permittente discripsit, quid aquarum publicis operibus, quid lacibus, quid priuatis daretur. — Augustus quoque edicto conplexus est, quo iure uterentur qui ex commentariis Agrippae aquas haberent, et q. s.* Ad aliud igitur genus litterarum hoc opus pertinuit a commentariis uitae diuersum, quod contra Gardthausenum *August.* II p. 417 moneo.

4) Cf. Horat. carm. I 6.

5) Grauior suspicio de fr. 1 oriri potuit, cf. Aug. fr. 10.

6) Vid. Gardthausen l. s. I 741 sq.

7) A Plinio 3, 17 'commentarii Agrippae' dicuntur, quae descripserat in paranda chronographia porticus. Gardthausen l. s. 748 sq.

M. VALERIVS MESSALLA RVFVS

Hunc, qui cum Domitio Caluino post multa crimina et pericula consulatum a. 53/701 adeptus Caesaremque in bellum Africanum a. 46/708 legatus secutus est[1]), cum Harduino, Borghesio *(Oeuvres I p. 404 sqq.)*, Brunnio *(De auct. ind. Plin. p. 13)*, Vrlichsio *(Chrest. Plin. p. 336)*, Detlefsenio *(in edit.)*, Teuffelio *(p. 392 sq.)* distinxi a Messalla Coruino *(Fleckeiseni annal. 125 p. 107 sq.)*, etsi Schanz *(II 1² p. 20)* denuo eos confudit. res hic est cum Plinio, qui in indice libri XXXV enumerat Messallam oratorem et Messallam senem ut aperte diuersos, ususque eis est § 8 *(fr. 1)*, ubi 'uolumina de familiis' ad senem rettulit atque etiam oratorem cum indignatione de familiarum quarundam uanitate uerba fecisse commemorat, ut postea de 'Messallarum pace' loquatur. atqui idem 34, 137 ex 'Messalla sene' de triente sacro Seruiliorum familiae quaedam prompsit *(fr. 2)*, alterum autem in textu oratorem dicit *(7, 90. 10, 52. 33, 50. 35, 21)* eundemque in indice libri XXXIII Coruinum (ut etiam in ind. l. IX). tum uero in indice l. VII nominatur Messalla Rufus, idque propter § 173 *(Messalla Rufus et plerique tradunt)*, in indice l. XXXIV 'Messalla Rufus' propter § 137 *(uerba Messallae senis)*. senex autem iure dicitur, quem per annos quinquaginta quinque augurem fuisse Macrobius *(sat. I 9, 14)* tradidit, Rufique cognomen ut per plurimas gentes uulgatum nos apud Valerios non offendet, quamquam aliis locis non inuenitur, neque est, cur cum Harduino, Silligio, Ianio Messallam et Rufum dirimamus, quorum neuter a Plinio sic simpliciter citatur. denique eum ad artes litterasque inclinasse ex eis quos de auspiciis libros composuit cognoscimus, qui magna apud Festum et Gellium auctoritate floruerunt addito 'augure' eum a ceteris Messallis distinguentes *(Egger Lat. serm. uet. reliq. p. 46 sqq.)*

M. VALERIVS MESSALLA CORVINVS[2])

Huius Messallae studia in litteris posita exponere et laudare non meum est sed eius, qui de orationibus acturus est; huc

1) Vitam uid. Haakhii ap. Pauly *Realenc.* VII p. 2347 sqq.

2) L. Wiese *De M. Val. Messallae Coru. uita et studiis doctrinae.* Diss. Berol. 1829. I. M. I. Valeton, *M. Val. Mess. Coru.* Groningae 1874.

enim potissimum eius doctrina pertinet ut 'oratoris' dicti. nunc sufficiet pauca testimonia uirorum acris iudicii collegisse, quibus quam diligenter in ipsis uerbis eligendis elaborauisset, adpareret, ita ut non solum dedita opera de ui quorundam uocabulorum disputaret sed etiam de litteris quibusdam *(Brief in d. röm. Litt. p. 218): Senec. contr. II 4 (12), 8 Fuit Messala exactissimi ingenii quidem in omnis studiorum partes, Latini utique sermonis obseruator diligentissimus. Tac. dial. 18 Cicerone mitior Coruinus et dulcior et in uerbis magis elaboratus. Quint. X 1, 113 Messala nitidus et candidus et quodam modo praeferens in dicendo nobilitatem suam, uiribus minor.* sed ne illud quidem constat, utro sermone in commentariis suis, qui ei nunc apud nos locum dederunt, usus sit. nam et Latine et Graece pari facilitate scripsit, postquam adulescens Crassi Ciceronisque exempla secutus exercitationis causa oratores Graecos in sermonem Latinum uertit (summa cum admiratione Quintiliani, *X 5, 2*), ita ut etiam carmina bucolica Graece componenda sibi sumeret, quae Vergilius qui dicitur in catal. *(9 [11])* uehementer laudauit. ad eundemque sermonem ducit, quod in commentariis Cassium eo utentem facit *(fr. 1)*.

Vitam eius admodum uariam fuisse constat. nam a. fere 64/690 natus[1]) a. 45/709 studiorum causa Athenas se contulit et anno post in urbem reuersus iam dicendi laude florebat, cum inuidiam triumuirorum uel expertus uel timens ad Brutum confugit Antonioque auctore proscriptus est. sed artiore consuetudine Cassium amplexus est *(cf. Dio 47, 24)*, quem imperatorem suum dicere solitus est *(fr. 4)*, ususque eius est colloquio eo uespere, qui pugnae Philippensi antecedebat *(fr. 1)*, in qua, cum 'in castris Bruti Cassiique proximus auctoritati' esset *(Vell. II 71)*, cum Bruto uictor Caesaris castra occupauit. tum uero Cassio Brutoque mortuis, cum iam ante tres uiri ad partes suas eum trahere conati essent, spreta summa imperii primo ad Antonium transiit, tum propter Cleopatrae luxuriam ad Octauianum, a quo honorifice acceptus bellis et ciuilibus et externis operam suam praestitit, etiam in pugna Actiaca, in qua eius classi praefuit, idemque litteris eius causam defendit *(Röm. Brief p. 218)*. denique iam antea in augurum collegium cooptatus pace restituta a. fere 28/726—26/728 primus praefectus urbis factus est, a quo tamen

1) Sic Borghesi *Oeuvr.* I p. 490 sq. et Dessau *Prosop.* III p. 364, in qua quae supra sequuntur habes breui conspectu testimoniis instructa.

magistratu sexto die se abdicauit 'inciuilem potestatem' esse contestans, idemque primus curator aquarum, quorum honorum gratiam rettulit, cum ab eo inductus a. 2/752 senatus Augustum patrem patriae nominauit. hinc eius memoria publica silet. totum se abdidisse uidetur litterarum studiis patrocinioque poetarum, a quo ne antea quidem eum alienum fuisse constat. mortem obiit ingenii debilitate corporisque dolore confectus anno fere 13/766 *(sic Dessau l. s.)*, neniaque eum prosecutus est Ouidius exsul *(ex Ponto I 7, 29 sq.)*.

Nunc quaeritur, quam partem huius uitae uarietatis Messalla descripserit. Plutarchi quidem testimoniis *(fr. 1—3)* commentariorum in modum eum de pugna Philippensi egisse cognitum habemus, de cuius descriptione acriter tum hinc illinc certatum est. amplam enim Brutus Cassiusque cohortem uirorum doctorum secum duxerant *(uid. p. LXVI sqq.)*, qui ut studio uel partium uel ingenii sui ostentandi satisfacerent, ad animos hominum mouendos multa de illorum miserabili morte declamauerunt. aliam uiam Messallam ingressum esse consentaneum est. nimirum quem post illam pugnam seruari beneficio Caesaris maluisse quam dubiam spem armorum amplius temptare Velleius *(II 71)* tradidit, quem tamen eundem etiam postea Cassium imperatorem suum praedicasse Tacitus *(ann. IV 34)*, quem omnino auream mediocritatem dilexisse uita docet, hunc ut diuersas partes conciliaret, illud opus suscepisse habemus cur coniciamus, nec absonum esse uidebitur, quod postea idem libellis Octauiani causam contra Antonium defendit, indignatione eius uitae odioque Cleopatrae exacerbatus. sed quae horum commentariorum certa indicia supersunt, omnia ad pugnam illam pertinent seruataque sunt a solo Plutarcho, quo excepto ad talem librum solo fr. 5 ducimur, ubi Suetonius rem bello Siculo factam commemorauit, quo Messalla Coruinus Octauiano egregiam operam praestitit. at quae de Dellio Seneca *(fr. 6)* narrauit, melius cum libellis in Antonium scriptis concinunt, neque uero Muenzero adsentior *(p. 405 sq.)* etiam, quae uulgo illuc ex Charisio referuntur, inter commentariorum reliquias ponenda esse arbitranti. nam inscriptiones illorum libellorum ita citauit Charisius p. 104 et 129, ut quin tales Messalla scripserit, dubitari non possit; quas cum Plinii libro grammatico debeat, et tertium eius locum *(p. 146)* et alium naturalis historiae *(33, 50)*, quo Messallae 'oratoris' testimonio usus Antonii obscenitatem cauillatur *(fr. 10)*, maiore cum probabilitate ad illos reuoco, prae-

sertim cum idem Plinius etiam aliis criminibus 33, 132; 82 sq. 9, 119 sq. in eundem inuehatur, i. e. in eisdem libris, in quorum indicibus 'Coruinus' aut 'Messalla Coruinus' citatur.

Itaque quod solus Suetonius rem post bellum Philippense gestam, quae iuxta Plutarchum locum in commentariis facile habere posset, ex Valerio Messalla sumpsit, hoc non erit mirum, nam et apud Plutarchum eius belli memoria una illius auctoritate nititur et Suetonius haud raro singulis locis auctores aliquos nominauit. tenuis igitur memoria commentariorum fuit. uerum tamen ultra eas partes, quae diserte ad Messallam referuntur, apud Plutarchum patet, qui talium potissimum operum amans fuit. sed ut eius uestigia indagemus, Appianus auxilio uocandus est, qui mirum in modum in bello enarrando, saepe ad uerbum cum illo conspirat, id quod etiam luculentius apparet, si Cassium Dionem cum illo comparauerimus. nam hic pugnam in rhetoricum morem communi descriptione dilatauit, illi omnia ad duces reuocauerunt, sed ita, ut etiam comitum Bruti Cassiique rationem haberent, primum autem inter eos apud Plutarchum locum Messalla obtineret, cuius in ipsis pugnis Philippensibus nec a Dione nec ab Appiano mentio fit. nam apud illum et in priore praefectus dextro cornu Caesaris castra expugnauit, cum aduersariorum quam maxime posset uitis parceret *(c. 40 sq.)* eademque moderatione etiam in captiuos uteretur *(c. 45)*, et tribus locis auctor ab eo citatus est. itaque cum tota pugnarum descriptio indolem commentariorum prae se ferat, ex Messalla, cuius postea etiam *(c. 53)* dictum quoddam inseruit, fundamenda eum petiisse iam *Quell. d. Plut. p. 137 sqq. (cf. Wichmann p. 42 sqq.)* posui, contaminauit tamen eius memoriam cum Volumnio *(u. s. p.* LXVII *sq.)*, quem item in morte Bruti partes quasdam agentem ceterum ignotas fecit *(c. 51 sq.)* et bis laudauit. aperta haec est textura in c. 52, ubi primum Brutus ante mortem cum Volumnio colloquitur petitque, ut se in ferrum incumbentem adiuuet, quod tamen abnuit, ut se ipse interficere coactus sit, tum addit: *Οἱ δέ φασιν οὐκ αὐτὸν ἀλλὰ τὸν Στράτωνα πολλὰ πάνυ τοῦ Βρούτου δεηθέντος ἀποστραφέντα τὴν ὄψιν ὑποστῆσαι τὸ ξίφος* idque confirmat dicto quodam Messallae *(c. 53)*. prior igitur memoria fuit Volumnii, altera Messallae. iam uero, cum uersum quendam Euripideum, quem Brutum altera pugna uictum pronuntiasse Plutarchus secundum Volumnium testatur *(c. 51)*, etiam Appianus eodem momento utentem fecerit *(b. c. IV 130 φάσιν αὐτὸν — εἰπεῖν)*, de eodem Volumnio ut potiore

eius auctore cogitari possit. at quae secuntur alia sunt apud Plutarchum, alia apud Appianum *(Wichmann p. 47 sq.)*, neque umquam hic Volumnii mentionem fecit sed ab uno Stratone Brutum adiutum esse tradit *(c. 131)*, ut illum uersum ab hoc ut tum frequentatum — nam Antonium Brutus eo significauerat — uel ex alio libro uel ex sermone exceptum esse ueri similius sit.[1] etiam cetera ad Messallam trahunt, in primis consensus de numero militum occisorum fr. 3 apud Plutarchum cum Appiano IV 112, ubi quod Messalla se opinari scripserat, Appianus uerbo *εἰκάζουσι* repetit, et de die prioris pugnae, qui Cassii natalis fuerit *(fr. 1 ap. Plut. et App. IV 113)*. alia quaestio est, num etiam Appianus eum ipsum adierit. id quod non omnino a probabilitate abhorret. sed utut est, et rerum conformatio apud Plutarchum multo commentariorum similior est et sensus uoluntasque magis ad Bruti admirationem inclinat quam apud Appianum, et ipsae res quaedam aliter ab utroque narrantur *(Wichmann p. 41 sq.)*, ut quae communia sunt, Appiani narrationi perpetuae quasi inspersa esse uideantur eaque saepe diuersis locis. concinunt enim partes haece:

Plut. c. 37 =	App. b. c. IV 101	prodigium duarum aquilarum,
- - 39 =	- - - - 134	quattuor alia prodigia,
- - 41 =	- - - - 110	somnium quo Caesar Octauianus seruatus est teste ipso Caesare (fr. 10),
- - 43 =	- - - - 113	Cassii mors,
- - 46 =	- - - - 118	Brutus militibus duas urbes diripiendas promittit,
- - 48 =	- - - - 128	certaminis duarum aquilarum prodigium,
- - — =	- - - - 134	Aethiops occurrens et pro omine habitus a militibus occisus,
- - 49 =	- - - - 135	mors filii Catonis Vticensis,
- - 50 =	- - - - 129	deuotio Lucilii,
- - 53 =	- - - - 135	corpus Bruti mortui ab Antonio honoratum.

Itaque cum in descriptione pugnarum Philippensium c. 36—53

1) Similiter dictum, quo Cassium angustias suas cum Pompeio Magno ante prius proelium comparantem Messalla apud Plutarchum (fr. 1) fecit, leniter mutatum Appianus (IV 124) Bruto idque ante alterum tribuit.

Plutarchus Messallam secutus sit, exceptis eis partibus, quibus de Volumnio agit, omnia ad eius auctoritatem referenda sunt, apud Appianum autem res contraria est, qui telae suae ex aliis filis textae quasi quasdam figuras ex illis commentariis inseruit. nam quod ubi Plutarchus *Μεσσάλλας φησὶν οἴεσθαι*, hic dicit *εἰκάζουσι*, ubi ille *ἀνεφθέγξατο δύο στίχους, ὧν τὸν ἕτερον Βολούμνιος ἀνεφθέγξατο*, hic *φασὶν — αὐτὸν εἰπεῖν*, hoc non rerum communioni sed auctoris tribuendum est. etiam res ab ipso Messalla gestas in libris quarto quintoque commemorauit maximeque laudauit eius de Octauiano merita *(IV 38. 136. V 102 sq. 109. 112. 113)*.

Illud adiciam scriptos esse uideri hos commentarios post editum Augusti simile opus, i. e. post a. 23/731, si quidem quod hoc eodem loco bis a Plutarcho, semel ab Appiano *(cf. adn. ad Aug. fr. 10)* laudatum est, casu fieri non potuit, sed ita, ut eodem libro usi, i. e., si recte conclusimus, Messallae, et res et auctorem ibi citatum exscriberent *(cf. Geschichtl. Litter. II p. 254 sqq.)*. Etiam tempus illud erat aptum, quo Messalla pietatem suam et erga Augustum et erga Brutum Cassiumque libere profiteretur; nam ut erat ingenio mitis et magis ad obsequium quam ad dominandi cupiditatem promptus, ita et adsentatione seruilitateque animi et asperitate seueritateque uacabat, Augusti autem animum, qui eodem anno 23/731, L. Sestium, etsi a Bruto quondam steterat statuasque etiam tum possidebat *(Dio 53, 32, 4. cf. App. IV 51. Gesch. Litt. I p. 66)*, consulem designauit, cauta aequitas Messallae laudationis offendere non potuit, praesertim cum eadem uehementes et impotentes Bruti admiratores moderaretur leniretque.

C. ASINIVS POLLIO[1]

C. Asinii Pollionis uita publica satis nota est, in quam post iter Graecum a. 54/700 adulescens uiginti annorum (natus igitur

1) J. R. Thorbecke *De C. A. P.*, Diss. inaug. Lugd. 1820. O. Hendecourt *Etudes sur la carrière politique et litteraire d'As. P.* Louvain 1858. Aulard *De C. As. P. uita et scriptis.* Paris 1877, quem librum non noui. G. Thouret *De Cicerone Asinio Pollione C. Oppio rerum Caesarianorum scriptoribus* in stud. Lips. I p. 303—360. E. Kornemann *Die historische Schriftstellerei des A. P.* in Fleckeisen. ann. suppl. XXII (1896) p. 555—772, qui magnam copiam librorum et libellorum de As.

a. 75/679) oriundus ex Marrucinis equestri loco, ut C. Catone in ius uocato tribus uiris obsisteret, processit. tum uero bello ciuili exorto, etsi natura sua et studiis se trahi ad pacis et libertatis cupiditatem ipse ad Ciceronem scribit (a. 43/711, *ad fam. X 31, 2*), cum nullius partis esse non liceret, ut 'inimici insidias' (fortasse Catonis) fugeret, in Caesaris castra se contulit et ab eo benigne et honorifice exceptus uel uolens uel inuitus omnia, quaecunque iussus erat, fecit. sic interfuit rebus ad Rubiconem, in Africa a. 49/705, ad Pharsalum, in Africa a. 46/708, ad Mundam gestis et praetor factus belli cum S. Pompeio gerendi causa in Hispaniam rediit, quod Caesare interfecto a Lepido pace compositum est. deinde diu dubius haerebat, quibus partibus tres suas legiones adiungeret, cum omnes senatus litterae eum deficerent, cui soli se prouinciam traditurum esse credamus ei tum ad eundem Ciceronem scribenti *(l. s. § 5)*. tandem ad triumuiratum denuo constitutum facere non potuit quin duas legiones deduceret et ab Antonio Galliae transpadanae praefectus est. qua prouincia post bellum Perusinum spoliatus pro patrono suo foedus Brundisinum iunxit et consulatu a. 40/714 functus Parthinis Salonisque deuictis mense a. 39/715 Octobri triumphauit.

Hic finis uitae eius publicae fuit. nam cum Octauianus eum rogasset, ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum, etsi quaedam contra maledicta Antonii scripserat uel dixerat *(Charis. I 80, 2)*, 'mea', inquit, 'in Antonium maiora merita sunt, illius in me beneficia notiora; itaque discrimini uestro me subtraham et ero praeda uictoris' *(Vell. II 86, 3)*, quo tamen dicto uictoris iram non mouit; immo, cum pater omnes honores aspernari pergeret, Asinium Gallum filium iam adulescentem eis ornauit.

Totum iam se litteris dediderat, unde fructum libertatis repeteret, cui in re publica locum frustra quaesiuerat *(cf. ep. ad Cic. X 31, 2; 5)*; itaque non sine causa bibliothecam, quam primam Romae fecit, in atrio Libertatis esse uoluit *(Thorbecke p. 35 sqq.)* et paene omnia studia sua ad antiquitatem conuertit; ne in bibliothecam quidem libros cuiusquam, qui etiam uiueret, praeter Varronem recepit *(Plin. n. h. 7, 115)*. quamquam igitur

---

scriptorum diligentissime complexus cognitionem nostram de eius indole, quantum nunc fieri potuit, auxit, etsi de ipsis historiis a Plutarcho Appianoque adhibitis me ab eo dissentire per totam meam disputationem apparebit. — De uita cf. etiam Drumannum h. R. II² p. 2—12. Groebe apud Pauly-Wissowam II 1589—1602.

declamationes earumque flores spernere non potuit, in agendo siccitatem quandam et ieiunitatem captabat, ut testimonio Quintiliani saeculo prior uideretur Cicerone.[1]) concinebat is mos cum eius constantia et ueritate, qua et apud senatum Iulium Caesarem, cum ei infensus esset, et sub Augusto Brutum Cassiumque laudauit *(Cic. ad fam. X 31, 3. Tac. ann. IV 34)*, neque minus cum diligentia, quae etiam ad minutias grammaticas indagandas descendebat *(F. Harder in Fleckeis. ann. 137 p. 368 sqq.)*. accendebatur tamen et naturae uehementia, ut saepe in ferociam contumaciamque mutaretur, et iudicii acie asperitateque, qua multorum animos delectaret, alios offenderet, nemini parceret, ne Caesari quidem Sallustioque *(fr. 4. adn. ad fr. 7. Gell. X 26, 1)* aut Liuio *(Quint. I 5, 56. VIII 1, 3)*.

Hinc summa laude dicendi eum floruisse facile intellegitur, ita ut haec eius uirtus ab antiquis prima haberetur, eundemque magna morum et ingenii existimatione. minus tamen iocosos lusus tragoediasque, in quibus laudandis multi sunt Vergilius Horatiusque, nos probaturos esse opinor, si ad nos peruenissent, cum Accium Pacuuiumque eas dicat redolere Tacitus *(dial. 21)*. uidetur autem ad illos deductus esse Heluii Cinnae, Catulli aliorumque poetarum, cum adulescens esset, consuetudine, tragoedias uero adgressus esse, cum ex Parthinorum bello reuersus esset, nam iam a. 39/715 Vergilius eius carmina 'sola Sophocleo digna coturno' praedicat *(ecl. 8, 10)*, a. c. 37/717 (—35/719) Horatius 'regum facta pede ter percusso' cantata *(sat. I 10, 43)*. tum uero cum inter Octauianum et Antonium discrimen armorum appropinquaret, ut et otium suum defenderet et ueritatis praeconium susciperet, historia bellum ciuicum ex Metello consule (a. 60/694) motum persequi coepit, id est a priore triumuiratu, nam ab hac amicitia, non a discidio illud repetiit[2]), cuius quidem historiae initia Horatius, cum primum carmen alterius libri componeret (paulo post bellum Actiacum[3]))

---

1) Quint. X 1, 113; 2, 17. XII 10, 11. Cf. Tac. dial. 21. Senecae ep. 100, 7: *compositio salebrosa et exiliens.*

2) Cf. Plut. Caes. 13 *Οὐ γάρ, ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζουσιν, ἡ Καίσαρος καὶ Πομπηίου διαφορὰ τοὺς ἐμφυλίους ἀπειργάσατο πολέμους, ἀλλὰ μᾶλλον ἡ φιλία, συστάντων ἐπὶ καταλύσει τῆς ἀριστοκρατίας τὸ πρῶτον, εἶτα οὕτως καὶ πρὸς ἀλλήλους διαστάντων.*

3) Vt Augusti commentarios ab Asinio adhibitos esse demonstrare posset, Kornemann p. 652 sq. historias post a. 20/734 ad finem perductos esse arbitratus est.

iam legerat uel audiuerat, cum Catonis mortem audisse sibi uideretur[1]); nam etiam hunc morem Asinius instituerat, ut aduocatis hominibus scripta sua recitaret *(Seneca contr. IV praef.)*[2]).

Adiutus autem est in ea re a L. Ateio Praetextato, qui defuncto Sallustio (a. 36/718) 'eum familiarissime coluit' atque ut illum breuiario rerum omnium Romanarum instruxerat, sic huic praeceptis de ratione scribendi, 'ut noto ciuilique et proprio sermone uteretur', suasit *(Suet. de gr. 10).*[3]) hinc confirmatur eum non ante Sallustii mortem ad historiam accessisse, in cuius locum uacuum succederet (lepide eius Iugurtam Horatius significat in illo carmine u. 25 sqq.), et efficitur, ut timendum fuerit, ne tragicas ampullas in dictionem parum aptam transferret. rhetoricam tamen artem ad scribendum adhibuit; nam pugnarum maritimarum terrestriumque strepitum orationesque ducum[4]), Catonis constanter obeuntis mortem Horatius certo exspectat, diciturque a Valerio Maximo rhetore non minima pars Romani stili *(fr. 1)*; quippe lingua usus est Latina *(fr. 1. 5. 8)*. genus tamen suum dicendi etiam in historia tenuit numerumque orationis consulto spreuit, id quod uel ex paruo fragmento, quo Ciceronem mortuum deplorauit, cognoscimus, etiam in ea re Sallustii successor (*Norden Ant. Kunstpr. p. 262 sqq. 200 sqq.*[5])), Ciceronis

---

1) Scite hoc carmen tractauit Seeck *Wien. Stud.* 24, p. 499—510, cum '*periculosae plenum opus aleae*' ad dictum Caesaris Rubiconense referret (interpretatus '*ein Werk, dessen Inhalt gefährliches Würfelspiel*'), '*incedis per ignis suppositos cineri doloso*' ad primum triumuiratum, quo graues inimicitiae dolosa concordia tegerentur. alia minus probo, cf. Sonnenburg mus. Rh. 59, p. 506—511.

2) De Landgrafii coniectura, qua 'bellum Africanum' ab Asinio per ipsum bellum descriptum esse uoluerat, nunc uerba facere omisi. Cf. Schanz I² p. 213 sq.

3) Etiam 'Aufusti' (sic Vsener m. Rh. 24, p. 101. 104 111. '*abnesti fusti*' cod.) grammatici 'liber' quidam grammaticus '*ad Asinium Pollionem*' citatus Gramm. Lat. VII p. 35 K. (idem qui a Paulo Festi p. 94 et Prisciano VIII 17 p. 383). forsitan etiam Asinius Epicadus '*ex gente Parthina ibrida*', qui contra Augustum coniurauit (Suet. Aug. 19), eius libertus fuerit.

4) Cf. consensum orationis Caesaris ante pugnam Pharsaliam habitae exordium apud Appianum b. c. II 73 *Τὰ μὲν δυσχερέστατα ἤδη νενικήκαμεν, ὦ φίλοι· ἀντὶ γὰρ λιμοῦ καὶ ἀπορίας ἀνδράσι μαχούμεθα· ἥδε δὲ ἡ ἡμέρα κρινεῖ πάντα.* et apud Plutarchum Pomp. c. 68 *Ὁ μὲν οὖν Καῖσαρ εἰπὼν τὴν προσδοκωμένην ἥκειν ἡμέραν, ἐν ᾗ πρὸς ἄνδρας, οὐ πρὸς λιμὸν οὐδὲ πενίαν μαχοῦνται.*

5) Cf. Seneca pater, qui post fr. 5 (suas. 6) haec addit: *Adfirmare*

aduersarius. Inscripsit librum ut ille historias *(fr. 1. u. infra p. LXXXXVI)*, sed quousque pertexuerit, nescimus, cum 'ciuicum bellum' incertis finibus circumscribatur, uelut Appianus in S. Pompei morte (35/719) substitit.[1]) nec iuuat Suidae testimonium s. u. *Ἀσίνιος (I 1 p. 786 Bhdy) Ἀσίνιος Πωλίων, Ῥωμαῖος· ἱστορίας Ῥωμαϊκὰς συνέταξεν ἐν βιβλίοις ιζ*. ubi quae sequuntur *οὗτος πρῶτος Ἑλληνικὴν ἱστορίαν Ῥωμαϊκῶς συνεγράψατο* separanda esse ab hoc Asinio, cum siue ex Pompeio Trogo *(sic Gutschmid, uid. Flach m. Rh. 36, p. 317 sq.)* siue ex Tralliano *(Fleckeis. ann. 119 p. 420 sqq.)* irrepserint, per se apparet; nam quod ex numero septendecim librorum annos 60/694—44/710, i. e. suo quemque annum libro tractatum esse Flach l. s. conclusit, exemplo caret. certe Asinius Pollio Ciceronis mortem *(fr. 5)* et pugnam Philippensem *(fr. 6)* narrauerat, quoniam fr. 6 ex historiis sumptum esse inde colligitur, quod apud Tacitum uerba sunt Cremutii Cordi de editis annalibus dicentis et sui defendendi causa in hac parte orationis praeter Asinium T. Liuium et Messallam Coruinum afferentis. hoc autem bellum idoneus finis fuit ei, qui et ultimo discidio inter Octauianum Antoniumque interesse noluisset et ultioni et manibus Caesaris quasi in tragoedia iustitiae satis factum et prius bellum compositum esse apte explicare potuisset.[2])

Restant tamen etiam alia testimonia, quamquam notitia nostra eis primo magis turbari uidetur quam augeri; nam in omnibus difficultatum tricae quaedam nos morantur. prima haec est quaestio, quibus Plutarchus et Appianus in describendo illo annorum spatio auctoribus usi esse uideantur. nam utriusque nar-

---

uobis possum nihil esse in historiis eius hoc quem rettuli loco disertius, ut mihi tunc non laudasse Ciceronem, sed certasse cum Cicerone uideatur. nec hoc deterrendi causa dico, ne historias eius legere concupiscatis: concupiscite et poenas Ciceroni dabitis. Seneca ep. 114, 17 *Sallustio uigente amputatae sententiae et uerba ante exspectatum cadentia et obscura breuitas fuere pro cultu.* 100, 7 *lege Ciceronem: compositio eius una est, pedem curuat lenta et sine infamia mollis. at contra Pollionis Asinii salebrosa et exiliens et ubi minime exspectes, relictura. denique omnia apud Ciceronem desinunt, aput Pollionem cadunt exceptis paucissimis, quae ad certum modum et ad unum exemplar adstricta sunt.*

1) Etiam Asinius ex Seeckii sententia l. s. p. 508.

2) Sic plerique uiri docti. Kornemann l. s. p. 662 sqq. (quod iam Hendecourt p. 71 coniecerat) usque ad bellum Actiacum eum in scribendo peruenisse uult, incerto fundamento usus; est enim opinio Asinii ab Appiano usque ad quintum librum belli ciuilis adhibiti, quae item in lubrico exstructa est.

rationis partem quandam ab Asinio repetendam esse ab omnibus perspectum est. est uero consensus manufestus et a multis, uelut ab Ottone *(Strabonis ὑπομνημ. fragm. in studiis Lips. XI Suppl. p. 247 sqq.)*, Kornemannio *(p. 672 sqq.)* oculis subiectus. comparantibus autem, cum modo consentiant, modo in diuersas partes discedant, dubia res est, utrum neglegentia aberrauerint an alios auctores secundo tertioue loco adsumpserint. Appiani quidem leuitas summa fuit, ut largam errorum copiam uiri docti coaceruauerint[1]), ex quibus hunc unum apponam Sallustii Catilinam tribus locis falso ab eo uel lectum uel intellectum esse[2]), idemque, etsi aliquot locis auctores significat, etiam diuersos (*οἱ μὲν — οἱ δέ*), in omnibus libris qui exstant, decem omnino nominauit de eisque quinque singulis quemque locis, duobus Caesarem tribusque Octauianum hosque addita libri inscriptione. sed concordiam illam rerum non recoquam, ne uerborum quidem aut dictorum, quibus Caesaris memoria abundat (haec enim ad ipsas res gestas casumque potest referri), grauioris momenti sunt imagines eodem loco recurrentes, uelut Romani Curionem tribunum plebis honorant *ὥσπερ ἀθλητὴν ἀνθοβολοῦντες* apud Plutarchum *Caes. 30*[3]), *ἀνθοβουλοῦντες ὥσπερ ἀθλητήν* ap. Appianum *II 27*, Caesar sicis petitus *ὥσπερ θηρίον* ap. Plut. *Caes. 66*, *καθάπερ θηρίον* ap. App. *II 117* se uoluit uertitque; tum uero descriptiones animorum motuum, quorum unum insigne exemplum proponam; Plutarchus enim Pompeium in uita *c. 72* ex pugna Pharsalia in castra reuertentem facit se Magnum Pompeium esse non recordantem similemque Aiaci Iliadis *(XI 543 sqq.)*, ex qua tres ipsos uersus affert, uocem non edentem, in uita Caesaris *c. 45* Aiace omisso addit *ὑπὸ θεοῦ μάλιστα βλαπτομένῳ τὴν γνώμην ἐοικώς*, apud Appianum *II 81* *ἔκφρων αὐτοῦ γενόμενος ἀπῄει βάδην ἐς τὸ στρατόπεδον* (= *ἀπῄει βάδην εἰς τὸν χάρακα* Plut. *Pomp. l. s.*) *καὶ — ἐκαθέζετο ἄναυδος, οἷόν τι καὶ τὸν Τελαμῶνος Αἴαντά φασιν ἐν Ἰλίῳ παθεῖν, ἐν μέσοις πολεμίοις, ὑπὸ θεοβλαβείας.* similiter uterque eisdem locis a narratione

1) C. Peter *Zur Kritik der Quellen d. ält. röm. Gesch.* p. 132 sqq. Schwartz ap. Pauly-Wissowam II c. 227 sqq.

2) b. c. II 2 (p. 688, 19 Mend.): Cat. 24, 3; II 6 (692, 15): 50, 4; II 7 (693, 16): 57, 3 sq.

3) Pomp. 58 *κρότῳ καὶ βολαῖς στεφάνων καὶ ἀνθῶν δεξαμένων αὐτόν*, ubi Plutarchus uerbum *ἀνθοβολεῖν* consulto uitauit, quia iam c. 57 eodem usus erat.

rhetorum in morem digrediuntur, ita tamen ut suo quisque ingenio libere indulgeat, uelut signo ante pugnam Pharsaliam edito de atrocitate pugnandi declamant, Plutarchus *(Pomp. 70)* paucorum nobilium Romanorum Graecorumque personis usus, Appianus *(II 77)* Pompei Caesarisque, aut eisdem locis iudicia sua interponunt, ut Caesarem ab audaci Adriam traiciendi conatu repulsum Appianus *II 58* alios admirantes, alios reprehendentes inducit, Plutarchus *(Caes. 38)* uituperantes; ante caedem multa deterruerunt et Caesarem et coniuratos, sed, ut ait Appianus *II 116* *χρῆν ἃ ἐχρῆν Καίσαρι γενέσθαι κτλ.*, ut Plutarchus *(Caes. 66)* *παντάπασιν ἀπέφαινε δαίμονός τινος ὑφηγουμένου καὶ καλοῦντος ἐκεῖ τὴν πρᾶξιν ἔργον γεγονέναι*; eidem res diuersis temporibus gestas copulant, ut post mortem Caesaris multos, cum in coniuratorum numero non fuissent, hos secutos, sed gloriam, quam appetiuissent, non adeptos eandemque quam illos poenam passos esse *(Plut. Caes. 67 = App. II 119).* denique uterque postquam regem Iubam per triumphum a Caesare ductum esse commemorauit, eum postea historia inclaruisse addit *(Plut. Caes. 55. App. II 101).*

Quem autem consensum inter Plutarchum et Appianum ab anno 60/694 usque ad Caesaris caedem modo intercedere uidimus, nunc redire ad Asinii historias demonstrabimus eumque etiam ultra illam pertinere. primum enim eius persona ab illis frequentius quam ab aliis scriptoribus celebratur *(Wichmann p. 11 sqq. Kornemann p. 601 sq.)*, siue ab utroque siue ab altero utro. nam adest Caesari Rubiconem transeunti ap. Plut. *Caes. 32,* mittitur ab eo in Siciliam, ut Catonem expellat, colloquioque ei persuadet, ut se recipiat, ap. App. *II 40* (et Plut. *in u. Cat.* 53), cuius rei nec Caesar *(b. ciu. I 30. 31. II 3)* nec Cicero *(ad Att. X 4, 7; 16, 3)* nec Dio *(41, 41)* meminerunt; egregie de reliquiis exercitus ad Bagradam deuicti seruandi meretur ap. App. *II 45 sq.* (adiuuat Antonium contra P. Dolabellam apud Plut. *Ant. 9*), a. 46/708 in Africa cum Caesare Numidas equitibus suis superuenientes feliciter repellit ap. Plut. *Caes. 52: εἰ δὲ μὴ Καῖσαρ αὐτός, ἅμα δὲ Καίσαρι Πολλίων Ἀσίννιος βοηθοῦντες ἐκ τοῦ χάρακος ἔσχον τὴν φυγήν, διεπέπρακτ' ἂν ὁ πόλεμος* (unde Romam rumor peruenit eum uiuum in manus hostium delatum esse, *Cic. ad Att. XII 2, 1*); in Hispania duabus legionibus praefectus ad Antonium uidetur inclinare ap. App. *III 46*; post bellum Mutinense Antonio bellum inferre a senatu iubetur

ap. App. *III 74*; inter Antonium et Plancum pacem componit ap. App. *III 97*; L. Quintius eius socer proscribitur et interficitur ap. App. *IV 12; 27*; ab Octauiano ad debellandum S. Pompeium mittitur apud App. *IV 84*; bello Perusino dubitat ap. App. *V 20; 3 sqq.; 50;* pro Antonio foedus Brundisinum iungit ap. App. *V 64.* Earumque rerum partem a ueritate non abhorrere ex Ciceronis epistularum thesauro sumimus, unde etiam ceterarum fides confirmatur. contra quod de damnis Asinii uerba non fecerunt, eidem Asinio crimini dabimus, ut in bello Hispaniensi cum S. Pompeio gesto, de quo tacet Appianus *IV 84,* infeliciter rem ei cessisse copiose Dio *45, 10* narrauit.[1])

Deinde qui a se Caesarem, quod in tanta fortuna se modo cognitum uetustissimorum familiarium loco habuisset, dilectum esse summa cum pietate et fide, post Caesaris mortem a. 43/711 ipse ad Ciceronem scripsit *(ep. X 31, 3 sq.),* ut a Velleio *(II 63, 3)* 'firmus proposito et Iulianis partibus fidus, Pompeianis aduersus' diceretur, qui idem natura se sua et studiis trahi ad pacis et libertatis cupiditatem, ut et initium illud ciuilis belli saepe defleret atque se et rem p. uindicare in libertatem paratus esset *(l. s. 2; 5),* nonne hunc ipsum Asinium apud Appianum bellum ciuile usque ad bellum Philippense enarrantem audire nobis uidemur?[2]) uide maxime, ubi omnia complectitur, III 1: *Οὕτω μὲν δὴ Γάϊος Καῖσαρ πλείστου Ῥωμαίοις ἄξιος ἐς τὴν ἡγεμονίαν γενόμενος, ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἀνῄρητο.* IV 134: *δυνάστην μὲν οἷον οὐχ ἕτερον, χρησιμώτατον δὲ ὑπὲρ ἅπαντας τῇ τε πατρίδι καὶ τῇ ἡγεμονίᾳ γενόμενον.*[3]) Plutarchus autem quod Caesaris uitam explicans propenso eum studio amplexus est, hoc minus mirabimur, quam quod eo non omne iudicium suum occaecari passus est, ut ne Asinius quidem *(fr. 4)*; nimirum etiam in Pompei uita praeter

1) Velleius II 73, 2 'clarissimum' id bellum Asinio Pollioni fuisse tradit, nimius eius laudator II 63, 3; 76, 2; 86, 3; 128, 3. ipse laudi suae sanius pepercisse uidetur.

2) In bello Sertorii, cuius Caesar particeps non fuit, Pompeio fauerat; uid. b. c. I 108 sqq.

3) Studio suo etiam ultra Caesarem eum in historia formanda tractum esse uidit Schwartz ap. Paul.-Wiss. II c. 227. — Antonio post bellum Mutinense se diffisum esse ipse Asinius ad Ciceronem scripsit (ep. X 34, 4 *Antonium turpiter Mutinae obsessionem reliquisse sed habere equitum quinque milia et q. s.*), nec dissentit Appianus, cum iam diuinitus eum mente captum esse (*ἤδη θεοῦ βλάπτοντος*) narrat atque equitatus eius meminit *(III 72, Kornemann p. 655 sqq.)*, ut facile transitus ad Octauiani causam paretur.

bellum Mithridaticum et mortem Sallustium sequi maluit *(Quellen d. Plut. p. 112 sqq.)*. Sed Appianus etiam in Cicerone inique aestimando *(II 15)* omnino ab Asinio pendet *(fr. 5)*[1]), atque in tertio libro Pisonem per plus sex capita *(c. 54—60)* pro Antonio contra Ciceronem declamantem facit, duobus Ciceronem in aduersarium inuehentem *(c. 52 sq.)*, denique qualibet occasione arrepta propter insolentiam, dominandi cupiditatem, inconstantiam, ignauiam contemptui fuisse irrisumque a senatu et ab Octauiano commemorat *(III 66; 82; 89; 93)*, quamquam postea mortuus ex more rhetorico ab Appiano propter eloquentiam et consulatum laudatur *(IV 19 sq.)*, ut antea ab Asinio.

At quid haec? constatne illud et Appiano et Plutarcho Asinium in manibus fuisse? ab utroque eum citatum? uerum tamen hac ipsa re augetur dubitatio. nam hic eo auctore nominato *(fr. 2)* refert in Caesaris uita dictum quoddam eius post pugnam Pharsaliam et numerum militum Pompei in ea interfectorum eundemque numerum item sub eius auctoritate et idem in uita Pompei et Appianus. iam uero quoniam uterque etiam causam addit, cur eius auctoritatem citauerit, eum ipsum pugnae interfuisse, fieri forsitan potuerit, ut, cum Asinius praesentia sua gloriaretur, illi casu eodem deferrentur. quamquam quis crediderit, qui idem etiam alio loco obseruauerit, quo et Appianus *(II 79)* isque item hoc uno loco belli ciuilis[2]), et Plutarchus, isque in utraque uita *(Caesaris 44, Pompei 69)* Caesarem citauerunt, ut eum secuti *(b. c. III 92)* Pompei in pugna Pharsalia strategema uituperarent, idque ita, ut uterque in eadem re ab auctoritate Caesaris aberraret.[3]) sed etiam alias similitudines habemus. apud Appianum *IV 110* Plutarchumque *Ant. 22, Brut. 41,* ubi Augusti commentarii de somnio quodam eius citantur *(uid. fr. 10 c. adn. et supra p. LXXIIII)*, et apud Appianum *Celt. 18,* ubi de dicto quodam

1) Vid. Bailleu, *Quomodo Appianus in bellorum ciuilium libris II—V usus sit Asinii Pollionis historiis,* Diss. Gott. 1874 p. 41.

2) Adicit *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς*, ubi uel librarii uel Appiani neglegentia subest (pro *ἐν ταῖς ἐφημερίσιν*, cf. Celt. 18 *ἐν ταῖς ἰδίαις συγγραφαῖς τῶν ἐφημέρων ἔργων*).

3) Grauiter primo loco narrant illo strategemate uim telorum imminutam esse: *τάς τε γὰρ πληγὰς ὑπὸ τῆς βολῆς εὐτονωτέρας γίγνεσθαι* App., *τῶν τε γὰρ πληγῶν τὸν ἐξ ἐπιδρομῆς τόνον ἀμαυρῶσαι κτλ.* Plut. in uita Pomp., *ὡς ἔν τε ταῖς πληγαῖς βίαν προστίθησι* in uita Caes., de qua re nihil apud ipsum Caesarem, uid. Schwartz ap. Paul.-Wiss. II c. 226 sq.

Catonis in Caesaris perfidiam, qua Vsipetes et Tencteros fefellerit, inuehentis τῶν τις συγγραφέων, postea Caesar ipse *(bell. Gall. IV 13, 4)*, Plutarchumque in uita Caes. *(c. 22)*, ubi post Caesarem Tanusius Geminus *(cf. Caton. Vtic. 51)*. sequitur, ut ad illam laudationem Caesaris reuertar, ab utroque non ipsum Caesarem inspectum esse sed alium quendam auctorem neglegenter eo usum atque reprehensione Pompei ut illum nominaret adductum. sic autem uel ultima species Asinii ab eis ipsis usque ad caedem Caesaris adhibiti dissoluitur, quae sententia Wijnnii, Wichmanni, Rankii (qui tamen admodum caute iudicauit, *Histor. uniu. III 2 p. 226 sqq.*), Kornemanni[1]), aliorum fuerat.

Sed eam iam ante me multi improbauerunt, Thouret, Judeich, Vollgraff, O. E. Schmidt, C. Vogel, alii *(uid. Schanz II² p. 24)*, qui quidem partim Strabonis commentarios medios fuisse inter Asinium et Appianum Plutarchumque suspicati sunt, id quod, postquam copiosa disputatione Otto *(Quaestt. Strab. Stud. Lips. XI p. 245)* euicisse sibi uisus est, firmis argumentis redarguerunt Kornemann *l. s. p. 566 sqq.* et Schwartz *P.-Wiss. II p. 235 sqq.* equidem de certo auctore desperandum esse censui satisque habebo, utro sermone usus esset, demonstrasse. nam de dicto illo Caesaris Pharsalio *(fr. 2)* Τοῦτο ἐβουλήθησαν addit Plutarchus Ταῦτά φησι Πολλίων Ἀσίνιος τὰ ῥήματα Ῥωμαϊστὶ μὲν ἀναφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα —, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι. haec tamen cum ipsis testimoniis, quibus Latine scripsisse Asinium constat, pugnant neque quidquam Suetonius *(uid. adn. ad fr. 2)* ualet 'Hoc uoluerunt' ad uerbum eum dixisse referens, quod non ad Graecum Latinumque sermonem sed ad diligentiam numerumque uerborum pertinet.[2]) atqui Suidas *(II 2 p. 387)* etiam alium Asinium Pollionem enumerat, quem Trallianum praeter alia scripsisse tradit 'περὶ τοῦ ἐμφυλίου τῆς Ῥώμης πολέμου, ὃν ἐπολέμησαν Καῖσάρ τε καὶ Πομπήϊος'. hunc tamen Trallianum a Plutarcho non esse significatum ex eo intellegitur, quod

1) O. Basineri *Quaestiones Caesarianae I* Moscau 1883 mihi ignotae sunt.

2) Vid. Cic. de diu. I 44, 99 *somnium mirifice ad uerbum cum re conuenisse.* de fin. I 2, 4 *fabellas Latinas ad uerbum e Graecis expressas.* Suet. Caes. 55 *cuius ex oratione — ad uerbum nonnulla transtulit in diuinationem suam.* Aug. 89 *praecepta et exempla — ad uerbum excerpta — mittebat.* — Vt illud dictum, ita etiam '*iacta alea esto*' Suetonius Caes. 32 ita memorauit, ut, cum Graece id exclamatum esse certo sciremus *(uid. infra p. sq.)*, tamen bis adderet '*inquit*'.

in eodem enuntiato uitae Caes. c. 46 Asinium non solum illius dicti sed etiam numeri militum Pompeianorum auctorem citat et postea in uit. Pomp. c. 72, ubi hoc dictum iterat, eum pugnae interfuisse addit idemque Appianus b. c. II 82 *(uid. supra p.* LXXXX *sq. et fr. 2 c. adn.).* illud igitur unum restare uidetur, ut historias Latinas a Tralliano in sermonem Graecum uersas esse statuamus clarissimumque auctorem pro ignobiliore interprete substitutum. etiam intercedebat ratio quaedam inter duos Asinios Polliones non nominis tantum; nam cum Trallianus Timagenis scholam susceperit *(Suid. l. s. s.)*, huic autem propter acerbitatem linguae ex ea expulso *(Suid. s. u. Timagenes II 2 p. 1124)* contubernium suum orator aperuerit *(Seneca de ira III 23, 4 sq.)*, facere non poterimus, quin aut falso a Suida cognomen adscriptum esse aut contra morem illi, cum liberaretur, duo nomina esse addita censeamus. sed ne sic quidem difficultates remotae sunt. nam quoniam paulo ante Asinium et ab Appiano et a Plutarcho in uita Caesaris et Pompei de eadem re Caesarem citatum sed non ipsum exscriptum esse supra *(p. s. s.)* uidimus, utriusque nomen ab eis apud auctorem inuentum esse ueri simile est, hunc autem, cum in narrationis tenore Asinium oratorem citaret, non in solo interpretis munere acquieuisse. itaque cum nisi per fraudem patronus pro Tralliano non potuerit substitui, *Ἑλληνιστί* et *Ῥωμαιστί* locis inter se commutanda sunt.[1]) Caesar autem et Graece dictis uti solitus est nec in quo libro Graece scripto illud dictum memoriae tradiderit[2]), intellegi potest. sed etiam simillimum locum proferam. nam etiam cum Caesar Rubiconem transiret illudque *Ἀνερρίφθω κύβος* exclamaret, Plutarchus *Ἑλληνιστὶ πρὸς τοὺς παρόντας* hoc factum esse in uita Pompei *(c. 60)*, in Caesaris *(c. 32)* inter amicos tum etiam Asinium Pollionem fuisse addit (cum et sermonem et inter amicos Pollionem Appianus *II 35* omiserit), ut hunc locum item Asinium Plutarcho subministrasse eumque Graece illud dictum Latinae suae historiae inseruisse cum probabilitate quadam colligere posse nobis uideamur.[3])

---

1) Sic iam a. 1883 in Fragmentis h. R. p. XXII conieceram, decem annis post Schwartz P.-Wiss. II c. 228 (et Groebe c. 1596). nec Thouretii l. s. p. 324 sqq. nec Kornemanni p. 563 sqq. hunc refutantis explicatio uerum tetigit.

2) Sic enim Thorbecke p. 110 sq. difficultatem explicasse sibi uisus est *ὑπ' αὐτοῦ* ad Caesarem referens, at uide Thouret l. s. p. 339 sqq.

3) Fleckeiseni annal. 155 p. 858 sq. Cf. etiam Plut. in uit. Caes. 66 et Bruti 17 *ἅμα δέ πως ἐξεφώνησεν ὁ μὲν πληγεὶς Ῥωμαϊστὶ 'Μιαρώτατε*

Sed redeo, ut utro sermone hic auctor, per quem res ab Asinio ad Plutarchum Appianumque fluxerint, usus sit, tandem absoluam. pluribus uerbis supersedere possem, nisi E. Schwartz in commentario suo de Appiano subtiliter scripto ad latinum auctorem libri II et III peruenisset *(c. 233).* fundamenta tamen eius opinionis admodum caduca sunt. firmat enim sermonis eius Latinitatem solis quattuor locis *(II 70; 79. IV 12. V 45),* quibus nil nisi hoc unum efficitur Appianum, si posset, auctorum sermone Latino gloriatum esse, id quod de procuratore imperatoris non mirum est. immo quae certa exstant eorum sermonis uestigia, Graeci sunt. duo iam supra *(p. LXXXVIII)* tetigi; ex magna aliorum locorum abundantia, qui, ut consensus Appiani et Plutarchi ex Strabone explicaretur, maximam partem collecti sunt, hos huc transferam: App. II 14 *βοῶντος Κάτωνος διαμαστροπεύεσθαι γάμοις τὴν ἀρχήν* = Plut. Caes. 14 *Κάτωνος βοῶντος οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι γάμοις διαμαστροπευομένης τῆς ἀρχῆς*, nam uerbum *διαμαστροπεύεσθαι* nusquam praeterea inuenitur *(El. Klebs Deutsche Litteraturz. 1885 c. 1010),* et App. II 76 (ubi Caesar milites suos ad Pharsalum adhortatur, ut equitum adulescentum ora telis petant) *οὐ γὰρ οἴσειν ἀπείρους καὶ νέους ὡραϊζομένους ἔτι τὸν ἐς τὰ πρόσωπα κίνδυνον* = Plut. Pomp. 69 *οὐ γὰρ μενεῖν τοὺς καλοὺς τούτους καὶ ἀνθηροὺς πυρριχιστὰς διὰ τὸν ὡραϊσμὸν οὐδὲ ἀντιβλέψειν πρὸς τὸν σίδηρον ἐν ὀφθαλμοῖς γενόμενον.* Caes. 45 *νέους δὲ καὶ κομῶντας ἐπὶ κάλλει καὶ ὥρᾳ μάλιστα τὰς τοιαύτας πληγὰς ὑπόψεσθαι καὶ μὴ μενεῖν κτλ.*

Nunc quaeritur, intra quos terminos in Appiani bello ciuili haec uestigia appareant. atque Bailleu quidem *l. s.* aliique consensum inter Appianum et Plutarchum, qui II 8 (*ὁ δὲ Καῖσαρ στρατηγὸς ἐς Ἰβηρίαν αἱρεθεὶς*) — 117 *Ἐκτελεσθέντος δὲ τοῖς φονεῦσι τοσοῦδε ἄγους*) manufestus est, persecuti esse sibi uisi sunt etiam per reliqua capita huius libri et per libros tertium quartumque (Kornemann usque ad finem totius operis, *uid. s. p. LXXXVII*); at Appianus quo fauore in Octauianum librum quintum inficit, ut Perusiam ab ipsis ciuibus combustam aduersariosque interficere Octauianum a militibus coactum esse narret (V 49), et quae eius facinora excusari non possint, aliis, uelut Menodoro inculcet totumque opus eius laude concludat *(c. 130. 132),* leniter eum iam initio

---

Κάσκα, τί ποιεῖς'; *ὁ δὲ πλήξας Ἑλληνιστὶ πρὸς τὸν ἀδελφόν· 'Ἀδελφέ, βοήθει'*, ubi diducta uerba in utraque uita eadem sunt.

libri III significat[1]), ubi omnia ad ulciscendos Caesaris percussores referre incipit, nec sine causa, quemadmodum in libro altero Pompeium et Caesarem orationes habentes fecerat et ad Brundisium et ante Pharsalum (c. 50—51; 53.—72; 73—74), sic in tertio Octauianum et Antonium facit (15—17. 18—20), ut aliud par protagonistae et deuteragonistae introducat. deinde materia aliqua ex parte mutatur. nam minuitur dictorum numerus, id quod non omnino ex Caesaris de scaena decedentis indole explicatur, succedunt partes quaedam actionum, orationum, scriptorum, iussa paucorum uersuum, augentur prodigia, dilatatur narratio, quam bis *(IV 16 et V 30)* capitulatim se excerpsisse profitetur, multa denique suadent, ut uel Appianum uel eius auctorem post Caesaris caedem alios fontes praetulisse censeamus; illud tamen concedendum est consensus Appiani Plutarchique indicia etiam per illius quartum librum (i. e. usque ad pugnam Philippensem) inueniri. iam uero artum illum etiam artis descriptionis atque uocum concentum uestigiaque interpretis Asiniani altero illius libro coerceri supra uidimus. ratio igitur usus oratoris mutata est, mansit usus. quamquam de libris III. IV. V certius iudicium esset, si Plutarchi uitam protagonistae i. e. Augusti haberemus; nunc cum Appiano Antonii deuteragonistae uitam comparare possumus, quod opus in ea potissimum parte, ubi cum Augusto concurrit, admodum tenue est, et tritagonistae Bruti, ex qua quidem comparando discimus riuos quosdam ex Messallae commentariis in Appiani libros deductos esse, fortasse etiam Octauiani auctoritatem de somnio Philippensi *(uid. p. 58)*.

Itaque hanc coniecturam propono, cum Tralliani bellum ciuile Graece scriptum cum Caesaris caede finitum esset, Appianum nouum fontem circumspicere coactum Augusti commentarios cum Asinii oratoris historiis contaminare coepisse[2]) sed ex aliis libris ut Liuii quaedam inspersisse, casu autem eum uel grauitate nominum etiam hic saepe delatum esse ad eosdem auctores, quibus etiam Plutarchus usus erat, id quod etiam in primo libro ei materiam ex pluribus libris colligenti acciderat[3]), atque de pugnis maxime Philippensibus, ut in latiore campo spatiaretur, Messallae

1) Certum Octauiani uestigium apud Appianum III 95 uid. in adn. ad Augusti fr. 9 p. 58.

2) Hoc enim ab Appiani historia non alienum esse Soltau Philol. Suppl. VII p. 597 sqq. mihi persuasit.

3) Busolt in Fleckeis. ann. 141 p. 340 sqq. 437.

commentarios, praesertim qui mediam uiam inter Brutum Octauianumque teuerent, adhibuisse, dum in quinto libro aliis destitutus totus Augusti auctoritatem amplecteretur.

Multis igitur indiciis nos ad has historias restituendas trahi uidemus, uerum tamen qui altius in eam rem penetrauerit, de hoc opere periculosae pleno aleae mox desperabit. nam et apud Plutarchum et apud Appianum eorum memoria admodum turbata exstat. uelut dicta, quibus Asinium ipsum floruisse notum est[1]), pro suo qnisque iudicio elegit atque de ipsis modo ad uerbum concinuut aut discrepant, modo ipsa afferunt aut alludunt, modo hos modo illos dicentes faciunt, apud hos aut apud illos, hoc loco temporeue aut illo. spretis ceteris rebus dicacitatem solam eos curasse sequitur sermoneque urbano multa uulgata et mutata per ora hominum uolitasse. tum illi scriptores materiam traditam et colore et electione uerbositateque et studio uariauerunt, neque discerni potest, utrum suo quisque ingenio indulserit an iam diuersorum auctorum hoc opus fuerit (cf. mortem Catonis ap. Plut. Caes. 54 et App. II 98). denique ne iudicium quidem de eodem homine per totam memoriam constanter seruatum est, sed in laudatione certe mortui quaecunque possunt probantur et in meliorem partem describuntur, quo in more ipse Asinius praeierat *(cf. fr. 5)*.

Hoc tamen Kornemann, etsi in singulis rebus non omnibus ei adsentior, e comparatis Plutarchi et Appiani narrationibus in uniuersum recte elicuit Asinium imitatum esse Sallustium etiam in ea ratione, ut res ex indole et natura hominum repeteret et explicaret *(p. 608 sqq.)*, saepe tamen, si id non contingeret, e fortunae arbitrio *(p. 615 sqq. p. 656 sq.)*, tum non satis habuisse res narrasse sed iudicium suum interposuisse uel laudantem uel uituperantem, maxime in ratione belli gerendi *(p. 603 sqq.)*. at uero num loca rerum gestarum nominare, tempora accuratius definire, rerum seriem scribendo sequi ipse omiserit *(sic Kornemann p. 606 sq.)* an Plutarchus Appianusque, in incerto relinquo. fuit enim hoc studium rhetoricum, a quo ne Asinium omnino abhorruisse cum ex institutione eius oratoria probabile sit, fragmentis 1 et 7 confirmatur aliisque locis ad eum relatis *(Kornemann p. 628 sqq.)*.

1) Seneca suas. 6, 27. Macr. sat. II 4, 21. Cf. Quint. VI 3, 110. Kornemann p. 629 sqq. Caesaris (28) dicta collegit atque etiam (4) Pompei, etsi minus recte eam abundantiam e tragico genere repetiit.

Restat, ut quaeram, quos libros in historia sua Asinius adiisse uideatur, neque enim omnibus rebus belli ciuilis interfuit. uelut facere non potuit, quin Caesaris de bello Gallico commentarios consuleret quamuis acriter de eis iudicans *(fr. 4)*, exstantque apud Plutarchum eorum uestigia *(uid. Thouret p. 352 sqq.)*, uno loco etiam laudatio et apud hunc et apud Appianum cum Tanusio Gemino coniuncta *(uid. p. LXXXXI sq.)*. contra Augusti commentarios ab Asinio adhibitos esse Kornemann *p. 652 sqq.* frustra demonstrare conatus est, id quod temporum ratione uetatur, etiam de Messalla et Volumnio dubito *(uid. p. LXXXII sq.)* atque in uniuersum eum historias ex memoria uel sua uel aliorum, qui interfuissent, composuisse per se ueri simile esse statuo.

Fragmentorum denique numerus, ut coniecturas omittamus, admodum exiguus est itemque praeter duo argumenta tenuia. nam etsi ad constantiam Asinii, quae etiam historiarum acerbitate elucebat, primo confugiebant qui uictricem causam toti sequi nollent[1]), paulatim tamen laus eius sermonis et Liuii, qui forsitan eo usus sit, lactea ubertate esse obscurata uidetur et increbrescente admiratione Ciceronis, contra quem obnixus est C. Asinius Gallus (cos. 8/746), cum etiam libros 'de comparatione patris et Ciceronis' *(Plin. ep. VII 4, 3)* scriberet, sed potius indignationem aduersariorum Pollionis suscitauit, ut imp. Claudii, qui peculiari libro 'satis erudite' Ciceronem aduersus Gallum defendit *(Suet. Claud. 41)*, Senecae *(ep. 100, 7)*, Quintiliani *(XII 1, 22 cf. Plin. ep. VII 4, 6. Gell. XVII 1, 1)*. qui tamen antiquitatis sermonis studiosiores erant, ad Sallustii uiuaciores libros se conuertebant, cum Graeci, ut res ab eo narratae cognoscerentur, Graecam interpretationem praeferrent. sed cum ipso uiro etiam haec in obliuionem uenit.[2]) num Plinius, qui Asinium Pollionem in indice libri VII adfert atque in eo § 115 eius bibliothecae meminit, ipsas historias excerpserit nescimus. ultimus eorum scriptorum, qui ad nos peruenerint, ipsas Asinii historias in manibus habuisse Suetonius uidetur, apud quem praeter locos in fr. numerum receptos (3. 4) etiam alii eas indicant. unde Priscianus fr. 8 nanctus sit, ne diuinare quidem possumus.[3])

1) Exaggerat eius auctoritatem apud posteros Wölfflin Bayer. Ak. Ber. 1889 uol. I p. 325.

2) Perperam apud Dionem quidam certa uestigia ipsius Asinii esse uoluerunt.

3) Hoc fr. etiam ex orationibus, cum duobus aliis locis ab eo

OCTAVIVS RVSO

Ad Horatii sat. I 3 (quam scripsit a. fere 37/717) u. 86 *Odisti et fugis ut Rusonem debitor aeris, qui nisi, cum tristes misero uenere kalendae, mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras porrecto iugulo historias captiuus ut audit.* haec adnotauit Porphyrio: *Octauius Ruso*[1]) *acerbus fenerator fuisse traditur, idem scriptor historiarum, ad quas audiendas significat solitum fuisse cogere debitores suos, quibus scilicet talia audire poena grauissima erat;* contra Acro ad '*historias*': *iniurias, contumelias,* addens tamen: *Ast hic allusit, quoniam malus historiographus dicitur fuisse.* cuius testimonii parte priore nisus Nipperdey *op. p. 498 sq.* eum inter rerum scriptores locum habere noluit. res sane esse incerta uidetur; nam cum bis apud Horatium praeterea uox historiarum inueniatur, semel *(carm. III 7, 19 sq.)* ad fabulas mythologicas pertinet, semel ad res Romanas *(II 12, 9 sq. tuque pedestribus dices historiis proelia Caesaris),* amarae autem qualescunque debitori fuerunt. nihil tamen est, cur de Porphyrionis interpretatione dubitemus. nomine quidem eo usus est etiam quaestor quidam Marii bello Iugurthino *(Sall. Iug. 104).*

C. FVRNIVS

Etiam huius historiae dubiae sunt, quoniam solo scholiastae Cruquiani testimonio commemoratae sunt, de 'candido Furnio', cuius iudicio se probari Horatius *sat. I 10, 86* optat, haec afferentis: *Furnius historiarum fide et elegantia claruit.* fuit hic consul a. 17/737, posteaquam bello ciuili Octauiani partes secutus est, cum pater amicus Antonii esset, uigintique annis post cum patre ab Hieronymo inter 'claros oratores' numeratur *(ad a. Abr. 1980 p. 139 Sch. uid. Prosopogr. imp. Rom. II p. 103 n. 415).*

OCTAVIVS MVSA

Certius iudicabimus de tertio scriptore, a quo historias compositas esse ex poetis discimus. nam et propter Octauium praematura morte raptum Romanam historiam deflet siue Vergilius siue qui

citatae sint, originem ducere potest, duxerunt fragmenta a Charisio seruata, quod propter Woelfflinum l. s. de p. 100, 23 *Veneris antistita Cuprus* moneo.

1) Druso *cod. Monac.*

catalepton 14 scripsit, et Musae scripta, cui nemo doctrina cessisset atque ne Clio quidem sermonis iucunditate, multum miratur is, qui quod antecedit catalepton *(13)* ad eum misit Callimachi epigramma *(anth. Pal. VII 725)* imitatus *(uid. Haupt opusc. II p. 146 sq.)*. haec uerba sunt *14, 1 Quis deus, Octaui, te nobis abstulit? an quae dicunt, a, nimio pocula ducta mero? — scripta quidem tua nos multum mirabimur et te raptum et Romanam flebimus historiam. 13* [ad Musam], *3 Dispeream, si te fuerit mihi carior alter. alter enim quis te carior esse potest, cui iuueni ante alios diui diuomque sorores cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona, cuncta quibus gaudet Phoebi chorus ipseque Phoebus? doctior o quis te, Musa, fuisse potest? o quis te in terris loquitur iucundior uno? Clio tam certe candida non loquitur.*[1]) neque quidquam obstat, quominus etiam huic Octauio satiras suas probatum iri speret Horatius *(sat. I 10, 82. uid. Kirchner comm. ad h. l. II 1 p. 372)*. sed etiam plura, quamquam fragmenta historiae, si edidit, desunt, de eo ex scholiis Vergilianis comperimus, quod, ut exstat apud Iunium Philargyrium *(ad Verg. ecl. 8, 6 p. 143 sq. Hag.)*, cum esset 'ciuis Mantuanus idemque magistratus, cum tributum ab Augusto fuisset indictum, pecora Vari capta pignori tam diu in foro clausa tenuit (nam Varus [*i. e. Alfenus*] possessor apud Mantuanos erat), donec inedia morerentur, unde molestiam Mantuanis super amittendis agris intulit Varus; Virgilio tamen pepercit, quoniam condiscipulus eius fuerat.' pro quo Varo Cremonensi, qui una cum Vergilio Sironem Epicureum audiuit *(Prosop. I p. 49 n. 379)*, falso Seruius *ad ecl. 9, 7* posuit Octauium Musam omnia miscens *(uid. Ribbeck App. Verg. p. 9 sq.)*.

IVLIVS MARATHVS. C. DRVSVS. IVLIVS SATVRNINVS. AQVILIVS NIGER

Et nomina et fragmenta horum scriptorum soli uitae Augusti Suetonianae debentur. Primum addit etiam libertum Augusti fuisse atque etiam alia ratione cum eo coniunctum, quae tamen

1) Secundum hoc epigramma is qui Culicem appendicis Vergilianae scripsit 'Octauium' uidetur finxisse, quem initio nominat et postea alloquitur 'uenerandum' (25), 'puerum uenerabilem' (37), 'sanctum puerum' (26).

qualis fuerit, non satis constat; nam Lipsii coniecturae, qui codicum *etiam memoriam eius* speciose emendauit *a memoria eius*, id obstat, quod hoc munus non inuenitur nisi post imperatoris Caracallae aetatem *(Friedlaender Sittengesch. I*[5] *p. 169. Hirschfeld Verwalt.*[2] *p. 334), in memoria eius* autem, quod Casaubonus uoluit, nuper ab Hillschero *(Fleckeis. Suppl. XVIII p. 385)* commendatum, uel *in memoria uitae eius*, quod Wolf, minus mihi placet, quod Suetonius perraro auctori inscriptionem libri adscripsit. sed utut est, totus in patroni sui fauorem propensus fabula diuinitatem eius confirmare sibi uidetur, quemadmodum etiam is qui sequitur, fortasse Tiberii frater (sic Roth dubitanter in indice *p. 334*), nisi nomen corruptum est; nam (cum Eggero *Hist. d'Auguste p. 89*) de Drusi Iulii Caesaris oratione funebri, qua pro rostris Augustum laudauit *(Dio 56, 34)*, propter uerba *ut scriptum apud C. Drusum exstat* uix poterit cogitari. Contra Iulius (sic Memmianus) Saturninus testis crudelitatis Augusti inducitur, quem sine ulla causa Burmann ad l. s. Hadriani temporibus fuisse opinatur, Aquilius Niger autem (fortasse Niger Antonii amicus ap. Plutarchum *Ant. c. 53*) pugna Mutinensi Hirtium Pansam consulem ab eo ipso interfectum esse finxerat. ita Suetonius fabulas Augusto et adulatorias et inimicas miscuit, quas iam eo uiuo litteris mandatas esse M. Haupt *(op. I 72. uid. Gesch. Litter. I p. 471)* animaduertit.

BAEBIVS MACER

Separandus hic est ab illis quattuor qui antecedunt, quoniam, etsi res ab eo traditae ad Augustum pertinent, utram partem in scribendo secutus sit, fragmentis non significatur. ceterum etiam hic aliis de eo testimoniis caremus; nam quod cum Macro Pompei amico confusus est, hic Pompei nomine usus est. uid. *Schanz II 1*[2], *p. 246.*

T. LABIENVS

Hunc oratorem sua aetate celeberrimum cum legato illo Caesaris coniunctum fuisse nusquam memoriae traditum est. sed uiolentia, qua in Augustum inuehebatur Pompeianosque spiritus retinebat, conspirat cum odio illius in patrem, atque etsi natura

insitum ei fuit 'passim ordines hominesque laniare, ut Rabies (Rabienus *Schanz II 1² p. 299*) uocaretur' *(Seneca contr. 10 praef. 4 sqq.*, ubi multa de eo, *IV praef. 2)*, maioribus tamen gloriabatur, nam cum per inimicos effectum esset, ut omnes eius libri ex senatus consulto comburerentur (anno 12/765, ut uidetur, *Dio Cass. 56, 27*), 'superstes esse ingenio suo noluit' atque eorum monumentis inclusus ipse uitam finiuit *(Seneca l. s.)*. Sic etiam historia eius interiit, qua sua quoque tempora descripsit, idque eadem libertate, quam in libellis ostendere solebat, qua de causa, cum praesente Seneca patre eam recitaret, 'magnam partem' eius libri conuoluit et dixit: 'Haec post mortem meam legentur' *(Sen. l. s.)*, neque contigit Caligulae odio Augusti ardenti, ut eius memoriam restitueret *(Suet. 16)*, quamquam Cassius Seuerus, cum eius libri comburerentur, uiuum se uri oportere dixerat, cum illos edidicisset. nimirum potentia Augusti maior erat, quam ut talis memoria ad posteros perueniret, praesertim cum etiam alii haberent, cur hanc potissimum abolerent.[1])

C. IVLIVS HYGINVS[2])

Vt Hyginos illos, qui libros de astrologia et genealogias siue fabulas scripserunt uel scripsisse dicuntur, omittamus, de C. Iulio Hygino liberto Augusti, quocum illi nil nisi Hygini nomen commune habent, certissimum idque copiosissimum testimonium hoc est Suetonii: *de gramm. et rhet. 20 p. 115 Rff. C. Iulius Hyginus Augusti libertus natione Hispanus (nonnulli Alexandrinum putant et a Caesare puerum Romam adductum Alexandria capta) studiose et audiit et imitatus est Cornelium Alexandrum grammaticum Graecum, quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi, quidam Historiam uocabant. praefuit Palatinae bibliothecae, nec eo secius plurimos docuit; fuitque familiarissimus Ouidio poetae et Clodio Licino consulari historico, qui eum*

1) Quod Iunius Gallio rhetor adulescens coram Seneca recitauit 'Rescriptum Labieno pro Bathyllo Maecenatis', libellum aliquem refutauit *(Sen. contr. X praef. 8)*, quoniam historia a uiuo certe Labieno non est edita.

2) C. B. Bunte *Hygini fabulae* p. 2 sqq. Cf. G. Fr. Unger *Der s. g. Cornelius Nepos in Abhandl. der Bayer. Akademie* XVI (1881) I p. 196 sqq.

admodum pauperem decessisse tradit [fr. 2] et liberalitate sua, quoad uixerit, sustentatum. huius libertus fuit Iulius Modestus, in studiis atque doctrina uestigia patroni secutus. Ex quo sua sumpsit Hieronymus *ad a. 2008 Abr. (9 a. Chr.) p. 145 Sch.* ad Hyginum praeceptoris cognomen transferens: *C. Iulius Hyginus cognomento Polyhistor grammaticus habetur inlustris.* Dubitatio de patria facile ita remota est, ut genus de Hispania eum traxisse statuatur. nam quod Suetonius eum Alexandria capta i. e. a. 47/707 a Caesare puerum Romam adductum esse tradidit, hoc temere fingi non potuit. hinc etiam quo fere anno natus esse uideatur apparet, annis 64/690—60/694. Romae autem Cornelius Alexander Polyhistor, institutus a discipulo quodam Cratetis Pergameni et in civitatem Romanam a Sulla a. 82/672—79/675 receptus, cum Alexandria caperetur, maxime florebat[1]) eoque etiam Hyginus praeceptore usus est. quod uero eum imitationi quoque fuisse Suetonius scribit, hoc primum ad materiam tractatam pertinet. nam ut Alexander, ita Hyginus opera geographica ea ratione composuit, ut fabulas delectationis causa insereret et urbium conditarum origines persequeretur. deinde uterque non tam iudicii acrimonia aut elegantia orationis quam colligenda aliena doctrina insignis fuit[2]), neque tamen eam doctrinam pro sua uendidit sed nomina auctorum adscripsit, id quod complura Alexandri fragmenta etiam nunc testantur atque in tanta paucitate etiam Hygini *(fr. 2. 6. 7. 10).*[3]) sed magis ad res Romanas inclinauit quam praeceptor, quoniam non solum situm urbium Italicarum scribendo amplexus est sed etiam de uiris illustribus libros composuit idemque exemplorum, quae litterarum genera Cornelius Nepos, ut rerum nouarum cupidus fuerat, ante eum apud Romanos excoluerat; hunc autem Hyginus etiam in eo consilio secutus est, quod ne legentium taedium moueret, uarietate rerum ieiunitatem exornabat; quin etiam cum de apibus librum ederet, fabulis abundabat. nam Columella *l. s.* posteaquam Hygini diligentiam lau-

1) Cf. Hulleman *De Corn. Alex. Polyh.* Susemihl *Griech.-Alex. Litter.* II p. 356—364.

2) Hygini quidem industriam mediam ponit inter Vergilii ornamenta et Celsi elegantiam Columella (IX 2, 1 sq.), quod 'ueterum auctorum placita secretis dispersa monimentis industrie collegit, Vergilius poeticis floribus illuminauit, Celsus utriusque memorati adhibuit modum'.

3) De Alexandro cf. Fragm. hist. Graec. III p. 207.

dauit, sic pergit: *atque ea, quae Hyginus fabulose tradita de originibus apum non intermisit, poeticae magis licentiae quam nostrae fidei concesserim* commendatque illum studiosis litterarum 'in otio legentibus, non negotiosis agricolis' (§ 2).

Eo magis mirum est, quod, si opus erat, diligentiae operae non pepercit, ita ut in commentariis Vergilianis scripturam quandam Ouidianam libro, qui 'ex domo atque familia Vergilii' fuisset, confirmaret *(Gell. I 21, 2)*; etiam maiore ad obscurum illud Heluii Cinnae propempticon explicandum utebatur; iure igitur a Gellio *l. s.* 'non ignobilis grammaticus' praedicatus est, etsi, id quod iam in Cornelio Nepote uidimus, scholae Crateteae subtilitatem cum uarietate, quae ceteris hominibus doctis grata esset, miscuit. hac tamen ipsa arte id effecisse uidetur, ut paedagogus agricolationis a Columella diceretur.[1])

Ex uita eius publica hoc unum constat bibliothecae Palatinae a. 28/726 ab Augusto conditae eum praefuisse, posteaquam Pompeius Macer a Caesare iussus initium libros ordinandi fecit *(Suet. Caes. 56)*, tempus tamen nanctum esse plurimos docendi et consuetudinis maxime cum Ouidio et Clodio Licino cos. a. 4/757 iungendae et colendae. itaque Hygini nomen in illius libris desiderabis[2]) possisque suspicari eum iam mortuum aut ab illo poeta spretum esse, cum occasiones uel nominandi uel significandi ex exilio multas haberet. sed scite R. Merkel *(Prolus. ad Ib. p. 389)* tristium elegiam III 14, qua totum librum dedicauit, ad Hyginum rettulit.[3]) etiam causas addam. nam quod eum alloquitur 'cultor et antistes doctorum sancte uirorum' et 'ingenio suo semper amice', qui 'incolumem quondam celebrare' solitus sit, 'antistes' apud Ouidium idem dicit *(ex P. IV 8, 25. met. XIII 631)* atque

---

1) I 1, 13 '*nec postremo quasi paedagogi eius meminisse dedignemur, Iulii Hygini.*' is locus saepe male intellectus est. nam cum antecederet in enumerandis rerum rusticarum scriptoribus Vergilius, uiri docti huius paedagogum eum fuisse uoluerunt, quod cum temporum ratione omnino pugnat (uid. Unger p. 22 sq.). pertinet autem *eius* ad agricolationem initio paragraphi undecimae positam opponiturque paedagogus rusticationis parenti. sequuntur enim uerba *uerum tamen ut Carthaginiensem Magonem rusticationis parentem maxime ueneremur.*

2) Doctrinam Hygini Ouidio poetae utilissimam esse potuisse per se ueri simile est. uestigium forsitan exstet. uid. adn. ad fr. 11.

3) Cf. G. Graeber *Untersuchungen über Ovids Briefe aus der Verbannung II.* Progr. gymn. Elberf. 1884 p. 13. Ehwald *Bursian Jahresb.* XLIII p. 187.

sacerdos et facile cum genetiuo '*doctorum uirorum*' de bibliothecae praefecto intellegitur, poetam autem id egisse, ut in bibliothecis publicis carminibus suis locus daretur, ex prima eius libri elegia apparet, ubi, quod in ultima petit, desiderari conqueritur:

quaerentem frustra custos e sedibus illis[1])
praepositus sancto iussit abire loco.
altera templa peto, uicino iuncta theatro:
haec quoque erant pedibus non adeunda meis. —
interea, quoniam statio mihi publica clausa est,
priuato liceat delituisse loco.

itaque habet in elegia quarta decima, cur quaerat ex illo, num 'colligat' sua carmina *(u. 5)*, preceturque, ut ei curae 'palam' sit haec turba *(18)*, quod item ad publicum munus pertinet, 'suisque libellis' etiam hunc tertium tristium librum apponat *(25)*. idem denique omnino 'uatum studiosus nouorum' *(7)* appellatur, neque est quisquam grammaticus, quem praeter Hyginum operam in suae aetatis poetis explicandis consumpsisse constet. itaque a. 10/744, quo illa elegia missa est, Hyginus bibliothecae Palatinae etiam praeerat. in hoc tamen offendimus, quod eum sibi usque ad finem uitae sustentandum fuisse Clodius tradidit, neque enim exiguum salarium eum ab Augusto accepisse probabile est *(Hirschfeld Verwaltungsbeamt.*[2] *p. 302 sq.)* plurimosque docuisse a Suetonio commemoratum. quam quaestionem soluere non poterimus nisi ita, ut uel casu aliquo Augusti patroni, qui eum manu miserat, fauore eum spoliatum uel corporis infirmitate munere fungi prohibitum esse coniciamus *(Unger p. 219)*. sed ut quo temporis spatio Clodii liberalitate usus quoque anno mortuus sit definiamus, omnia certa indicia desunt; neque enim quidquam iuuat discipulus eius Iulius Modestus, cuius aetas non minus obscura sit. Vergilii quidem eum superstitem fuisse commentarii, quos composuit, docent, quibus quae in Aeneide parum perfecta esse uiderentur, ita excusat, ut diutius si uixisset, eum correcturum fuisse defendat *(Gell. X 16, 1)*. sed coniectura illa de Ouidii elegia prolata etiam ultra a. 19/735 producti eramus. ultra consulatum certe Clodii Licini 'consularis historici' uidetur uixisse.

Nunc ut singula opera percenseamus, Exemplis Cornelium

---

1) I. e. bibliothecae Palatinae antea satis significatae.

Nepotem imitatus multa uariaque, quae memoria digna essent, congessit, quae solus Gellius laudauit.[1])

De uiris illustribus scripserunt, ut ait Hieronymus *de uir. ill. II p. 821 Vall.*, '— apud Latinos Varro, Santra, Nepos, Hyginus et Tranquillus'. diuersa tamen genera miscuit, nam Varronis imagines, quas dicit, longe aliae fuerunt atque uitae Nepotis uel Suetonii. sed si ex fr. 3 et 4 concludere licet, Hyginus Nepotem sequi maluit quam Alexandrinam doctrinam Varronis atque eos qui legerent etiam fabulis delectare, quod studium etiam in aliis eius libris deprehendimus. Asconii autem locum *(fr. 2)* sine dubitatione eidem operi tribueremus, nisi 'liber prior de uiris claris' citaretur, cum 'de uiris illustribus' libri minimum sex fuissent, neque corruptelam subesse dicere audeo, cum qui 'De uiris illustribus' libri scripti sint, semper fere hac ipsa inscriptione citentur. itaque alii duplici ratione ab Hygino libros ordinatos esse arbitrati sunt, alii epitomen duobus libris confectam *(Teuffel p. 615. Schanz II 1 p. 329)*, Unger illustres uiros cum in alias partes, tum in duas clarorum uirorum diuisos *(l. s. p. 224)*, Fr. Leo denique *(Biogr. p. 138)* doctas disputationes Alexandrina uel Varroniana ratione his duobus comprehensas, libris minimum sex uirorum illustrium uitas enarratas esse. certis tamen argumentis nulla sententia confirmatur, ut uiris illustribus 'claros' inseruerim. illud mentione dignum est ab Hygino Varronem auctorem nominatum esse.

Quousque praeter Gellium (et Asconium) eius usus patuerit, ne suspicari quidem licet. nam cum Hyginus aliena doctrina gloriari aut orationis elegantia noluisset sed auctores suos nominasset, qui scriptores eum usurpauerunt, ad antiquiores eius auctores se redisse simulabant; quid quod nescio an etiam Gellius Oppii uitam Africani ex Hygino cognouerit *(u. s. p. LIIII)*. certe quos alio loco 'de uita et rebus Africani' Oppium et Hyginum *(fr. 4)* citat, etiam III 4, ubi libros 'de uita P. Scipionis Africani' se legisse dicit, esse significati uidentur. quin etiam indiciis quibusdam etiam in libro Aurelii Victoris 'de illustribus uiris' ad eundem uocamur, quamquam quod Woelfflin *(De Ampelii libro*

1) Traube *Ber. der Bayer. Akademie* 1891 p. 405 etiam Valerium Maximum VIII 13 ext. 7, ubi Alexander citatur (ex eo Plin. n. h. VII 155 'Alexander Cornelius'), sua ex Hygino sumpsisse suspicatur, Bunte p. 12. Plin. VI 187—197 (de Aethiopia).

memoriali p. 35 sqq.), H. Hildesheimer *(De libro De uiris ill. urbis Romae p. 23 sqq. 63 sqq.)*, Opitz *(Fleckeis. ann. 123 p. 203)* eum primarium auctorem illi fuisse coniecerunt, ultra probabilitatem processisse uidentur. denique Hieronymus se ad Eusebii chronica plurima addidisse uel miscuisse, 'quae de Tranquillo et ceteris inlustribus[1]) historicis curiosissime excerpsisset' adfirmans *(p. 3 Sch.)* uix dubitatur quin solum Tranquillum in manibus habuerit.

De Italicis urbibus hoc testimonium habemus Seruii ad Aen. VII 678: *De ciuitatibus totius orbis multi quidem ex parte scripserunt, ad plenum tamen Ptolomaeus Graece, Latine Plinius. de Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in originibus. apud omnes tamen, si diligenter aduertas, de auctoribus conditarum urbium dissensio inuenitur, adeo ut ne urbis quidem Romae origo possit diligenter agnosci.* quam inscriptionem Unger *(p. 211)* propter fr. 8 ad unum librum, quo de Italicis libris egisset, pertinere censuit, totum autem opus ad urbes orbis terrarum, at neglexit et Seruii testimonium fragmentaque eiusdem certis inscriptionibus definita *(fr. 9. 11. 12. 13)* et studium Hygini ea, quae Alexander de pluribus terris collegerat, intra fines Italiae coercentis, mirorque Muenzerum, quod eum secutus est *(Quellen d. Plin. p. 130)*. ceterum magistri rationem disputandi retinuit, cum et res Italicas ex Graecia repeteret *(fr. 5. 7. 8. 9. 12)* et auctores, inter quos Protarchus Trallianus, Varro, Cato fuerunt, nominaret et fabulas delectandi causa interponeret easque multis uerbis exornaret *(fr. 8)*, quas arripiendi occasiones ex origine urbis explicanda capiebat, quae res ut etiam Polyhistori paene semper infeliciter ei cessit, quoniam doctrina eius omnia ad rationem intellectumque reuocans peruersam Graecorum Varronisque imitationem sapit atque saepe absurda est. materiam denique ita diuisit, ut propriis capitibus de origine *(fr. 9)* et de situ *(fr. 10. 13)* ageret. fragmenta eius libri solis debentur Seruio *(fr. 5. 7. 9. 10—13)* et Macrobio *(fr. 6. 8)*, quorum uterque scholiasta aliquo Vergiliano esse usus uidetur.

Denique Hyginus etiam de familiis Troianis scripsit *(fr. 14)*, Attici Varronisque exempla Augustique uoluntatem secutus; quae addidi fragmenta 15—17, omnino incerta sunt, maxime fr. 16, quod forsitan melius ad librum 'De proprietatibus deorum' referatur.

---

1) *his hist.* cod. Amandinus, *in hist.* alii codd., *his* deleui.

Omisi in enumeratione eorum, qui Hygino usi sunt, Plinium, qui in naturalis historiae indicibus librorum III—VI et X—XXII eum citauit, idque in his ante L. Veterem geographum, in IV—VI. XVI post Cornelium Nepotem, qui item de geographia scripsit, tum intra hos ipsos libros opere non significato sexies *(13, 134. 16, 230. 18, 232. 19, 88. 20, 116. 21, 53, cf. Spengel m. Rhen. 46, 67)*, uerumtamen nusquam uestigium ullum librorum historicorum apparet, immo quibus locis eum citauit, hi omnes ad naturas arborum, frugum, plantarum pertinent et ex libris 'De agricultura' originem ducere uidentur, quod uicinitate Sasernarum et (Tremellii) Scrofae in indice librorum X. XI. XVII. XVIII probatur. contra in librum III plura ex Italicis eius fluere potuerunt, uelut quae ex Cornelio Alexandro § 124 de Orumbouiorum origine referuntur.

C. CLODIVS LICINVS[1]

Clodium Licinum 'consularem historicum' cognouimus ex Suetonio *(fr. 2)*, qui quoniam Hyginum ab eo usque ad mortem liberaliter sustentatum esse rettulit, ille non diuersus esse potest a consule suffecto a. 4/757 C. Clodio Lic. *(Prosop. I p. 416 n. 919).*[2]) eiusdem tamen nominis auctor libri tertii rerum Romanarum a Liuio in libro XXIX citatur, unde ante hunc librum editum illum in scribendo uersatum esse appareret, i. e. ante annum fere 19/735 *(u. Liu. XXVIII 12, 12)*, id quod cum consulatu historici non concinit. deinde haec res etiam alieno loco inserta est aliasque dubitationes et de rebus et de uerbis mouet, ut recte A. Luchs in editione priore maiore hanc paragraphum uncis incluserit, praesertim cum in duobus codicibus deesset *(Prolegg. p. LXVII sq.)*. adiecta igitur est siue ab ipso Liuio opus suum perfectum supplente uel adnotante *(cf. Relliq. I p. CXIII)* siue a quodam uiro docto legente *(Holzapfel p. 62)*.

Nunc uero, quoniam inscriptio satis rara stabilita est, etiam

1) M. Hertz *De historicorum Rom. reliquiis quaestionum capita quinque.* Ind. lect. Vratisl. aest. 1871 p. 3—9. L. Holzapfel *L'opera storica di Clodio Licino*, Rivista di storia antica I [1895] p. 61—67; cautius Cichorius ap. Pauly-Wiss. IV c. 77—79.

2) Soltau *(Livius' Quellen p. 45)* hoc opus grammaticum uel antiquarium esse posuit scriptoremque ab historico diuersum, at uid. Holzapfel p. 63 sq.

duo Nonii loci eidem esse uindicandi uidentur, quorum etsi alterius ipsa fragmenti uerba difficultatibus intricata sunt, ut quondam etiam inscriptionem mutauerim locumque ita constituerim: '*Clodius* [i. e. Seruius Clodius glossographus] *commentariorum libro* XII: "*Quinque pristis: nauigium a forma a marina bellua dictum est" (Fragm. h. R. p.* XXIII*)*, Hertzius glossam Vergilianam '⟨Pristis⟩ nauigium; ea forma a marina belua dicta est' cum fragmento Clodiano 'quinque pristis' contaminatam esse proposuerit[1]), re denuo examinata partem truncam enuntiati ut saepenumero a Nonio receptam esse arbitror neque quidquam mutandum.[2])

Recte autem L. Mueller a. h. l. *(II p. 197)* adnotauit hunc historicum 'fuisse ex eis, qui spreto nouo nitore sine fuco orationis ad antiquiores se applicarent imitandos'. quod nisi ita esset, uix eum Nonius siue eius auctor citasset. instructus igitur scientiae abundantia doctrinaeque Hygini aliorumque antiquariorum crescenti Liuii auctoritati nudam rerum simplicitatem opposuisse uidetur neque ueritus esse etiam liberae rei publicae memoriam denuo persequi; nam, ut ex numero librorum colligitur, tertio demum libro usque ad a. 194/560 descenderat *(fr. 1)*. fuerunt omnes minimum uiginti et unus *(fr. 3)*. ubi substiterit, non constat. de sustentato quidem Hygino etiam in praefatione totius operis uerba facere potuit, quod Cichorius monuit *(l. s. p. 79)*. ceterum spes obscurandae Liuii auctoritatis eum fefellit; neque enim usquam uestigia eius usus apud rerum scriptores, si fr. 1 casu additum exceperis, inueniuntur.

M. VERRIVS FLACCVS[3])

Exigua pars Verrianae operae, si ulla, ad nos pertinet. locum suum habet praecipuum et inter praeceptores, qua laude tantum floruit, ut anno fere 10/744 ab Augusto in Palatium, ubi nepotes

1) At apud Vergilium *Pristis* est nomen proprium ab insigni ductum.

2) Nimis audacter Holzapfel p. 64 sqq., quod apud Liuium in re anni 168/586 narrata *quinque pristis* occurrit (uid. adn. ad fr. 4), fr. 4 ad eandem rem pertinere concludit et quod ex ratione, quae inter ambitum librorum Liuianorum et Clodianorum (III—XII = 194/560—168/586) intercedat, libro XXI Clodius ad a. 133/621 peruenire potuerit ut Liuius libro LVI, et fr. 3 ad eundem annum refert et opus ab a. 201/553 exorsum cum a. 133/621 finem habuisse quasi pro certo ponit.

3) Fragmenta collegit C. O. Mueller in edit. Festi p. XIII sqq.

C. et L. Caesares doceret ingeniaque excitaret, cum tota schola reciperetur princepsque praeceptorum tum duceretur *(Suet. de gr. 18 p. 114 Rff.)*, et inter grammaticos antiquariosque, cui studio reliquiae librorum De uerborum significatu fastorumque Praenestinorum etiam nunc testimonio sunt. Inscriptione forsitan huc trahi uideantur 'Rerum memoria dignarum libri'. at fuit haec lanx satura rerum admodum uariarum similisque Gellii noctium Atticarum *(Muenzer p. 299—321)*. ne de 'Etruscarum (sc. rerum) libris' quidem, quorum primi scholiasta Veronensis Vergilianus meminit, omnis dubitatio exclusa est, num historiam potissimum continuerit. Vitam descripsit Suetonius de gramm. 17 p. 113 Rff., unde libertinum (Praeneste oriundum, *Hirschfeld Herm. IX p. 105*) eum fuisse ut ceteros eius generis tum uiros doctos et decessisse 'exactae aetatis sub Tiberio' comperimus aliaque, quae supra de ipso memorauimus. sed in litteras maxime relicto Palatio incubuisse uidetur. nam fastos absoluit post a. 7/760 (unde Hieronymus eum insignem fuisse statuit a. 8 p. Chr.[1]) neque uitae spatio impeditur, quominus, quae usque ad a. 22/775, ab ipso addita esse statuamus), libros De uerborum significatu post a. 10/763. quid in eo Scribonius Aphrodisius, cum libris de orthographia 'non sine insectatione studiorum morumque eius' rescriberet *(Suet. de gr. 19 p. 114)*, reprehenderit, nescimus.

FENESTELLA[2])

De Fenestella haec testatur Hieronymus ad a. Abr. 2035 = 19 p. Chr. p. 147 Sch.: *Fenestella historiarum scribtor et carminum septuagenarius moritur sepeliturque Cumis.* unde primum hoc colligimus inter eum et Cumas rationem quandam intercessisse neque tamen ex ea urbe originem eum duxisse uel maiorem partem uitae ibi egisse, etsi non casu accidisse ueri simile est, quod Varronem secutus Erythraeae Sibyllae primum locum tribuit *(fr. 18)*, quae uel eadem existumabatur quae Cumana uel eius quasi parens *(Klausen Aeneas u. d. Penaten I p. 246 sqq.)*. nomine ignobilitas indicatur — nam praenomen Lucii ex subditicio

1) = 2024 Abr. p. 147 Sch.

2) L. Mercklin *De F. historico et poeta*, Progr. gymn. Dorpat. 1844. J. Poeth *De F. historiarum scriptore et carminum*, Dissert. Bonn. 1849.

Andreae Flocci libello ductum est —; si manu missus fuit, non, cum librum inscriberet, propter doctrinam seruiit, ne patroni quidem nomen illustre fuit. tempus uitae Hieronymi testimonio inter annos 52/702 et 19/772 definitur sed dissentit Plinius *(fr. 25)* 'nouissimo Tiberii Caesaris principatu' eum obiisse adiciens, qua de causa Mercklin *p. 3* et cum eo Poeth *p. 3* et Muenzer *(p. 345 sq.)* eum non post a. 36/789 mortuum, non post a. 35/719 natum esse statuerunt, cumque a. 35/719 S. Pompeius, 52/702 Cn. Pompeius consules fuerint, sane facile hi anni confundi potuerunt. tamen ad Hieronymi auctoritatem inclino, quae fr. 18 adiuuatur atque ex fr. 24 hoc unum sumo 'Augusti nouissimis temporibus' eum scripsisse, Pliniique haec uerba, non ipsius Fenestellae esse. in scribendo peruenerat libro uicesimo altero, qui ultimus citatur, usque ad a. 57/697 *(fr. 21)*.

Sed ut redeam ad illud testimonium, Scaliger speciose pro *carminibus* annales substituit, quam Fenestellae inscriptionem fuisse omnibus eis fragmentis, quibus addita est *(fr. 1. 2. 21. 28)*, confirmatur; at, quod carminum uestigia omnino non habemus, illa aetate a Fenestella ea non esse composita non sequitur. in curiositate sane totus fuit, ita ut non modo ipsas res gestas discrimine inter res grauiores minutiasque neglecto enarraret sed etiam uarias res antiquitatis complecteretur[1]), de magistratibus et prouocatione, de libris Sibyllinis, de anni spatio definiendo, de nummis, de aquae ductibus eorumque sumptibus, de uestimentis cenarumque luxuria, de ferarum pugnis in circo, de arboribus, quibus temporibus satae essent, etiam in uerborum originem ratione Varroniana inquireret *(fr. 8)*, in primis autem temporum numerorumque rationem haberet *(fr. 7. 10. 11. 13. 17. 20. 23)* atque ut annalium scriptor, si posset annos adscriberet. diligentissimus igitur scriptor a Lactantio dicitur *(fr. 18)*, neque mirum est quod Senecae philosopho odium mouit, qui et in dialogo decimo *(de breuitate uitae c. 13)* contra eos declamat, qui litterarum studiis detineantur, quae iam apud Romanos magna manus sit; nam se audisse quendam referentem[2]), 'quae primus quisque ex Romanis

1) Cornelium Nepotem (Ex. fr. 22) Fenestellamque (fr. 25) testes coniungit ingruentis luxuriae Plinius n. h. XXXIII 146, postquam paragrapho antecedente haec uerba fecit: *Erubescant annales, qui bellum ciuile illud talibus uitiis imputauere.*

2) Quod Seneca *his diebus* eum se audisse dicit concluditque querellam cum Papirii Fabiani philosophi laudatione, tota declamatio for-

ducibus fecisset', 'quis primus Romanis persuasisset nauem conscendere', quis primus in circo leones solutos dedisset, quis elephantorum multorum pugnam et quae sunt similia. sed Fenestellam etiam nominat ep. XVIII 5 (108) 31 *(fr. 6)*, ubi aliter Ciceronis de re publica libros legi a philologo, grammatico, philosopho disserit ponitque illum in philologorum numero. contra Asconio (3/756—88/841) primarius auctor fuit in Ciceronis orationibus explicandis neque luculentius testimonium eius diligentiae esse potest, quamuis saepe in eum inuectus sit, non semper suo iure *(Mercklin p. 9)*.

Eiusdem autem curae fuit artem criticam exercere *(fr. 9. cf. 7. 19)*, scriptores, ex quibus hauserit, nominatim edere, si posset, testes oculatos proferre *(fr. 15)*, cum Graecos, huius litterarum generis inuentores, imitaretur *(cf. s. p. CII)*, quos auctores, qui Fenestella uterentur, ut doctrina gloriarentur, haud raro ex eo transtulerunt *(fr. 18. adn. 3. 4. 6. 8)*. plurima uestigia ab eo ducunt ad Varronem.

Denique omnino copia et uarietas materiae sermonisque ieiunitas *(fr. 21)* cum Liuii elegantia ubertateque et arte oratoria discrepabat, id quod Fenestellam, quoniam ille librum nonum ante annum 20/734 absoluerat, fugere non potuit. uterque autem id spectauit, ut res Romanas ab origine Romana[1]) usque ad suam aetatem persequeretur. quaeritur, utrum libertinus seruusue, a quo ordine curiositas tum maxime colebatur, inuidens fauori Augusti, quo Liuius florebat, quasi in certamen descendere maluerit, an ut crescenti illi studio seruiret, opus Liuianum supplere. certe eius minutiae multorum scriptorum curiositati placuerunt, ut etiam epitomae libris minimum duobus conficerentur.[2]) nam etiamsi fragmentorum numerus ultra tricesimum non excedit, quindecim tamen scriptores eum citauerunt, plerique singulis locis neque potest decerni maioris eorum partis fragmenta ex uno aliquo fonte originem ducere. Senecae quidem ipse notus erat, qui semel eum nominauit *(fr. 6)*, non minus Plinio, qui sex libris *(XV. XXXIII.*

sitan ex eo repetita sit aduersataque (natus Fabianus erat inter annos 39/715—34/720) ipsi Fenestellae uiuenti. *Geschichtl. Litt. I p. 116 sq.*

1) Nescio qua causa inductus Maduig *De Asc. Ped.* p. 64 eum a bellis Punicis incepisse posuerit.

2) Has epitomas Fenestellam ex aliorum uelut Oppii auctorum libris excerpsisse Soltauius censuit (Livius' XXII. Buch und Plutarch. Progr. gymn. Tabern. 1896 p. 15); sic tamen addidisset auctoritatem alienam.

VIII. IX. XXXV et secundum indicem etiam XIV) octo locos excerptos inseruit *(fr. 7. 12. 25. 13. 24. 14. 26. 27)*, quosdam iam absolutis.[1])

Etiam Asconium eum ante oculos habuisse, cum commentarios suos scriberet, iam supra diximus, saepiusque citat *(fr. 19. 20 bis. 22. 23)* quam quemquam alium auctorem (Liuium bis, Sallustium semel), etiam quam acta (quae quinquies); nam p. 1 (contra Pisonem) parum feliciter Kiessling et Schoell Tironis uel Nepotis nomine lacunam expleuerunt pro editionis principis '*Fenestella*', cum Tiro ab Asconio uno loco inferiore *(p. 43)* nominatus sit, idque addita libri inscriptione, Nepos nusquam, Fenestellae autem auctoritatem etiam hic refutet, ut tribus aliis locis; addendum igitur est hoc fragmentum:

54/700 p. 1 K. et Sch.: *Fenestella quidem posuit hanc inter eas orationes quas dixit Cicero L. Domitio Appio Claudio coss. ultimam. sed ut ego ab eo dissentiam, facit primum quod et q. s.*

Dubia res est p. 62, 8, ubi eius nomen lacuna intercidisse Kiessling *(a. h. l.)* opinatur, et p. 31, 13—16, ubi Lichtenfeldt *(De Asconii fontibus ac fide p. 56 sq.)*, quod hi uersus cum Appiano *b. c. II 20 et 23* et Plutarcho *Caes. 28* consentiunt, initio autem commentarii orationis Milonianae *(p. 26, 5)* Asconius se 'annalibus' usum esse profitetur, hos ad Asinium Pollionem redire censet, neque tamen ad ipsum, qui nusquam ab Asconio citetur, sed per Fenestellam auctorem paulo post citatum. num Plutarchus praeter tres locos, quibus eum citauit, eum inspexerit, nescimus; nam coniurationem Catilinae secundum eum scriptam esse mihi

1) Muenzer *Quell. d. Plin. p. 343 sqq.* — Brunn *De Plinii indic.* p. 42 indicis ordine ductus etiam XXXV 10 ex Fenestella sumptum esse arbitratus est, ubi quis primus imagines scriptorum in bybliothecis posuerit quaerit, utrum Asinius Pollio, 'qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem p. fecit', an Alexandriae et Pergami reges, tum uir quidam doctus apud Zarnckium *(Lit. Centralbl. 1882 c. 936 sq.)*, cum index duos annalium scriptores, Pisonem et Fenestellam exhibeat, VIII 181 *(Annalibus notatum est M. Pisone M. Messalla coss. a. d. XIIII kalendas Octobris Domitium Ahenobarbum aedilem curulem ursos Numidicos centum et totidem uenatores Aethiopas in circo dedisse)* et 210 *(Solidum aprum Romanorum primus in epulis adposuit P. Seruilius Rullus, pater eius Rulli, qui Ciceronis consulatu legem agrariam promulgauit. tam propinqua origo nunc cotidianae rei est. et hoc annales notarunt, horum scilicet ad emendationem morum, quibus non tota quidem cena sed in principio bini ternique pariter manduntur apri)*, quibus locis optime argumenta cum Fenestellae annalibus concinunt.

omnino esse incertum uidetur, etiam multo magis quam Ed. Schwartzio, qui Herm. XXXII p. 602 sq. hanc coniecturam protulit. Epitomarum uarietatem in subsidium Soltauius uocauit, quo plura ex Fenestella repeteret (*l. s. s. p. 14 sqq.*), certa tamen causa caruit. Nonio tria fragmenta debemus *(1. 2. 21)*, Frontino, Suetonio[1]), Vlpiano, Censorino[2]), Tertulliano[3]), Lactantio, Macrobio, Prisciano singula, Diomedi notitiam epitomarum.[4]) Ioannes Lydus utroque loco, quo eius meminit, res miscuit; uno enim se ex Iunio Gracchano sumpsisse simulat, quae ex Vlpiano deducta sunt *(uid. adn. ad fr. 4)*, altero *(fr. 8)* et Fenestellam et Sisennam a Varrone in usum uocatos esse dicit. Apud alios scriptores certa eius usus indicia frustra quaesiuimus neque E. Maassio assentimur, qui anonymum codicis Vindobonensis sua ex Fenestella sumpsisse censuit *(uid. Bursian Jahresber. XVII (1879) p. 191)*.

A. CREMVTIVS CORDVS[5])

Quae de huius uita accepimus, cum causa omnia cohaerent, qua petitus mortem sibi consciuit. hinc anno fere 35/719 eum natum esse intellegimus, quia tum (25/778) *ἐν πύλαις γήρως* erat *(Dio 57, 24)*, senatoremque fuisse, quia apud senatum accusatus est. neque tamen umquam in uitam publicam processit, sed otium in studia insumere maluit atque ut etiam propter eloquentiam libri laudarentur effecit *(Seneca ad Marc. 1, 3. 24, 2)*, cuius artis reliquias quasdam Seneca pater *(fr. 1. 2)* seruauit. neque uero Seiani potentiam crescentem ferre potuit et, cum in

1) Gellius (fr. 17) Fenestellae nomen ex Asconio sumpsit.

2) Fortasse ex Suetonio, Reifferscheid p. 434, Glaesser *De Varron. doctr. ap. Plutarchum uestigiis* p. 193 sqq.

3) Quod hic Fenestellam annalium commentatorem citat, caue hoc de interprete dictum esse existumes, est idem quod annalium scriptor; cf. de carne Christi c. 22: *Matthaeus, fidelissimus euangelii commentator*.

4) Apud eundem Diomedem p. 381, 22 Keil hanc scripturam exhibuit: *Varro ad Ciceronem de Fenestella quiritatur* Fenestellamque in indice auctorum posuit (p. 569). recte tamen Mercklin Philol. III p. 151 '*de fenestella quiritatur*' defendit recepitque ea uerba inter fragmenta Varronis de lingua latina A. Wilmanns *De Varr. libris gramm.* p. 170.

5) J. Held *Commentatio de uita scriptisque A. Cr. C.* Progr. gymn. Suidnic. 1841. C. Rathlef *De A. Cr. C. commentatio* Diss. Dorpat. 1860.

senatu aperte ei aduersari nollet indignationemque suam libere dictis euomuisset[1]), eius iram irritauit, qui cum Tiberio dicacitatem grauissimo odio esse sciret *(Suet. Aug. 51)*, anno 25/778 duos clientes Satrium Secundum et Pinarium Nattam in eum immisit, cum annalibus ab eo scriptis Brutum Cassiumque laudatos esse praetenderet *(fr. 3)*, id quod eo magis absurdum fuit, quia Cremutius illos ipsos Augusto recitauerat *(Dio 57, 24, cf. Geschichtl. Litt. I p. 66)*, cuius cum domo etiam familiariter coniunctus erat. nihilominus cum de uita desperasset, apud senatum fortiter et constanter se defendit, tum uero abstinentia uitam finiuit *(Tac. ann. IV 34 sq. Seneca l. s. c. 23)*.

Annales, quae sola inscriptio tradita est *(fr. 3)*, unum saeculum complexi sunt, quod Seneca eum ipsum 'ex arce caelesti' dicentem facit: *Iuuabat unius me saeculi facta componere, in parte ultima mundi* (i. e. ex stoicorum doctrina in terra) *et inter paucissimos gesta*, hoc unum tot saeculis, quae in caelo uiderat, opponentem *(ad Marc. 26, 5)*, idque saeculum fuisse Augusti, quod a Caesare repetendum fuit, confirmat Dio l. s.: *ἐπὶ τῇ ἱστορίᾳ, ἣν πάλαι ποτὲ περὶ τῶν τῷ Αὐγούστῳ πραχθέντων συνετεθείκει.* Qua autem erat libertate, laudabat Brutum Cassiumque Romanam uirtutem eorum morte exstinctam esse conquerens *(fr. 3)* et proscribentes, ut ait Seneca *(26, 1)*, in aeternum ipse proscripsit, idem tamen Caesarem Augustumque ipsos cum reuerentia quadam prosecutus est et bellorum ciuilium, quae defleuit *(Sen. l. s.)*, culpam potius ad senatum populumque rettulit *(Dio l. s.)*. Horatium audire nobis uidemur neque miramur, quod fidem annalium incorruptam fuisse Seneca praedicat *(1, 3)*. eam uero ipsam ob causam, ne superstites essent, senatus per aediles eos cremandos censuit *(fr. 3)*, sed addit Tacitus 'mansisse eos, occultos et editos', idque studio et pietate Marciae filiae, de qua Seneca a. fere 50/803 haec declamat (1, 3): *Vt uero aliquam occasionem mutatio temporis dedit, ingenium patris tui, de quo sumptum erat supplicium, in uisum hominum reduxisti et a uera illum uindicasti morte ac restituisti in publica monu-*

---

1) Senec. consol. ad Marciam [filiam Cremutii a. fere 50/803] 22, 4 *Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Seianus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat Seianum in ceruices nostras ne inponi quidem sed escendere. decernebatur illi statua in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat. exclamauit Cordus tunc uere theatrum perire et q. s.*

menta libros, quos uir ille fortissimus sanguine suo scripserat. optime meruisti de Romanis studiis, magna illorum pars arserat.[1]) *optime de posteris, ad quos ueniet incorrupta rerum fides auctori suo magno inputata. optime de ipso, cuius uiget uigebitque memoria, quamdiu in pretio fuerit Romana cognosci, quamdiu quisquam erit, qui reuerti uelit ad acta maiorum, quamdiu quisquam, qui uelit scire, quid sit uir Romanus, quid subactis iam ceruicibus omnium et ad Seianianum iugum adactis indomitus, quid sit homo ingenio, animo, manu liber. magnum mehercule detrimentum res publica ceperat, si illum ob duas res pulcherrimas in obliuionem coniectum, eloquentiam et libertatem, non eruisses: legitur, floret, in manus hominum, in pectora receptus uetustatem nullam timet: at illorum carnificum cito scelera quoque, quibus solis memoriam meruerunt, tacebunt.* Tiberio enim mortuo Caligula etiam hos annales in lucem protraxerat lectitarique iusserat *(Suet. Cal. 16),* ut Seneca illud de aeterna eorum memoria uaticinari potuerit, pater autem eius locos quosdam suasoriis suis inserere *(fr. 1. 2),* quamquam Ciceronis laudationem et ipso et Cremutio non dignam esse iudicat.[2]) quod tamen Quintiliani aetate non integri legebantur, tum, cum annales denuo publicarentur, eos circumcisos esse ueri simile est. sed etiam huius aetate 'amatores eorum libertas suos habuit'; nam felicissime Nipperdeius X 1, 104 loco ante se desperato Cremutii nomen restituit (Op. 409 sqq.): *Habet amatores*[3]) *nec inmerito Cremuti*[4]) *libertas, quamquam circumcisis quae dixisse ei nocuerat.*[5]) *sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in his, quae manent.* tum Tacitus Suetoniusque eorum cognitionem habuerunt, Cassius Dio certe de eis legerat; in multorum tamen manibus non uidentur fuisse, quin etiam num Plinius in naturali historia, qui praeter fr. 5 et 6 etiam in indice libri VII eum auctorem nominat, hos inspexerit propter argumenti diuersitatem dubium est.

---

1) *magna illorum pars* pertinet ad Romana studia, non ad libros, quod quidam uoluerunt; dicit igitur Seneca annalibus igni traditis magnam studiorum partem arsisse.

2) Asteriscis in fragmentorum editione peperci, quia antea suas. 6, 16 Seneca a declamatoribus ad historicos se transire praemiserat.

3) *imitatores* cod. Monac.

4) *rem ... muti* (*rem remitti* ante ras.) Bamb. *remitti* Argent.

5) *dixisse uoluerit* Nipperdey. *dixisset, emacuerit* Ritter Philol. VI p. 758 sq. parum recte.

BRVTTEDIVS NIGER

Bruttedius siue Bruttidius (quae forma recentior fuit)[1]) omnino aliam uitae rationem iniit atque Cremutius Cordus, cum ab ineunte aetate incensus ambitione quam primum ad summos honores properaret eaque de re, ut Tiberii Seianique gratiam aucuparetur, cum Mamerco Scauro consulari Iunioque Othone praetore C. Silanum pro consule Asiae repetundarum a sociis postulatum simul corriperet obiectaretque uiolatum Augusti numen, spretam Tiberii maiestatem (a. 22/775). quam causam Tacitus narrans haec iudicat *(ann. III 66): Bruttedium artibus honestis copiosum et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat; quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis, quae tarda cum securitate, praematura uel cum exitio properant.* Eum Apollodori Pergameni, eius qui Augustum Apolloniae docuerat, discipulum fuisse et in ludo rhetorico gloria floruisse discimus a Seneca patre *(contr. II 1, 35 sq.)*, idemque eum inter historicos enumerat duos locos ex eius historiis adferens *(fr. 1. 2)*, qui omnem artem oratoriam ostentant; quid quod priore declamationi tantum indulserat, ut a Cicerone patrono Popillium in iure quondam defensum esse traderet[2]), quod recte Seneca uituperat *contr. VII 2 (17), 8: Popillium pauci ex historicis tradiderunt interfectorem Ciceronis et hi quoque non parricidi reum a Cicerone defensum, sed in priuato iudicio: declamatoribus placuit parricidi reum fuisse.* His exhausimus, quae de eius historiis accepimus, de uita illud addendum est eum a. 31/784 inter amicos Seiani occisum esse (nam idem fuit, qui a Iuuenale 10, 83 describitur) et ante a. 6/748 ut aedilem a. 22/775 natum esse uideri.

TVSCVS

Cognitio huius Tusci in Senecae suasoria 2, 22 posita est: *Sed si uultis, historicum quoque uobis fatuum dabo. Tuscus ille, qui Scaurum Mamercum, in quo Scaurorum familia exstincta est,*

1) De forma nominis uid. Buecheler m. Rhen. XI 295.

2) Ceterum instrumentum hoc fuit in ludo rhetorum ad uim oratoriam augendam uulgare; etiam M. Antonius orator apud Velleium II

maiestatis reum fecerat, homo quam inprobi animi tam infelicis ingenii, cum hanc suasoriam [de trecentis Laconibus contra Xerxem missis] declamaret, dixit: 'Expectemus, si nihil aliut, hoc effecturi, ne insolens barbarus dicat: 'Veni, uidi, uici'', cum hoc post multos annos diuus Iulius uicto Pharnace dixerit. delationis tamen, quam Macronis gratia a. 34/787 susceperat, fructu, quem expectauerat, caruit; nam quia pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperat, in insulam interdicto igni atque aqua demotus est, siue Seruilius siue Cornelius fuit; sic quidem a Tacito *(ann. VI 29 sq.)* Mamerci Scauri duo accusatores nominantur. Dubium tamen est, num recte hic inter rerum scriptores numeretur. potest enim iudicium illud Senecae ad ipsum dictum Thermopylense referri, quo fatue contra historias Tuscus peccauerit.

CN. CORNELIVS LENTVLVS GAETVLICVS

Etiam hic inter adulatores imperatorios locum suum inueniat. certe eo uno loco, quo omnino citatur, Suetonius, ut ubi Caligula natus sit, eruat, larga in 'tradentium' i. e. historicorum copia, quod mentitus esset per adulationem, Plinio adsensus eum uituperat, idemque filium Seiani generum sibi destinauerat *(Tac. ann. VI 30).* multas autem res uiderat uel gesserat, quas describeret *(uid. Prosop. I 455 n. 1134).* nam praetura peregrina a. 23/776 et consulatu a. 26/779 functus per decem annos (29/782—39/792) legatus prouinciae Germaniae superioris fuit mirumque amorem adsecutus est 'effusae clementiae, modicus seueritate' *(Tac. ann. VI 30).* sed hic ipse amor causa uidetur fuisse, ut cum M. Aemilio Lepido a. 39/792 coniurationis reus factus occideretur *(Suet. Claud. 9. Acta fr. Arual. Henzen p. XLIX).* ceterum in litterarum studium eum incubuisse etiam quae composuit carmina testantur, non solum erotica sed etiam epos, quo hexametris de Britannis egit *(Baehrens fr. p. Rom. p. 361. uid. Prosop. l. s.),* ex quo quod O. Jahn *(ad Pers. p. CXLVII)* Suetonium sua sumpsisse coniecit, uereor ut recte ea 'tradita' esse dixerit.

22, 3 a militibus occisus est, 'quos ipsos facundia sua moratus erat', apud Valerium Maximum V 3, 3 proditus a Sextilio C. Iulius Caesar, 'a quo cum studiose tum etiam feliciter grauissimi criminis reus defensus fuerat'. Vide Gesch. Litt. I p. 21.

L. ANNAEVS SENECA[1])

De huius historiis quae certa traduntur filius philosophus in uita eius narrauit *(uid. p. 98 fr. 1)*. nam post controuersias suasoriasque, quas senex sexaginta fere septem sexue annorum post a. 34/787 composuit, res Romanas 'ab initio bellorum ciuilium[2]) paene ad mortis suae diem' persecutus est neque tamen ipse edidit, siue morte interceptus siue imperatorum saeuitiam ueritus; nam, ut erat uir antiqui rigoris *(Sen. ad Helu. 17, 3)*, quem ex prouincia retinuerat, initium eam ipsam ob causam ab illis bellis fecisse uidetur, ut ueritatem, quam inde retro abiisse filius addit, restitueret. uidit etiam mortem imperatoris Tiberii *(f. 2)*, intra quam et exilium filii (41/794) diem supremum obiit.

Ciuilium bellorum furore territus Cordubae in colonia patria se retinuerat *(contr. I praef. 11)*, eis tamen quae insecutae sunt rebus ipse interesse et ut declamationes memoriter scribere potuit. edidisse filius has 'historias' uix ante reditum ex exilio uidetur, sed omnis eorum memoria duobus locis continetur, uno Suetonii, qui aequales testes citare solet, altero Lactantii, quem Fr. Haase in edit. Senecae III p. 437 ad patrem rettulit, de quo magna controuersia orta est. falso enim Annaeum Senecam pro Annaeo Floro, item tempora populi Romani in aetates hominum distribuente, a Lactantio positum esse quidam arbitrati sunt[3]); nam hi multis in rebus inter se discrepant *(Jahn praef. ad Flor. p. xxxviiii)*; tum uero apud Lactantium omnia egregie fluunt, hic autem, cum numerorum incuriosus esset, omnia miscuit atque ipse secum pugnat, denique iudicium, quod de bellis ciuilibus Brutique libertate profert, multo aptius cum Seneca patre quam cum Floro concinit (etiam melius quam cum filio, u. *Gesch. Litter. II p. 7. I 79 sqq.*). itaque si ratio aliqua inter Florum et Senecam intercedit, comparationem illam Florus ab hoc mutuatus ipse

---

1) De praenomine u. Woelfflin m. Rh. L p. 320.

2) Quod accuratius initium fuerit, dubitatur. nam Niebuhr (l. infra p. cxxviiii s. p. 104) cum Liuio id a Caesaris in Italiam aduentu repetit, O. Rossbach *(Bresl. philolog. Abhandl. II 3 p. 162 sqq.)* cum Appiano et Floro a Ti. Gracchi morte breuemque bellorum externorum descriptionem praemisisse eum, quae tamen Flori priorem librum spatio aequaret, statuit.

3) Spengel, Abhandl. d. Bayer. Akad. 1861 IX 1 p. 345 sq. Unger Philol. 43 p. 438 sqq.

numeris in similitudinem quandam per lusum leuiter rotundatis exornauit, ut septingenti ab urbe condita usque ad Caesarem Augustum efficerentur, id est usque ad a. 29/724, quo 'ubique una atque continua generis humani aut pax fuit aut fatigatio', annum septingentesimum secundum aeram Cincianam *(Unger l. s. p. 431)*. sed utut est, Lactantius uel eius auctor Senecae sententiam integriorem seruauit, etsi Brandtio *(Add. ad Lactant. I p. cxi sq.)* et O. Rossbachio *(in ed. Flori p. liii sqq.)* etiam aliis locis Senecam et Floro et Lactantio (I 15, 31; 22, 1—4. V 13, 13) fontem fuisse dicentibus non adsentior. Filium haec illaue in libros suos ex patris historiis transtulisse per se ueri simile est neque tamen cum Rossbachio *(l. s. p. 166 sqq.)* quaedam quasi digito monstrare uolo.

IMP. TIBERIVS CLAVDIVS NERO

Solus Suetonius historiam imp. Tiberii commemorauit idque ut eum certis argumentis refutaret. Inscriptio fuit 'De uita sua', quacum utrum '*commentarius*' ab initio coniunctus sit an a Suetonio additus, incertum est. certe 'summatim breuiterque' eo teste compositus erat atque ad publice defendendam uitam suam, qua quidem in re ne manufestis quidem mendaciis pepercit, nam, ut idem dicit, alterum filium Germanici (Neronem) ipse ante Seianum, alterum (Drusum) post eum interemit. sub finem igitur uitae (nam Drusus a. 33/786 obiit) illud opusculum scribendum suscepit commentariorum ueterum simplicitatem imitatus, etsi in scribendo summa arte utebatur, monumentorumque publicorum breuitatem, non ubertatem Sullae, Ciceronis, Caesaris, resque, quarum curiosus erat *(Gesch. Litt. I p. 87 sq.)*, enumerans non enarrans. Ex tenebris autem Suetonius hunc commentarium uidetur eruisse, nam quod Domitiani lectionem intra 'commentarios et acta Tiberi' sese continuisse dicit *(c. 20)*, illi a 'uita' diuersi erant atque quaecunque in commentando, priusquam ageretur, descripta erant, complectebantur.[1])

---

1) Cf. Tac. ann. XIII 43 *compertum sibi referens* [Nero] *ex commentariis patris sui.* hist. IV 40 *commentarii principales.*

IMP. TIBERIVS CLAVDIVS

Cum uir quinquagenarius rerum potiretur, otium suum in diuersarum litterarum studio consumpserat. nam cum ab Augusto Tiberioque ad res publicas parum idoneus haberetur, ut erat liberaliter eruditus bonarumque artium cupiens *(Tac. ann. VI 46)*, totus in illis uiuere coepit consuetudineque uirorum litteratorum diem explere. a qua Augustus, ne animum rerum uarietate distraheret, non conformaret, absente Liuia cottidie ad suam cenam eum inuitabat *(Suet. c. 4)*, Liuius autem ut historiam scriberet hortatus est *(Suet. c. 41)*, a nugis illum (nam etiam artem alea ludendi scripsit, *Suet. 33*) eius seueritate reuocatum animique eius ingenitam nobilitatem *(sic Augustus Suet. 4)* restitutum eruditumque iri arbitratus. sed haec spes eos fefellit. nam doctrina eius mentem quasi obruit atque imminuit, ut, cum certo iudicio careret, et res summas minimas pari diligentia tractaret et ne imperator quidem factus, qua erat pertinacia liberalibus studiis deditus *(Suet. c. 40)*, a scribendo desisteret. hinc eum ut hominem ineptum stultumque etiam propinqui insectati sunt.

Historiarum autem librorum hunc indicem composuit Suetonius c. 41, in eis componendis Sulpicii Flaui cuiusdam eum usum esse adiciens *(cf. c. 4)*:

In principatu quoque et scripsit plurimum et assidue recitauit per lectorem.

(I) Initium autem sumpsit historiae post caedem Caesaris dictatoris,

(II) sed et transiit ad inferiora tempora coepitque a pace ciuili, cum sentiret neque libere neque uere sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus saepe et a matre et ab auia.

Prioris materiae duo uolumina, posterioris unum et quadraginta reliquit.

(III) Composuit et de uita sua octo uolumina, magis inepte quam ineleganter. — —

(IIII. V) (c. 42) Denique et Graecas scripsit historias, Tyrrhenicon uiginti, Carchedoniacon octo. quarum causa ueteri Alexandriae Musio ⟨alterum⟩ additum ex ipsius nomine, institutumque, ut quotannis in altero Tyrrhenicon libri, in altero

Carchedoniacon diebus statutis uelut in auditorio recitarentur toti a singulis per uices.[1])

Pauca de his libris suppleri possunt. nam historiam 'post caedem Caesaris' duobus uoluminibus (I) uidetur non absoluisse, deterritus et Antoniae matris et Liuiae auiae conuiciis, in publicum tamen etiam haec recitando emisisse, ut quam primum in hominum doctorum sermonem perueniret, alterius historiae libri unus et quadraginta a pace ciuili, i. e. ab anno 29/725, quo imperium ad Octauianum delatum Ianusque ab eo clausus est, exorsi unius quisque anni res continebant, si usque ad Augusti mortem eum res exposuisse cum Buechelero *(ad Sen. apocol. c. 5. p. 48 Symbol. Bonn.)* sumimus. Vitam suam iam ante a. 44/797 incohauerat, quo anno Seneca Polybium eius libertum consolandi causa admonet, ut Caesaris opera componat: 'nam ipse tibi optime formandi condendique res gestas et materiam dabit et exemplum' *(ad Pol. 8, 2)*, eumque copiose scripsisse librorum numerus, eleganter Taciti iudicium confirmat *(ann. XIII 3)*. quod tamen latinitatis laude non contentus a Romanis rebus digressus obscuriores perscrutatus et Graece Tyrrhenicas uiginti, Carchedoniacas octo libris persecutus ridiculum in modum Alexandrinorum auribus eos obtrudere uel inculcare conatus est, nescio quem euentum hoc certamen cum clarissimis scriptoribus institutum habuerit. Tuscorum certe plausum tulit, quorum duodecim urbes magnificum monumentum in urbe Caere ei posuerunt *(E. Bormann, Archaeol.-epigr. Mitteil. aus Österr.-Ungarn 1887 p. 104 sqq.)*.

Sed ueritatis Claudius, qui etiam patrocinium Ciceronis contra Asinii Galli malignitatem suscepit *(Suet. 41)*, tenax esse sibi uidebatur, ut primum opus institutum omittere quam a matre auiaque ab ea deflecti maluerit. idem tamen incensus erat indignatione et ira in Gaium, quam in edicto Anaunensi aperte professus est, neque de Augusto et Tiberio eum omnia in bonam partem uertisse fr. 2 docet *(Gesch. Litt. I p. 318)*. itaque Plinius multa ex hac patroni sui historia in naturalem historiam excerpsit. Seneca tamen philosophus, cum omnino curiositatem irrideret *(Gesch. Litt. I 112. 116 sqq.)* illud studium inique augens, tum in apocolocyntosi *(c. 5)* Claudium gaudentem fecit et sperantem esse in caelo apud philologos

1) De commentariis Claudii, ex quibus quaedam Neronem proferentem Tacitus facit (XIII 43), uid. p. CXVIIII.

homines aliquem historiis suis locum. respiciebat uero maxime digressiones, in quas quauis occasione abusum, ne quid periret, doctrinae et uanitatis suae cornu effundere eum solitum esse etiam oratio de iure honorum Gallis dando demonstrat. nam ita exorsus '*multa in Romana ciuitate nouata esse, et quidem statim ab origine urbis multasque in formas statusque rem p. diductam esse*', rem a condita urbe regibusque repetit et hoc specimen historiae suae edit, quod, cum alia eius exempla ad uerbum non sint tradita, hic propono: *Is* [Tarquinius Priscus] *propter temeratum sanguinem, quod patre Demarato Corinthio natus erat et Tarquiniensi matre generosa sed inopi, ut quae tali marito necesse habuerit succumbere, cum domi repelleretur a gerendis honoribus, postquam Romam migrauit, regnum adeptus est. huic quoque et filio nepotiue eius (nam et hoc inter auctores discrepat) insertus Seruius Tullius, si nostros sequimur, captiua natus Ocresia; si Tuscos, Caeli quondam Viuennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes, postquam uaria fortuna exactus cum omnibus reliquis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupauit et a duce suo Caelio ita appellitauit mutatoque nomine (nam Tusce Mastarna ei nomen erat) ita appellatus est, ut dixi, et regnum summa cum rei p. utilitate optinuit. Deinde postquam Tarquini Superbi mores inuisi ciuitati nostrae esse coeperunt, qua ipsius qua filiorum eius, nempe pertaesum est mentes regni, et ad consules, annuos magistratus, administratio rei p. translata est.* Historici igitur ratione rem aggressus auctores et Romanos et Tuscos distinxit neque hos finxit, quoniam, siue ipsis siue Verrio Flacco alioue Romano scriptore usus est, quae ex eis hausit, etiam Vulcis in sepulcro quodam picta detecta sunt *(cf. Muenzer m. Rh. LIII p. 596 sqq.)*. at sermo, etsi uestigia quaedam Liuiana apparent *(u. Muenzer l. s. p. 609)*, a lactea illa ubertate multum distat parumque apte de Seruio Tullio res una periodo inuoluit et circumscripsit *(Norden Kunstprosa p. 236)*. quamquam operae hic non pepercit, qua eum in edicto Anaunensi carere uidemus *(Mommsen Herm. IV p. 106 sq.)*. nimirum in historia elegantia opus erat.

Sed inter homines eius historiae locum sibi non aperuerunt. nam soli Suetonius atque Plinius 'historias' eius citauerunt idque singulis locis *(fr. 1. 3)*, atque etiam dubium est, num illius alterum fragmentum *(2)* ex eis sumptum sit, Plinio autem, qui in indicibus librorum V. VI. XII. XIII Claudium Caesarem nominauit,

etiam in rebus geographicis, ad quas omnia eius fragmenta pertinent, digressiones largam uariarum rerum materiam suppeditauerunt.[1])

AGRIPPINA CLAVDII

Hanc (natam a. 14/767 uel 15/768, mortuam 59/812) 'uitam suam et casus suorum posteris memorasse' Tacitus ann. IV 53 prodidit, qui item colloquium quoddam matris cum imperatore Tiberio secundum hos 'commentarios' narrat; praeter eum solus Plinius in naturali historia eius meminit ut certissimae de Neronis genitura testis. cuius cum natura et indoles satis notae essent, multi multa in eis scripta fuisse excogitauerunt, sed quae R. Raffay *(Die Memoiren der Kaiserin Agrippina, Wien 1884)*, omni fundamento carent, atque ne Rankius quidem, quod Tacitum, quae de morte Germanici declamat, ex eis hausisse suspicatur *(Analekten p. 299)*, cuiquam hoc persuaserit, aut Mommsen *(Berichte d. pr. Ak. XXXIX [1904] p. 1155)*, quod colloquium Tiberii et Agrippinae maioris (*ann. IV 52 sq.*, quidni haec ipse ut rhetor pluribus exornauerit?). illud constat eam non ueritati sed suae cupiditati indulsisse, uerique est simile uiam filio suo ad imperium adipiscendum eam munire uoluisse, postquam imperatori Claudio nupsit, i. e. post annum 49/802; neque enim quidquam spreuit, quod consiliis suis commodum esset, habebatque, cur Neroni imperatori obsequium in matrem exuenti minaretur 'non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suae in primis nuptiae, suum ueneficium' *(Tac. ann. XIII 14)*. nam si contra filium imperatorem commentarios composuisset, id quod per se cum eius prouidentia et cautione pugnat, facile eos cum ipsa matre sustulisset.

C. CORNELIVS BOCCHVS

Hic Cornelius Bocchus post Mommseni editionem Solini (p. XI sqq.) inter historicos Romanos numeratur. inueniuntur enim in eius collectaneis notae quaedam chronographicae Plinianis

1) Muenzer *Quell. d. Plin.* p. 390 sqq. etiam VII 74 sq. XIII 91 sq. V 14 Claudium subesse suspicatur.

insertae haud spernendae auctoritatis, quas originem ducere coniecit ex Bocchi chronicis, qui, cum eius auctoritas omnium minime illustris esset, ter citaretur 'non tam ad rem aliquam a paucis traditam uel controuersam probandam quam de rebus apud chronographos omnes relatis et fere tralaticiis', eundemque hunc Bocchum esse cum Cornelio Boccho a Plinio in nat. hist. de rebus Hispaniensibus citato. quae quidem coniectura ab Aem. Huebnero *(Herm. I p. 397)* splendide confirmata est primum in inscriptione quadam Lusitani municipii Salaciae (nunc C. I. L. II n. 35 p. 7) eundem recognoscentis, tum in duabus aliis item in Lusitania repertis *(C. I. L. Suppl. ad II 5184 et 5617* uid. *Eph. epigr. VIII p. 356).* fuit igitur hic C. Cornelius Bocchus praefectus Caesarum bis, flamen prouinciae Lusitaniae perpetuus, praefectus fabrum, tribunus legionis tertiae Augustae et, cum Caetobrigae oriundus esset aut praedia ibi habuisset, a uariis oppidis Lusitanis etiam statua honoratus *(Huebner ad C. I. L. II Suppl. p. 803)*, idque, ut litterarum forma docet, saeculo post Chr. primo *(Huebner Eph. l. s.)*. nunc etiam illud intellegitur, cur Solinus 1, 29 anno u. c. 801 actis publicis olympiadem septimam et ducentesimam adnotatam esse commemorauerit eaque nota ultima sit eius generis; in eum enim annum eius chronographus desierat *(Mommsen p. XVII)*.

Sic debemus Mommseno Huebneroque circumscriptam quandam huius Bocchi imaginem, qui et propter uitam publicam eiusque laudes ab imperatoribus popularibusque suis amplis honoribus cultus est et in litteris excellens exstitit. nam apud eum 'in solida et plena doctrina' uersamur, ut ait Mommsen, qui in editione sua eas res, quibus excerpta Pliniana Solinus ex ea auxit, distinxit atque in praefatione *(p. XIII—XVI)* eas composuit, digessit, aestimauit. magnam ibi hercle rerum diuersissimarum copiam habemus, partim certis temporum notis finitarum siue olympiadum siue urbis conditae siue post excidium Troiae siue regum consulumue. sed etiam ultra excidium illud res repetiit ab Ogygo Deucalioneque *(c. 11, 18)*, imitatus Graecos chronographos et qui eorum eruditionem ad Romanos transtulit, Cornelium Nepotem, quocum nescio an non solo casu nominis coniunctus sit. tum uero et Graecas et Romanas res pertexuit, maxime origines urbium populorumque etiam minus notorum, atque etiam poetas scriptoresque enumerauit, praeter consuetudinem auctorum suorum largum numerum adiciens *(Mommsen p. XVI)* rationemque secutus Catonianam. ultimus autem illorum fuit Cornelius Nepos *(I 27)*

a quo sua industria et eruditione usque ad suam aetatem descendit.

Sed fr. Pliniana 4—7 cum tali chronographia parum uidentur conuenire, ut haec ex libro 'De admirandis Hispaniae' fluxisse Mommsen *p. XVII* arbitretur. at primo *(4)* origo urbis tempore excidii Troiae definitur ut fr. 1, et cum ueri similius sit Plinium unum Bocchi librum in manibus habuisse, huius autem studium magnam rerum uarietatem complexum esse uel ex excerptis Solinianis adpareat, omnia Pliniana ad chronographiam trahere maluimus, quo propius ad sua tempora progrederetur, etiam plura ueterum annalium ratione arripientem. quod autem ad solam Hispaniam pertinent, Plinius auctores sui quemque situs *(u. fr. 7)* uerissimos diligentissimosque putauit *(III 1. VI 141).*[1])

AVFIDIVS BASSVS[2])

Aufidia gens etiam alios uiros tulit magis litteris quam rebus gestis excellentes, hic tamen, cum 'semper infirmi corporis et exsucti' esset, ab initio uitam in otio degisse uidetur corporis doloribus quantum posset constanter obluctans atque etiam animi alacritatem seruans; itaque ut mortem non esse timendam commentariolo suo exponat, Seneca minor summa admiratione in epistula tricesima eum prosequitur, laudem philosophiae ab eo repetens, quod eum (Epicuro se addixerat) sub mortem, cum 'magno senectus et uniuerso pondere incubuisset', hac uirtute instruxerit. tum igitur (a. 63/816) supremum diem eum obiisse Seneca uult, sed paulum aetate praecessit Seruilium Nonianum (cos. 35/788; mort. 59/812), quocum ut historicus et a Quintiliano *(X 1, 103)* et a Tacito in dialogo *(23)* laudatur. historias autem Aufidii iam Seneca pater (a. 39/792) cognouerat.

Atqui distinguuntur duo opera, quorum unum inscriptione Plinii maioris constat, qui temporum imperatorum Flauiorum suorumque historiam 'a fine Aufidii Bassi' orsus erat *(u. infra p. CXXXXVIIII sq.)*,

---

1) In indicibus Cornelius Bocchus citatur lib. XVI et XXXVII, Bocchus XXXIII et XXXIV; latet igitur etiam in libris XXXIII uel XXXIV fragmentum aliquod.

2) W. Harless *De Fabiis et Aufidiis rerum Romanarum scriptoribus.* Diss. Bonn. 1853 p. 45—52.

alterum testimonio Quintiliani *(l. s.)*, qui quod eum auctoritatem historiae 'egregie utique in libris belli Germanici praestitisse' iudicat, 'genere ipso probabilem in omnibus, quibusdam suis ipsum uiribus minorem', miror quod Mommsen etiam nunc *(praef. ad Chron. min. II p. 112)* 'bellum Germanicum' annalium partem effecisse censet, posteaquam Nipperdeius *(Op. p. 438)* satis certis argumentis id redarguit *(cf. etiam Fabia p. 356 sqq.)*.[1]) sed quo anno Aufidius initium fecerit sua tempora scribendi, quo desierit, quaeritur. atqui ut primum de hoc disputemus, rem anno 55/808 gestam iam Plinius uarrauit *(fr. 5)*; Cassiodorius autem, qui quae res post Liuium et ante Paschale (i. e. Victorii Aquitani) gestae essent, se collegisse ex Aufidio Basso ipse testatur *(p. 161)*, si Liuium usque ad exitum (a. 9/745) secutus est, a. 32/785 ad Paschale se conuertit, ex Aufidio ea, quae intra hos annos sunt, sumpsit *(fr. 3)*, id explicari non potest nisi ita usque ad a. 31/784, quo Seianus condemnatus est, Aufidium historiam pertexuisse et paulo post, cum quadragenarius fere esset, in publicum emisisse; sic potuit eam Seneca rhetor audire neque opus est opinari partem tantum eius Aufidium recitasse. repetierat autem a morte certe Ciceronis *(fr. 1. 2)*, et cum ab ea ut ab initio parum idoneo uix exorsus esset, fortasse ut Seneca maior ab initio belli ciuilis, habebat cur, quod eius terrores oppressi essent, ut Epicureus potissimum praedicaret.

Libri belli Germanici quas res amplexi sint, quo tempore scripti, statuendi certa ansa caremus, sed quod bellum Germanicum absolutum esse singulari numero significauit, usque ad Germanicum eum peruenisse conicias, a quo id perfectum pacemque restitutam esse tum omnes iactabant *(Fleckeis. ann. 111 p. 502, sic etiam Fabia p. 407)*, itemque cum Nipperdeio (p. 439) incepisse uel cum bello Ariouisti uel cum Cimbris Teutonisque, tum uero Plinium maiorem, quod se a Druso quiescentem, ut ab iniuria obliuionis se adsereret, somnio oratum esse narrauit *(u. infra p. CXXXXVIII)*, cum Aufidii historia eius laus minui ei uisa esset, sub imperatore Claudio ut Drusi filio illa bella scripsisse, Aufidium ante Claudium *(Schanz II 2² p. 253)*. sed historiae

1) Omnis dubitatio remota esset, si Halmius cum C. L. Rothio recte in textum recepisset: *utique in libris belli Germanici, genere ipso probabilis, in operibus quibusdam suis ipse uiribus minor*. at codd. exhibent *in omnibus quibusdam* (G S) uel *in omnibus sed in quibusdam* (M ς); cautius Meister *probabilis, in partibus quibusdam.*

auctoritatem melius eum praestitisse quam Seruilium Nonianum atque maxime in libris belli Germanici Quintilianus iudicauit *(l. s.)*, quam cum in eo positam esse uelit, ut pressa sit curratque ac feratur *(IX 4, 18)* neque se digressionibus impediat, in his diligentius intentiusque his praeceptis operam dedisse uidetur atque in historia hic illic expectationi hominum tum delectationis admodum studiosae defuisse. nihilo minus eloquentiae suae aetatis quasi exempla proponentem eos facit M. Aprum Tacitus in dialogo *(c. 23)*, ubi eos irridet, 'qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt, quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Seruilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet'. in fragmentis tamen nobis traditis artis stndio, ut nobis uidetur, nimium indulsit, ut in Ciceronis morte exornanda etiam absurdis declamatorum inuentis uteretur, atque uerba paene in obscuritatem detorsit.

Sed iam ante Tacitum Quintilianumque Plinius triginta fere annis Aufidio minor eum principem historiae suae aetatis duxit uel a ceteris duci existimauit, ut eadem ipse scribere nollet, quamquam in naturali historia semel eum citauit (nam de quo Aufidio VI 27 melius cogitamus quam de hoc?), in indicibus numquam. ne Tacitus quidem eum nominauit, neque uero hoc miramur, cum in annalibus ante Neronem neminem auctorem praeter Plinium maiorem *(I 69 Germanicorum bellorum scriptorem)* eo honore dignauerit.[1]) quodsi omnes fere uiri docti (nuper maxime Fabia *p. 407*) eum parti cuidam annalium non posse subesse negant, non omnino abnuo[2]), neque tamen, quo hic usus pertineat, definire audeo, quem alii usque ad Tiberii, alii (Detlefsen *Philol. 34 p. 48*. Gutschmid *Kl. Schr. V p. 357*) usque ad Caligulae mortem pertinuisse, alii *(Nipperdey praef. ed. Tac. p. 28)* etiam Claudii imperii partem uel totum *(Urlichs Chrestom. Plin. p. XII)* complexum esse putant. anctoritas eius etiam ultra Taciti tempora durauit, ut eum Cassiodorius uel quem excerpsit, eorum annorum, quos supra diximus, ut primarium auctorem secutus sit.

---

1) Suetonius eum propter ipsam eloquentiam ornamentaque spreuisse uidetur.

2) De Seruilio Noniano u. p. CXXVIII sq., de Fabio Rustico p. CLXVII.

M. SERVILIVS NONIANVS

Laudat hunc filium M. Seruilii cos. 3/756, nepotem Nonii senatoris ab Antonio proscripti, Tacitus in annalibus XIV 19 a. 59/812 mortuum: *Sequuntur uirorum illustrium mortes, Domitii Afri et M. Seruilii, qui summis honoribus et multa eloquentia uiguerant, ille orando causas, Seruilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia uitae, quam clariorem effecit, ut par ingenio, ita morum diuersus.* sed etiam uiuum cognouimus consulem fuisse ordinarium a. 35/788 *(Prosop. III p. 227 n. 420)* principemque ciuitatis *(Plin. n. h. 28, 29)* eundemque ut patrem cultum esse a Persio Flacco *(Vit. comm. Probi Valer. p. 233 Jahn p. 73 Rffersch.)*, unde stoicae sectae eum addictum fuisse colligimus.

Etiam historia eum celebrem fuisse Tacitus *l. s.* testatur coniungitque eum propter illam M. Aper in dialogo eiusdem cum Aufidio Basso tamquam exempla eloquentiae suae aetatis, quocum eum comparatum esse etiam a Quintiliano, qui ipse se eum audiuisse commemorat, supra p. CXXVI sq. uidimus, ita tamen ut clarum eum ingenio et sententiis crebrum fuisse iudicaret sed minus pressum, quam historiae auctoritas postularet. accessit tamen Seruilius ad historiam forensium rerum labore exacto, quam ob rem quod Plinius minor in epist. I 13, 3 Claudium Caesarem scribit recitanti ei inopinatum superuenisse clamore audientium allectum, historiam recitatam esse ueri simile est, praesertim cum etiam Quintilianus (natus a. fere 35/788), cum de eius historia uerba faceret, hanc audiuisse uideatur, itemque hoc non solum propter propinquitatem Aufidii sed etiam propter eloquentiam, qua tum uix quisquam ueteres res describens, ne prae Liuio sperneretur, usus est, imperatorum res ea esse tractatas.

Nemo tamen scriptor eius historias citauit, etsi omnes uiri docti, Nipperdey *p. 26*, Fabia *p. 366 sqq.*, alii Tacitum in annalibus componendis eas praeterire potuisse negant. forsitan eum significauerit Suetonius in uita Tiberii 61, quem locum in hoc opere desiderari nolui, quoniam neminem praeter Nonianum uirum consularem inter auctores eius uitae noui: *Annalibus suis uir consularis inseruit frequenti quondam conuiuio, cui et ipse affuerit, interrogatum eum subito et clare a quodam nano astante mensae inter copreas, cur Paconius maiestatis reus tam diu uiueret,*

statim quidem petulantiam linguae obiurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse senatui, ut de poena Paconi quam primum statueret. ante hos Quintilianus dictum eius aliquod inseruit, quo de Sallustii Liuiique historia iudicium fert *(fr. 1)*. etiam Plinius maior hunc Seruilium in naturali historia praecipuo studio amplexus est, non solum principem aetatis eum dicens sed etiam alia de ipso, quem se consulem uidisse praedicat *(37, 81)*, et de eius familia afferens, quos locos si recte Muenzer p. 403 sqq. ex eius annalibus repetiit, eis etiam de proscriptionibus actum est.[1]) illud tamen et de hoc et de Aufidio incertum manet, sub quo imperatore libros suos ediderit, quem igitur recenti odio persecutus, quem adulatus sit. nec ira nec odio eos uacasse ex Taciti iudicio constat.

L. ANNAEVS SENECA

(Natus 4/757, in exilium a Messalina missus a. 41, ab Agrippina reuocatus 49, praetor 49, cos. suffectus 57, mortuus 65/818.)

Multa litterarum genera scribendo hic attigit, historicum sola patris uita, cuius initium in palimpsesto Vaticano-Palatino saec. V uel VI, quo solo eius memoria continetur, casu seruatum primum a Niebuhrio *(Cicer. orat. pro M. Fonteio et pro Rabirio fragm. ed. Romae 1820 p. 103)* editum, post a Studemundo denuo lectum et apud Rossbachium *'De Senecae phil. libris recens. et emend.' (Bresl. phil. Abhandl. II 3) p. xxiii sq.* iteratum est. pietate se incensum patrem optime de filiorum educatione meritum in summis scriptoribus numerasse ipse confitetur, sed quo animo res publicas tractauerit, ne suspicari quidem possumus, cum quo tempore scripserit nesciamus. imperatoris mortui memoriae filium quidem non pepercisse apocolocyntosis docet.

1) Multis arrisit Buecheleri coniectura (m. Rh. 42, 473), qui locum Charisii (p. 145, 29) a se emendatum '*Torces* (*tores* cod.) *Seruilius, ut etiam Fl. Pomponianus notat, "aureus torces"* (*tores* cod.) *pro torques* ad hunc Nonianum rettulit; rectius tamen ad oratorem P. Seruilium Caepionem pertinet, qui ab ipso Charisio p. 193, 19. 196, 7. 224, 21 citatur; etiam Fl. Pomponianus arte docendi floruit, ut docet C. I. L. VIII 2391.

P. CLODIVS THRASEA PAETVS

Senecam sequantur duo uiri, qui non ut uitam illustrium quorundam uirorum posteris traderent sed ut contra imperatorem Neronem inuidiam incenderent, libellos suos composuerunt multosque postea sub Domitiano nancti sunt qui imitarentur.

Prior fuit Thrasea ille satis omnibus notus, qui Tacitum huius ipsius 'uirtutis' praeconem legerunt.[1] A Patauio oriundus iam a. 42/795 Arriam socrum ne moreretur frustra deprecatus *(Plin. ep. III 16, 10)*, qua esset indole animi significauit. nam etsi stoicorum praeceptis omnino addictus erat, tamen aperte imperatoribus aduersari uerebatur. qua de causa fieri potuit, ut Senecae, ut uidetur, auctoritate adiutus a. 56/809 consul suffectus et eodem fortasse tempore quindecimuir sacris faciundis crearetur, hoc autem patrono e gratia imperatoria remoto etiam ipse in senatum introire nollet. totus igitur in uitam priuatam secessit 'illustriumque uirorum feminarumque coetus frequentes' agebat *(Tac. ann. XVI 34)*, Brutorum et Cassiorum dies natales celebrantes *(Iuuen. 5, 36)*, inter quos etiam Persius poeta fuit, qui 'decem fere annis summe dilectus a Thrasea est, ita ut peregrinaretur cum eo aliquando' *(Vita Pers. p. 235 Jahn. 74 Rffsch.)*. sed in eandem sententiam idem Catonis Vticensis uitam scripsit Caesaris Anticatone maculatam, idque ita ut Munatii Rufi *(u. supra p. LVIIII)* copiosam narrationem ut aequalis comitisque neque tamen in eius admirationem omnino effusi retractaret criminaque in illum coniecta refutaret.

Iam uero Plutarchus Romae etiam L. Iunii Aruleni Rustici stoici scholas audiuit *(de curios. 15)*, qui propter laudes Thraseae eiusque generi Heluidii Prisci a Domitiano occisus est (a. 93/846), eaque ratione etiam in illius libelli cognitionem peruenit optime cum suo studio admirationeque concinentis, neque solo casu accidit, ut haec tamquam fundamenta suae eius uitae poneret, id quod *Quell. d. Plut. p. 65—68* exposui probauique, quod maxime gauisus sum, Alfredo de Gutschmid *(Opusc. V p. 359)*. nam praeter consuetudinem suam Plutarchus citauit ille quidem Munatium sed utroque loco Thraseam eo auctore usum esse adicit *(u. fr. 1. 2)*, ut ab hoc fontem suum non esse dissimulatum ap-

---

1) De uita u. Prosop. I p. 428 n. 938. Kunnert Pauly-Wiss. IV c. 99 sqq.

pareat. tum uero meminit Caesaris, ut qui Munatii offensi testimonium contra Catonem arripuerit *(c. 36)*, criminationisque eius c. 52 et 54, et nomine omisso quaedam ei exprobrata esse, ut redarguat uel minuat, affert *(c. 39. 44 ter; cum initio cap. cf. 6. 50)*, quae partim Caesaris crimina fuisse aliis testimoniis constat *(Quell. d. P. p. 66 sq.)*. denique de multis rebus Plutarchus idem tradidit quod Valerius Maximus, qui cum in auctoribus nominandis parcus esset, Munatium citauit *(fr. 1)*, neque a Plutarcho ipsum Valerium inspectum esse demonstrari potest. *V. Quell. d. P. p. 67 sq.*

Multis sane causis Thrasea Neronis animum constantia sua et libertate irritauerat et sollicitauerat, neque tamen num etiam haec Catonis uita ad mortem eius maturandam contulerit, memoriae proditum est, quam a Cossutiano Capitone et Eprio Marcello reus maiestatis factus ipse sibi anno post Senecam consciuit (66/819).

P. ANTEIVS

Huic 'quae de ortu uitaque (M.) Ostorii Scapulae composita erant' mortem properauerunt *(Tac. ann. XVI 14)*. nam P. Ostorio consulari legatoque Britanniae genitus sub patre coronam ciuicam meruerat *(Tac. XIII 22. XVI 15)* et a. 59/812 consul suffectus fuerat *(Prosop. II p. 440 n. 112)*. eodem tamen anno, quo Thrasea Paetus in uitam priuatam secessit (62/815), apud se 'celebri conuiuio' (P.) Antistium 'probrosa aduersus principem carmina' recitare passus est et propter militarem famam maxime a Nerone timebatur *(Tac. XIV 48. XVI 14; 15)*. haec igitur causa fuit et P. Anteio, qui cum legatus pro praetore Dalmatiae praefuisset *(Prosop. I p. 81 n. 568)*, etsi anno 55/808 ei Syria destinata erat, 'uariis artibus elusus ad postremum in urbe retentus' erat *(Tac. XIII 22)*, ut uitam Ostorii tamquam speculum uirtutis Romanae in circulis priuatis Neroni opponeret tempusque expectaret, quo in publicum emitteret, et imperatori, cui iam dudum Anteius maxime propter caritatem Agrippinae inuisus erat, ut et hunc et Ostorium, cuius uitam delator apud Anteium eruerat, ne rebus imminerent, mori cogeret (a. 66/819).

CN. DOMITIVS CORBVLO[1])

Qui Taciti annalium libros ultimos legerit, animo recreabitur, si ex miseriis domesticis ad res a Corbulone gestas animo deuerterit. magna enim cum arte rem sic instituit, ut, quemadmodum in primis Tiberio Germanici speciem ac decorem opposuit, ita in illis ueteris uirtutis Romanae reliquias enarrans et illustrans et se ipse et ceteros a conspectu malorum, quibus maiorem partem librorum expleret, paulisper certe reuocaret et, si fieri posset, delectaret. principium gloriae illi militia fuit, qua legatus pro praetore in Germania inferiore a. 47/800 Chaucos in obsequium redegit, imp. Claudio autem, ne sibi periculosus esset, formidinem iniecit, qua de causa cis Rhenum eum praesidia referre iussit, insignia tamen triumphi concessit *(Tac. XI 18—20. Dio 60, 30, 4—6)* et consulatu functum pro consule in Asiam misit *(ex numis Pros. II p. 21)*. itaque cum bellum quod conficere prohiberetur, pro confecto duceretur, ut ait Tacitus de Germanico, magna Romae gloria floruit omniumque in se oculos conuertit, postquam Nerone modo imperium adepto bellum ab oriente imminere nuntiatum est. uirtutibus tum locus patefactus esse uidebatur, cum imperator (Burro fort. auctore) retinendae Armeniae eum praeposuisset.[2]) nec defuit famae fortuna.

---

1) Vid. J. Held *De Cn. D. C.* Progr. Suidniciense 1862. Wolffgramm *Cn. D. C.* Progr. Prenzlau. 1874. Prosop. II p. 20 sq. n. 128. De imagine eius u. Bernoulli *Iconogr. Rom.* I p. 271 sqq. tab. XXIII. — Premerstein ap. Pauly-Wiss. IV c. 757 sq. Corbulonis, Balbilli, Suetonii Paulini, Vespasiani, Antonii Iuliani commentarios a uitis commentariisque Sullae, Ciceronis, Caesaris, imp. Tiberii, Agrippinae distinguit, cum hos tantum in historiis ponit, illos in publicis actis, qui propter rerum grauitatem publicati sint. neque tamen uideo, cur genere diuersi sint.

2) Filius fuit Vistiliae, frater uterinus P. Suillii Rufi (Plin. n.h. VII 39), generi Ouidii, quaestoris Germanici, cos. ante 47/800 (Prosop. III 280 n. 700), illo minor, id quod ex Plinio colligitur, maior Caesonia, quam imp. Gaius in matrimonium duxit. itaque diuersus fuit (sic Nipperdey, Mommsen, Schiller, alii) ab hoc, quem summis laudibus efferunt et Tacitus et Dio, is Domitius Corbulo, quem praetura functum a. 21/774 in L. Sullam nobilem iuuenem propter irreuerentiam in senatu inuectum esse et curatione uiarum multis exilio fuisse Tacitus ann. III 31 propterea a Gaio consulem factum sed a Claudio improbatum esse Cassius Dio 59, 15 (cf. 60, 17), uterque cum malignitate narrauerunt, etsi hoc ad ducem pertinere defendit Wolffgramm etiam in Philol. 44 p. 371—376; u. Prosop. II p. 20 n. 122.

Nam priusquam Corbulo arma mouere posset, Vologaeses domestica discordia reuocatus iam de Armenia abscesserat atque etiam ab illo et ab Vmmidio Quadrato, qui Syriam administrabat, monitus datis obsidibus pacem firmauit (a. 55/808), quae triennio post ab ipso turbata est non inuito Romano, qui 'dignum magnitudine populi Romani rebatur parta olim a Lucullo Pompeioque recipere' *(Tac. ann. XIII 34)* atque interim, ut quondam in Germania, militum animos longa inertia degeneres seueritate et constantia sua ad ueterem disciplinam reduxerat. sed res diu ad armorum discrimen non uenit, colloquiis inter Corbulonem et Tiridatem, Vologaesis fratrem, tempus teritur expugnatisque castellis quibusdam Armeniae; tum uero Corbulo, cum Parthi Hyrcanorum defectione retinerentur, Artaxata facili opera expugnauit (a. 58/811, *Tac. XIII 6—9. 34—41*) Tigranocertaque uolentibus ciuibus recepit. sic Tigrani, ad quem a Nerone Armeniae regnum delatum erat, uia patefacta est, ut ipse in Syriam sibi permissam recedere posset (a. 59/812, *Tac. XIV 23—26*). hinc bellum a Parthis redintegratum (a. 61/814) ita componit, ut et Tigranocerta, ubi Tigranes obsidebatur, liberarentur et de Armenia milites Romani decederent summumque arbitrium ad Neronem deferretur. legatio tamen Parthorum irritum fuit bellumque propalam ab eis illatum est, quod Caesennius Paetus administrauit, Roma ad tuendam Armeniam missus. sed a Vologaese circumclusus turpissimum foedus inire coactus Armeniam omisit, quam cladem Corbulo a Syria sarsit, cum et ipse concederet, ut castella a se trans Euphratem munita diruerentur, et rex, ut Armenia 'diuersis praesidiis uacua' fieret (62/815), Romae tamen in bello perseueratum est imperiumque aucta potestate mandatum Corbuloni. is Euphrate tramisso obuios habuit legatos Vologaesis Tiridatisque de pace missos eisque ipsis colloquio constituto persuasit (qua fide etiam apud barbaros utebatur, *XV 28*), ut Tiridates 'poneret apud effigiem Caesaris insigne regium nec nisi manu Caesaris resumeret' (a. 63/816, *Tac. XV 1—31*), id quod tribus annis post Romae factum est.

Num quas res postea Corbulo fecerit, tacet memoria; celebratur tantum eius mors, nam criminante Arrio Varo, milite quondam suo *(Tac. hist. III 6)*, a. 67/820 a Nerone Cenchreas aduocatus naueque escendens mori iussus est, cum se meruisse clamitaret *(Dio 63, 17, 5 sq. cf. Tac. hist. II 76. Ammian. XV 2, 5)*.

Sed clausula narrationis apud Tacitum, postquam honores

quosdam in itinere Romam faciendo, cum Vologaeses petiisset, a Corbulone concessos esse memorauit, haec est *(XV c. 31): Scilicet externae superbiae sueto non inerat notitia nostri, apud quos uis imperii ualet, inania tramittuntur.* quae quidem hercle, quamuis Tacitus Corbulonem admiretur, ad hunc non minus pertinet quam ad Parthos. quid enim, ut ipsas res respiciamus, effecit bello nouem annorum? Armenia, de qua Parthi iam abscesserant, eis a Romanis reddita et frater ipsorum regis diademate regio Romae ab ipso imperatore ornatus est. laus autem eius continetur primum disciplina militari et in Germania et in oriente restituta, in qua explicanda multus est Tacitus exemplum patientiae, qua omnes labores pertulerit militumque mitigauerit, speciemque ueteris seueritatis Romanae eum proponens, tum prudentia et calliditate, qua pericula, cum prouideret, uitauit uel orientia exstinxit uel hostes elusit, rem non armis sed colloquiis transegit, aut oppidanos uel obtentu crudelitatis terruit uel spe ueniae conciliauit; expugnatione castelli cuiusdam (Volandi), quod 'ualidissimum' sibi sumpserat, Tacitus usus est, ut ipsam Corbulonis uirtutem bellicam magna uerborum ubertate demonstraret *(XIII 39).*

Itaque mirari desinimus, quod Suetonius eum ne nominauit quidem atque inter mala imperii Neroniani 'ignominiam ad orientem' enumerauit 'legionibus in Armenia sub iugum missis aegreque Syria retenta' *(Ner. c. 39),* re uera factum significans, quod rumore additum esse Tacitus *(XV 15)* narrauerat. mansit tamen memoria rerum ab eo in oriente gestarum praeter Plinium, de quo postea agemus, apud Frontinum *(strat. II 9, 5. IV 7, 2),* qui maxime eius seueritatem disciplinae militaris praedicat *(IV 1, 21; 28; 2, 3),* Statium *(silu. 5, 2, 34 sqq.),* Ampelium *(39, 4),* etiam apud Ioannem Lydum *(de mag. III 34 p. 122 W.)*; pluribus uero ea persecutus Dio *(62, 19—23)* in laudem Corbulonis composuit item ad uariandam materiam, nam tum (a. 63/816) unum id bellum imperatori Romano fuit *(Tac. XV 27).*

Prouiderat autem huic memoriae ipse Corbulo, ut erat 'uerbis magnificis et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium ualidus' *(Tac. XIII 8),* cum commentarios scriberet.[1])

1) Num hi etiam bellum Germanicum Corbulonis a. 47/800 complexi sint ignoratur; quae ex commentariis citantur, ad orientem pertinent. Tacitus quidem etiam in Germania restitutae disciplinae meminit sed admodum incerte *(XI 18 feruntque militem, quia uallum non*

Atque Plinius quidem maior *(fr. 1. 3. 4)* ipsius studio ad eos deductus erat, quoniam a. 47/800 sub eo in Germania militasse uidetur; 'proximus' ei auctor fuit in naturali historia de Armeniae descriptione *(fr. 3. 4)*.[1]) hinc commentarios ante a. 77/830 uel 79/832 editos esse apparet. quo tamen tempore scripserit, nescimus; otium quidem post a. 63/816 ei suppetiit, post quem apud Tacitum in obliuionem uenit.

Summa autem cautione erat usus, si a Tacito eius filum retentum esse sumere licet; nam omnia, quae gesserat gerendaue susceperat, ad imperatorem reuocabat eumque honores quasi debitos percepisse referebat[2]), ut rumorem uulgi etiam usurpationem imperii ab eo sperantis *(Dio 62, 19, 4; 23, 6)* auerteret. consilium igitur edendi sibi proposuerat. quaeritur tamen, num hi commentarii suis uirtutibus seruati Corbulonis gloriam amplificatam et auctam propagauerint. filia enim eius erat Domitia Longina *(Prosop. II p. 26 n. 156)*, quae imperatori Domitiano nupsit foedaque sua flagitia, cum caedis mariti conscia esset, apud senatum oblitterasse uidetur, et genere suo patreque Corbulone multum gloriata est, ut etiam in titulo aedis Gabiis exstructae a. 140/893 eius filia diceretur *(C. I. L. XIV 2795)*. uixit autem usque ad annum minimum 126/879. sic igitur non est mirum quod Tacitus commentarios Corbulonis cognouit, quem ab eo res in Armenia gestas describente non solum citatum *(fr. 2)* sed etiam in usum uocatum esse uel ex eis apparet, quae supra annales secuti adumbrauimus. nam omnes ad ipsum Corbulonem eiusque laudem pertinent. nunc etiam hoc addo cladem acceptam soli Paccio Orfito crimini datam esse, qui rupisset Cor-

---

accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos. quae nimia et incertum an falso iacta originem tamen e seueritate ducis traxere; intentumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam aduersus leuia credebatur) neque illud bellum ita narrat, ut ad ipsius commentarios trahamur. cardo rei uersatur in uoce, qua ab imperatore Claudio cis Rhenum reuocatus exclamauit 'Beatos quondam duces Romanos'. Cf. A. Imendoerffer *Beiträge zur Quellenkunde der sechs letzten Bücher der Annalen des Tac.* (Progr. primi gymn. Bruenn. 1891 p. 8 sq.).

1) Eum citauit in indicibus libr. v et vi, in utroque inter L. Veterem Melamque atque Licinium Mucianum (a quo Corbulonem correctum esse Muenzer p. 394 sq. censet), Claudium Caesarem, Arruntium.

2) V. ex. gr. XV 26 (apud exercitum) orditur magnifica de auspiciis imperatoris rebusque a se gestis.

bulonis imperium *(XIII 36)*, Caesennium Paetum omnibus uitiis erroribusque obrutum, qui omnia peruerse et inscite egisset, tristia omina spreuisset, nihil prouidisset, militaria munera deseruisset, constantia caruisset et, cum Corbulo prope adesset, subito de rebus suis desperasset, ad Neronem autem quasi bello confecto, quod modo suscepisset, 'litteras uerbis magnificis, rerum uanas' misisset atque etiam et apud Vologaesem et apud Corbulonem, modo ex hostium faucibus ereptus eadem uerborum superbia gloriatus esset huiusque laudi obtrectauisset, postremum Romam reuersus ab imperatore contemptus et facetiis illusus esset *(XV 6—17; 25)*. at Corbulo et solitis in eius dissimilitudinem uirtutibus cumulatur, qui 'dignum magnitudine populi Romani' ratus sit Lucullum Pompeiumque aequare *(XIII 34. XV 27)* et in tempore fortunae moderatus *(XV 6)*, scilicet ut euentum totius diuturni belli non extortum sed sapienter Parthis concessum esse demonstraret. quin etiam in minutiis iudicia Corbulonis agnoscere apud Tacitum nobis uidemur, uelut quod XIII 35 ut in fr. 2 *(= XV 16)* 'satis constitisse' [1]) mollitiam ueteranorum dicit 'adnotatumque' saeuitiae hiemis documentum, utrumque ut ducis uirtus et patientia augeretur.

Quamquam non totum se eius laudi addixit. neque enim eum exscripsit, sed qualia sibi eius facinora uisa essent quidque ipse ex commentariis collegisset uel de eis iudicauisset, explicauit. itaque cum 'compositius quam festinantius' rem aggressus esset, Corbulonem 'bellum habere quam gerere maluisse' adicit *(XV 3)*, uerbis magnificis gloriari solitum esse *(XIII 8. XV 26)*, aemuli non patientem fuisse *(XV 7. XIII 9)* nec Paeto roganti propere subuenisse, 'quo gliscentibus periculis etiam subsidii laus augeretur' *(XV 9)*, tum uero quaedam 'augendae eius infamiae' composuisse *(XV 16. fr. 2)*. num tamen aliis auctoribus usus suum iudicium exercuerit in obscuro est. XV 6 esse usus uidetur, ubi postquam 'plures', quod Vologaeses se recepisset et Tigranocerta obsessa omisisset, haec 'ut formidine regis et Corbulonis minis patrata ac magnifica sustulisse' narrauit, 'alios occulto pepigisse' eum 'interpretatos esse', ut Tigranes quoque de Armenia abscederet, nisi forte etiam hanc interpretationem sermone excepit.

Sed H. Schiller *(Nero p. 14 sq.)*, Fabia *(p. 334 sqq.)*, L. Brunn *(l. p. cxxxx s. p. 34 sqq.)* Corbulonis commentarios per alium auc-

1) Tacitus admodum raro hoc perfecto utitur.

torem (Aufidium Bassum autumat Fabia, Mucianum Brunn) in Taciti cognitionem peruenisse uolunt, id quod nullis certis argumentis probant. supplere tamen eos ex aliis libris facile potuit, uelut ex C. Licinio Muciano, qui sub illo militasse uidetur *(Borghesi Oeuvr. IV p. 349)* atque cum largam siluam rerum mirabilium in expeditionibus uel itineribus maxime per Armeniam uisarum uel sibi narratarum sine iudicio effudisset, saepe a Plinio in naturali historia adhibitus *(Muenzer p. 392 sqq.)* et cum Corbulone in indicibus libri V et VI et in textu (V 83 de Euphratis fonte, 'ut qui proxime uidissent') consociatus est. etiam de Plinii historiis cogitari potest, qui cum sub Corbulone militasset, praecipuo studio eius res persecutnm esse ueri simile est.

Habemus tamen quibus argumentis etiam certius filum orationis a Tacito secundum Corbulonem pertextum esse confirmemus. Cassii enim Dionis excerpta breuiter res a Corbulone in oriente gestas percurrunt *(62, 19—23)*, quae pars tantum cum Tacito consentit, ut Dionem hoc usum esse quidam existimauerint. sed recte Gutschmid *(Iran p. 131)* separatim utriusque narrationem ad Corbulonem redire animaduertit. nam qui Tacitum legerit, facere non poterit, quin illius laudem aliqua ex parte minuisse atque iudicii sui rationem interposuisse concedat. at apud Dionem aequatur Corbulo clarissimis Romanis, laudantur genus, corpus, prudentia, fortitudo, iustitia, fides et familiaribus et hostibus habita neque ulla umbra, ut a Tacito, hoc lumen obscuratur *(c. 19, 2. cf. etiam 63, 6)*; sine uulnere Artaxatis et Tigranocertis captis aliisque rebus gloriose gestis Vologaesen sub condicionibus dignitati Romanae aptis foedus inire cogit *(20, 1)*, Parthus ad eum de indutiis legatos mittit *(§ 4*, minus honorifice Tac. *15, 5)*; tum uero Paeti infamiam non minus exaggerat quam Corbulo apud Tacitum, nihil ut hic excusans aut declinans, atque etiam per ludibrium ab eo pontem in Arsania fieri a Parthis iussum esse narrat *(21, 2 sqq.)*. itaque quamquam excerpta breuiora sunt quam Taciti narratio, qua saepe illa explicantur, multa tamen apud illum restant, quibus indicia Corbulonis uel confirmentur uel suppleantur. uelut urbis nomen (Rhandeam), in qua et Paetus inclusus et postea a Vologaese et Corbulone foedus factum est, utroque loco *(21, 1. 23, 2)* nominauit, quod Tacitus ut talium rerum contemptor omiserat.[1]) neque enim, quod Egli *(apud*

1) De expeditione Corbulonis in fines Chaucorum facta Dio 60, 30

Buedingerum I p. 333 sqq.) uoluit, et Corbulonem et Tacitum res geographicas minus curasse censebimus. hic sane, ut arti suae satisfaceret, nominibus ultra modum pepercit *(Gesch. Litt. II p. 216. 287 sq.),* illi autem, qui etiam horam solis defectus adnotauerat *(fr. 1),* idem crimini dare uel Rhandeae nomine uel fr. 3. 4 *(cf. adn.)* uetamur.

C. SVETONIVS PAVLINVS[1])

Hic in contraria imperii parte fines tuebatur 'scientia militari et rumore populi Corbulonis concertator receptaeque Armeniae decus aequare domitis Britannis cupiens' (*Tac. XIV 29,* annis 59/812—61/814), idemque etiam commentarios scripsit, quibus res in Mauretania, cum a. 42/795 legatus praetorius esset, persecutus est *(fr. 1).* num etiam ultra progressus sit, dubium est. Plinius certe unius libri, quo descriptio Mauretaniae continetur (V), auctorem eum citauit et in indice et in textu neque commemorauerat in quarto, quo Britanniae, qui fons eius gloriae fuit *(Tac. hist. II 37),* postquam uel anno ipso 42/795 uel paulo post consul suffectus fuit; nam in hac regione legatus pro praetore acie etiam clarius res gessit quam Corbulo, descriptas a Tacito in uita Agricolae c. 14—16 et fusius in annalibus XIV 29—39 et a Cassio Dione 62, 1—12, cum et subactis nationibus firmatisque praesidiis biennio prosperas res haberet *(Agr. 14)* et in Monam insulam exercitum traiceret *(Agr. l. s. ann. c. 29 sq.)* et inde reuersus seditionem Boudiccae una atroci pugna debellaret *(Agr. 16. ann. c. 31 sqq. Dio c. 1 sqq.).* sed a Iulio Classiciano procuratore in urbe delatus non minus quam Corbulo si non morte, tamen successore accepto Neronis inuidiam expertus est *(ann. XIV 38 sq. Agr. 16),* tum uero gratia redintegrata consulatu ordinario a. 66/819 functus. bello ciuili hic 'uetustissimus consularium' *(hist. II 37)* magnum munimentum partibus Othonianis fuit, quo fama nemo militaris rei callidior habebatur *(h. II 32).* illis autem uictis foeda excusatione apud Vitellium uitam seruauit *(h. II 60)* et in obscuritate delituit.

---

quasdam res narrauit quae etiam apud Tacitum inueniuntur *(uid. s. p. CXXXII)*; de ratione tamen, quae inter eos intercedat, indicia deficiunt.

1) V. Prosop. III p. 278 n. 694.

In uniuersum Tacitus eius gloriae militari fauet *(uid. hist. II 37. Agr. 5)*, praesertim cum Iulius Agricola socer eius contubernio dignatus sub eo in Britannia prima stipendia meruerit *(Agr. l. s.)*; sed etiam gratam occasionem ei praebuit materiae uariandae atque illustrandae, clades a Romanis eo absente acceptas esse ipsumque 'mira constantia medios inter hostes' ad uincendos Britannos festinauisse exponenti *(XIV c. 33)*. neque uero ullum indicium Suetonii commentariorum habemus aut apud Tacitum[1]) aut apud Dionem, qui etiam licentius artem rhetoricam exercuit, ut paucas certas res reliquerit. at uero Boudiccam et Suetonium orationes per terna capita habentes fecit, Britannorum crudelitates *(c. 7)* et ominum miracula *(1, 2)* diligenter depinxit, occisorum Romanorum septuaginta milia Taciti (*c. 33*) decem milibus auxit, pugnam ipsam *(c. 12)* ex aliquo libello rhetorico transscripsit. similitudo tamen quaedam inter eos intercedere uidetur, neque aduersabor, si quis uel Seruilium Nonianum uel Aufidium Bassum uel Plinium utrique uel Dioni Tacitum subesse coniecerit *(Fabia p. 337 sqq.)*.

L. ANTISTIVS VETVS

Tertium Domitio Corbuloni et Suetonio Paulino adiungo L. Antistium Veterem consulem a. 55/808, legatum Germaniae superioris a. 55/808—58/811, proconsulem Asiae a. 63/816—64/817, a Nerone a. 65/818 cum uxore et filia damnatum *(Prosop. I p. 89 n. 612)*. rebus bello gestis non inclaruit quem ad modum illi sed quiete in prouincia usus est, ut fossa inter Mosellam atque Ararim facta occidentis septentrionisque littora conecteret, quod opus perficere inuidia legati Belgicae prouinciae impeditus est *(Tac. ann. XIII 53)*. iam uero Plinius in indicibus librorum geographicorum III. IV. V. VI L. Veterem recenset idque semper inter Hyginum et Pomponium Melam, cui uno loco addit Licinium Mucianum duobus Corbulonem et Mucianum. propter hanc igitur uicinitatem legatum illum commentarios scripsisse Woelfflin *(Bur-*

---

1) Vno loco citat auctores sed neminem nominatim, c. 37 *Clara et antiquis uictoriis par ea die laus parta: quippe sunt, qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant.* cf. c. 38 *Ad septuaginta milia ciuium et sociorum iis, quae memoraui, locis cecidisse constitit.*

siani ann. III p. 772) coniecit, ex quibus Plinius res geographicas excerpsisset. contra quem Muenzer *Q. d. Pl. p. 130 sq.* L. Veteris alicuius libros Hygini Melaeque similes fuisse maluit. certa tamen argumenta neutri sententiae subiecta sunt.

C. LICINIVS MVCIANVS[1])

Diu dubius haesi, num hunc in opus meum reciperem, tandem excludere nolui. Plinius enim maior, qui in naturali historia omnia eius fragmenta seruauit, etiamsi res ab eo gestas nusquam ad eius auctoritatem rettulit, sed quae pertinerent ad terrarum situm, naturam rerum atque animalium, artes, tamen miracula, quae multa, ab eo u i s a esse saepe confirmat *(fr. 7. 10. 12. 13. 18. 20. 24.)* mentionemque factam legationis suae Lyciae *(fr. 21. 22)* atque epulatum se intra patulam platanum eius prouinciae cum duodeuicesimo comite eum 'prodendum etiam posteris putauisse' *(fr. 21).*[2]) deinde, ubi loca addidit, omnia ex oriente sumpsit, nihil ex Germania, Gallia, Britannia, Hispania, quas terras non adiit, denique etiam numeros spatiorum accurate adscripsit. atqui Muciani mores et facinora praecipuo studio Tacitum in historiis persecutum esse satis notum est, sed quoniam nusquam eorum cognitio ex eius ipsius commentariis esse hausta uidetur, ea nunc repetere supersedi, satis erit breuiter hic complecti *(Prosop. II p. 280 sqq. n. 147)* Mucianum, cum iuuenis insignes amicitias ambitiose coluisset, mox attritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia in secretum Asiae sepositum tam procul ab exule fuisse quam postea a principe *(Tac. hist. I 10),* tum sub Nerone (fortasse a. 55/808 et 60/813) legatum legionis sub Corbulone in Armenia *(fr. 7),* deinceps post mortem Neronis iurasse Othoni et Vitellio, denique in Vespasiani partes transgressum Romae eius imperium condidisse et ab eo fratrem appellatum annoque 70/823 iterum, 72/825 tertium consulem suffectum esse.

1) Borghesi *Oeuvres* IV p. 343—353. L. Brunn *De C. L. M.* Diss. Lips. 1870.

2) Quoniam Augusto procurator ex Africa quadringenta paucis minus germina ex uno grano misit (Plin. n. h. 18, 94) aut praefectus Aegypti hippocentaurum, quem uiuum ex Arabia acceperat, mortuum conditumque (Phleg. Mueller, F. H. G. III p. 624), concinit studium talia miracula etiam commentariis inserendi.

Litteras autem eum coluisse solus Tacitus in dialogo testatur *(c. 37)*: *Nescio an uenerint in manus uestras haec uetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistularum composita et edita sunt. ex his intellegi potest Cn. Pompeium et M. Crassum non uiribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione ualuisse, Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum.* quo quidem opere, cuius a. 75/828 undecim libri editi erant, alii exspectabantur, siue suo ipse ingenio indulsit siue etiam Vespasiani uoluntati tum documenta Capitolii a. 69/822 incendio combusti restituentis *(Gesch. Litt. I p. 253 sq.)*, inter curiosos certe et antiquarios eum habitum esse constat (quo cum studio non discrepat quod eo auctore Vespasianus philosophos ex urbe expulit, *Dio 66, 13*) nec, cum nimia sua fiducia imperatoris occultam simultatem mouisset *(Suet. Vesp. 13)*, otio caruisse uidetur, quod, ut semper erat uarius, antea in nimiis uoluptatibus consumpserat *(Tac. 1, 10)*, tum ad litteras conuertebat. iam uero aliorum gloriam inuide aemulabatur, maxime eorum, qui uicinis prouinciis praepositi essent *(Tac. h. II 5. cf. III 53. Suet. Vesp. 6)*. itaque mirum esset, si non, ut Cn. Domitium Corbulonem laude sua aequaret, idem commentarios composuisset. hinc Plinius eorum nomina in indicibus librorum V et VI coniunxit, qui quidem Corbulonis res bello gestas non minus tacuit.

Editos autem hos commentarios esse ante 77/830, quoniam Mucianus in historia naturali tum primum absoluta ut inter mortuos tractatur, certum est, minus illud, quod post Lyciam administratam eo tempore, quo Romae procul negotiis uersabatur (i. e. ante a. 67/820), Brunn *p. 26 sq.* statuit, maxime eam ob causam, quod res a Muciano traditae intra illam prouinciam continerentur neque ulla ad Syriam (excepto fr. 8) pertineret.[1]) immo magis ad id tempus inclino, quo sub Vespasiano a uita publica omnino se receperat; nam Plinius eum non solum 'ueteribus' fr. 4 et 5 opposuit aut 'proxime' uidisse res, quas descripsisset, addidit *(fr. 7. 24)* sed etiam 'nuperrime' eas prodidisse *(fr. 23)*. quod autem tam saepe eum auctorem etiam nominauit, ipsius memoriae

1) Nihil certi Oder *Phil. Suppl. VII p. 292* protulit.

uidetur tribuisse (neque enim fieri potuit, ut etiam consuetudine hunc imperatoris sui 'fratrem' contingeret), fidem autem eius, qui etiam in uita admodum superstitiosus esset *(Plin. 28, 29)*, haud magni aestimabat; qua de causa miracula eius uel tribus consulatibus fulsit *(fr. 1. 2. 12. 21. 22. 23. 24. 25. 30)* uel illum credere adiecit *(fr. 1. 28. 32)* aut uidisse *(uid. p. cxxxx)* uel se mirari *(fr. 22. 24)*. maior tamen eius in numeris locorum diligentia fuit *(Brunn p. 27 sqq.)*.

Fragmenta autem Muciani non solum in libris X. XXXIII. XXXV[1]), quorum indices eum enumerant, textus omittit, multa apud Plinium latere cum per se probabile esset, multi ut ea eruerent, operam dederunt.[2]) ipse tamen ne in hoc lubrico campo errarem, in quo certa subsidia deficerent, nec his coniecturis indulsi nec fragmenta in ordinem quendam, quem Mucianus iter suum tempusque secutus obseruasse uideretur, redigere tentaui nec minutias aliasque eorum res ab historia abhorrentes commentario illustrare studui.

Alii scriptores eius opus non citauerunt neque in eis, quae de bitumine et Sodomiti lacu Plinius et Iosephus in bello Iudaico inter se consentientes afferunt, etiam hunc eo usum esse Nissen *(m. Rh. XXVI p. 541)* recte conclusisse uidetur. forsitan eius notitia ex chorographia Pliniana in Solini collectanea fluxerit *(Reliq. I p. CCCLI sq.)*.

---

1) In hoc libro citatur Mucianus § 163, neque tamen opus curiositatis aut commentariorum sed oratio in altero consulatu a. 70/823 habita, cuius facetias Plinius memoria retinuerat. orationes certe Muciani editas esse nusquam proditum est. locus ille hic est: *Nos cum unam* (patinam) *Aesopi tragoediarum histrionis in natura auium* (X 141) *diceremus HS C̄ stetisse, non dubito indignatos legentis; at, Hercules, Vitellius in principatu suo |X| HS condidit patinam, cui faciendae fornax in campis exaedificata est, quoniam eo peruenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent quam murrina. propter hanc Mucianus altero consulatu suo in conquestione exprobrauit patinarum paludes Vitellii memoriae, non illa foediore, cuius ueneno Asprenati reo Cassius Seuerus accusator obiciebat interisse conuiuas CXXX.*

2) Brieger *De font. libr. XXXIII—XXXVI Plin. n. h.* p. 60 sq. Brunn l. s. p. 41—44. Oemichen *Plin. Stud.* p. 141—149. Muenzer *Q. d. Plin.* p. 392—396, alii.

TI. CLAVDIVS BALBILLVS

Quae de eo accepimus, omnia ad Aegyptum pertinent, cuius praefecturam ei a. 55/808 permissam esse Tacitus (*ann. XIII 22,* ubi tamen perperam Gaius nominatur) testis est, et tituli *(u. Prosop. I p. 360 n. 662)* et scriptorum loci, Plinii *(n. h. 19, 3)* et Senecae *(fr. 1),* miraculi alicuius auctoritatem ad hunc praefectum Aegypti referentis, quod ille uir 'profectus in omni litterarum genere rarissimi' facile in commentariis narrare potuit.

IMPERATOR T. FLAVIVS VESPASIANVS

(Natus a. 9/762, imp. 69/822—79/832.)

Imperatorem Vespasianum Reatinum ne Graeca quidem facundia caruisse 'omniumque quae diceret atque ageret, arte quadam ostentatorem' fuisse Tacitus *(hist. II 80)* eo intentius tradidit, quo minus cum iudicio uulgari, quale iam tum conformatum erat, concinere uidebatur (quo inductus Aurelius Victor *Caes. 9, 1* hanc laudem ita minuit: *facundiae haud egens promendis quae senserat*). Ea autem de causa non mirabimur, quod rerum a se gestarum memoriae ipse consuluit commentariosque et scripsit et publicauit. nam quamquam eos solus Iosephus citauit, qui arta familiaritate cum Flauiis coniunctus esset, tamen Iusto historico, quod eis non usus esset, crimini dare non potuit *(fr. 1),* nisi communi usui patuissent, id quod contra Premersteinium *(ap. Pauly-Wiss. IV p. 757 sq.)* monui, idemque etiam ab aliis belli Iudaici scriptoribus in usum eos uocatos esse commemorauit. haec enim testimonia sunt, quae post maiora opera edita, ut ueritatem suam contra aemulos aduersariosque defenderet, in uita et in libris contra Apionem (annis 93/846—95/848) proposuit *(Gesch. Litt. I p. 394 sqq.)*:

Vitae c. 65 Ἀλλ' ἴσως τὰ κατὰ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν πραχθέντα μετ' ἀκριβείας φήσεις συγγεγραφέναι· καὶ πῶς οἷόν τε; οὔτε γὰρ πολέμῳ παρέτυχες οὔτε τὰ Καίσαρος ἀνέγνως ὑπομνήματα. μέγιστον δὲ τεκμήριον, τοῖς γὰρ Καίσαρος ὑπομνήμασιν ἐναντίαν πεποίησαι τὴν γραφήν· εἰ δὲ θαρρεῖς ἄμεινον ἁπάντων συγγεγραφέναι, διὰ τί ζώντων Οὐεσπασιανοῦ καὶ Τίτου τῶν αὐτοκρατόρων τῶν τὸν πόλεμον κατεργασαμένων, καὶ βασιλέως Ἀγρίππα περιόντος ἔτι καὶ τῶν ἐκ γένους

αὐτοῦ πάντων, ἀνδρῶν τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας ἐπὶ πλεῖστον ἡκόντων, τὴν ἱστορίαν οὐκ ἔφερες εἰς μέσον;

Contra Apion. I 10 Πῶς οὖν οὐκ ἂν θρασεῖς τις ἡγήσαιτο τοὺς ἀνταγωνίζεσθαί μοι περὶ τῆς ἀληθείας ἐπικεχειρηκότας; οἳ κἂν τοῖς τῶν αὐτοκρατόρων[1]) *ὑπομνήμασιν ἐντυχεῖν λέγωσιν, ἀλλ' οὔ γε καὶ τοῖς ἡμετέροις τῶν ἀντιπολεμούντων πράγμασι παρέτυχον.*

Hic Iosephus cum iactatione quadam postea professus est, quod in descriptione ipsius belli non necesse esse duxerat, neque fidem ipsum legentes denegabimus *(Gesch. Litt. I p. 396 sqq.).* sed etiam apud Tacitum uestigia eorundem Vespasiani commentariorum inueniuntur. nam quae de asphaltite Iudaeae lacu, de agro Sodomita, de prodigiis ante Hierosolyma expugnata obseruatis *(hist. V 6; 7; 13)* profert, quoniam cum Iosepho *(b. Iud. IV 8, 4. VI 5, 3)* concinunt, ad illos redire uidentur; neque enim nunc (ut etiam Lehmann *Claud. u. Nero I p. 33 sq.*) ea ad hunc Iudaeum rettuleris.[2]) tertius denique accedat Plinius maior, qui quae sparsim in naturali historia de lacu asphaltite exhibet V 71 sq. II 226. VII 65, composita aliisque rebus aucta leguntur uel apud Iosephum uel apud Tacitum neque casu esse factum uidetur, quod hic scripsit '*certo anni* (sc. tempore) *bitumen egerit*', Plinius VII 65 '*quin et bituminum lenta natura — certo tempore anni supernatans*', ille de bituminis abscissione 'ueteres auctores' 'gnaris locorum' opponit, hic nihil in lacu mergi famam esse adnotat *(V 72).* talia autem etiam ducibus Romanis curae fuisse Corbulonis, Muciani, Paulini exemplis satis comprobatur.[3])

Sed propter talem testimoniorum inopiam quaerere omittimus, num Vespasianus praeter Iudaicam etiam alias expeditiones, ut Britannicam, commentariis suis complexus sit aut quo tempore eos ediderit; certe Iosephus, cum breui post a. 75/828 bellum suum imperatori eiusque filio traderet, eos iam in manibus ha-

---

1) Est hic pluralis rhetoricus neque opus erit cum Gutschmidio (op. IV p. 411) de coniuncta opera Titi filii cogitare: '*weil für den späteren Teil des Kriegs natürlich die officiellen Rapporte des Sohnes die Grundlage bildeten*'.

2) Vid. C. E. Peter *Flav. Josephus u. d. jüd. Krieg,* Progr. Perleberg 1871 p. 7 sqq.

3) Nissen m. Rh. XXVI p. 541 non dubitat, quin quae de Iudaeis Tacitus hist. V 2 sqq. proferat, ex Plinii 'A fine Aufidii Bassi' (per eum ex Licinio Muciano) fluxerint. at recte eum redarguit Detlefsen Phil. 34 p. 43 sqq.

buerat, ut per ipsum bellum materiam certe congestam, paulo post retractatam esse ueri simile sit.

M. ANTONIVS IVLIANVS

Hierosolymis a. 70/823 expugnatis a Caesare Tito Iosephus *b. Iud. VI 4, 3* sex duces, quos nominat, in eis M. Antonium Iulianum, procuratorem Iudaeae conuocatos esse narrat, ut de sorte templi eos consuleret; quos partim iure belli id delendum esse censuisse — neque enim umquam, si staret, Iudaeos nouas res agitare desituros esse —, partim, si hostes desererent, id seruandum, sin defenderent, comburendum, Titum se pro hominibus inanima non ulturum nec tantum opus euersurum esse eique tres duces adstipulatos esse. tum uero militem diuinitus impulsum templum face incendisse frustraque Titum obnixum esse. at longe aliter illud consilium Sulpicius Seuerus descripsit *(II 30, 6): Fertur Titus adhibito consilio prius deliberasse, an templum tanti operis euerteret. etenim nonnullis uidebatur aedem sacratam ultra omnia mortalia illustrem non oportere deleri, quae seruata modestiae Romanae testimonium, diruta perennem crudelitatis notam praeberet. at contra alii et Titus ipse euertendum in primis templum censebant, quo plenius Iudaeorum et Christianorum religio tolleretur: quippe has religiones, licet contrarias sibi, isdem tamen ab auctoribus profectas; Christianos ex Iudaeis extitisse: radice sublata stirpem facile perituram.* quod testimonium eo pluris aestimandum est, quod Tacitum subesse Bernays *(Op. II p. 173 sqq.)* luculenter demonstrauit, concinitque Orosius (VII 9, 5), qui eodem fonte esse usus uidetur: *quod* (templum) *postquam in potestatem redactum opere atque antiquitate suspexit, diu deliberauit, utrum tamquam incitamentum hostium incenderet an in testimonium uictoriae reseruaret. — itaque Titus, imperator ab exercitu pronuntiatus, templum in Hierosolymis incendit ac diruit.* quodsi Sulpicius uel Tacitus Titum templum comburentem fecit, Iosephum eius lenitatem humanitatemque laudare uoluisse apparet, id quod etiam b. Iud. V 9, 2: VI 2, 3; 6, 2 contra ueritatem *(Bernays l. s. p. 178 sq.)* egit, ita ut non miremur a Tito eius descriptionem publice comprobatam esse *(Gesch. Litt. I p. 395).* atqui Minucius Felix *(fr. 1)* Antonium Iulianum '*De Iudaeis*' citat eumque aduersarium

eis fuisse, cumque in eis tribus ducibus, qui apud Iosephum Tito assentiebantur, Antonius Iulianus non nominetur, eumque seueritatem tum in concilio suasisse sequatur, eundem de Iudaeis contra Iosephum sententiam suam tuitum ueri simile est et a Tacito ut magis idoneum auctorem in usum de hac re uocatum esse *(Bernays l. s. p. 173 sq. Gutschmid Op. IV p. 345 sq.)*.

Q. ASCONIVS PEDIANVS

Hic auctor curiositatis diligentissimae a Suetonio in libro de historicis latinis inter Fenestellam et Plinium maiorem recensitus erat, ab Hieronymo ad a. 2091 Abr. = 76/829 p. 159 Sch. *Q. Asconius Pedianus scribtor historicus clarus habetur, qui LXXIII aetatis suae anno captus luminibus XII postea annis in summo omnium honore consenescit.* fuit uere historicus, multo magis quam qui modo tractati sunt commentariorum scriptores atque religiosius quam Graecorum Didymus, eamque laudem propter commentarios orationum Ciceronis, quos a. 54/807—57/810 ad filios misit, iure obtinet, quibus scite Ciceronis errores oratorio more commissos ad historicum reuocat *(in Pison. p. 11 K.-Sch.)*; locum tamen in hac collectione uita Sallustii ei tribuit, etsi unum eius fragmentum dubia Pseudo-Acronis auctoritate nititur.[1])

C. PLINIVS SECVNDVS[2])

De uita disputare non est huius libri. apponam Suetonium, qui eum inter historicos enumerauit: de uir. ill. p. 92 sq. Rf. *Plinius Secundus Nouocomensis equestribus militiis industrie functus procurationes quoque splendidissimas et continuas summa*

1) Ceterum u. Gesch. Litt. I p. 114 sqq. Prosop. imp. Rom. I p. 158 n. 994. Pauly-Wissowa Realenc. II p. 1524.

2) Nunc difficilem de Taciti auctoribus quaestionem aggredior; itaque semel scriptores praecipuos, qui eam tractauerunt, adposui: F. Hirzel *Comparatio eorum, quae de imperatoribus Galba et Othone relata legimus apud Tacitum, Plutarchum, Suetonium, Dionem Cassium instituta,* Progr. Stuttg. 1851. Th. Wiedemann *De Tacito, Suetonio, Plutarcho, Cassio Dione, scriptoribus imp. Galbae et Othonis.* Diss. Berol. 1857. H. Peter *Die Quellen Plutarchs in den Biographieen der Römer* (1865) p. 28 sqq. Mommsen *C. Tacitus u. Cluvius Rufus,* Herm. IV

integritate administrauit et tamen liberalibus studiis tantam operam dedit, ut non temere quis plura in otio scripserit. itaque bella omnia, quae umquam cum Germanis gesta sunt, XX uoluminibus comprehendit, item naturalis historiae XXXVII libros absoluit. periit clade Campaniae.[1]) huic loco adnotabo natum esse Plinium a. 23/776 uel 24/777 *(u. Prosop. III p. 51 n. 373),* militias equestres fecisse in Germania, fortasse a. 47/800, contra Chaucos cum Domitio Corbulone *(n. h. 16, 2),* a. 50/803 sub Pomponio Secundo *(u. infra p. sq.)* alaeque praefuisse, dein Romae causas actitasse (a. 52/805 certe in Italia fuit, *n. h. 33, 63*), inde ab a. 70/823 (Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani bellis ciuilibus non uidetur interfuisse) procurationes continuas administrasse Hispaniae, Belgicae, Africae, tum Romae officio aliquo functum cottidiana cum Vespasiano consuetudine coniunctum, postremo praefectum classis praetoriae Misenensis anno aetatis sexto et quinquagesimo (79/832) eruptione Vesuuii perisse.[2])

Indicem librorum omnium hunc secundum temporum ordinem digestum Plinius minor Baebio Marco, ut 'ad simile aliquid elaborandum aemulationis stimulis excitare' *(§ 20)* uideretur, proposuit *(ep. III 5): Pergratum est mihi quod tam diligenter libros auunculi mei lectitas, ut habere omnes uelis quaerasque, qui sint omnes. fungar indicis partibus atque etiam, quo sint ordine scripti, notum tibi faciam: est enim haec quoque studiosis non iniucunda cognitio. 'De iaculatione equestri unus'; hunc, cum praefectus alae militaret, pari ingenio curaque conposuit. 'De uita Pomponi Secundi duo', a quo singulariter amatus hoc memoriae amici quasi debitum munus exsoluit. 'Bellorum Germaniae uiginti', quibus omnia, quae cum Germanis gessimus bella collegit. inchoauit, cum in Germania militaret, somnio monitus: adstitit ei quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae latissime uictor ibi periit, commendabat memoriam*

p. 295 sqq. (1870). H. Nissen *Die Historien des Plinius,* Rhein. Mus. 26 (1871) p. 497 sqq. J. Lezius *De Plutarchi in Galba et Othone fontibus,* Diss. Dorpat. 1884. Ph. Fabia *Les sources de Tacite* (1893). A. Gercke *Seneca-Studien* in Fleckeis. Suppl. XXII (1896) p. 239 sqq. E. Groag *Zur Kritik von Tacitus' Quellen in den Historien* in Fleckeis. Suppl. XXIII (1897) p. 711 sqq. C. E. Borenius *De Plutarcho et Tacito inter se congruentibus,* Helsingfors 1902. Plenior conspectus est Fabiae p. xvi—xxii.

1) Ex Suetonio confuse Hieronymus ad a. 2126 = 111/864 p. 165 Sch.

2) Consulto omisi titulum Aradium a Mommseno Herm. XIX p. 644 suppletum et ad eum relatum, u. Schanz *Literaturg.* II 2² p. 373.

suam orabatque, ut se ab iniuria obliuionis adsereret. 'Studiosi tres.' — 'Dubii sermonis octo': scripsit sub Nerone nouissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum seruitus fecisset. 'A fine Aufidi Bassi triginta unus.' 'Naturae historiarum triginta septem.' quae quidem opera eum componere non potuisse, nisi tempore religiosissime usus esset, reliqua epistula docet.

Exorsus igitur est Plinius ab ipsa militia, iam tum 'pari ingenio curaque' usus, deinde pietatis officio satis fecit, cum P. Pomponii uitam scriberet, et poetae tragici et ducis illustris, cum in Germania superiore a. 50/803 legatus Caesaris pro praetore fuisset, ornamentis triumphalibus ornati *(Tac. XII 27 sq.),* uiri et a Tacito propter morum elegantiam et ingenium illustre et a Quintiliano propter carmina et eruditionem magni aestimati, de quo multa habuit quae narraret. nam et consulatum administrauit (a. 44/797) bellumque gessit et fortunae iniquitatem perpessus est, cum ut amicus Aelii Galli, filii Seiani, a. 31/784 in custodiam fratri datus a Gaio demum dimitteretur, apud hunc autem et apud Claudium in honore esset *(Prosop. III p. 80 n. 563).* Plinius autem in historia naturali et eius auctoritate addita cenam, quam imperatori Gaio dedit, enarrauit *(fr. 1)* et manus Tiberii Gaique Gracchorum se apud eum 'uatem ciuemque clarissimum uidisse' scribit *(XIII 83)* meminitque eius matris *(VII 39)* ipsumque numquam ructasse *(VII 80),* id quod ne ab enarratione quidem eius uitae pro curiositate Pliniana abhorrere uidetur.

Secuti sunt 'Bellorum Germaniae uiginti' libri, quibus omnia umquam cum Germanis gesta eum comprehendisse etiam Suetonius *l. s.* testatur, initium facientes, ut ueri simile est, cum Cimbris Teutonisque, a quibus etiam Tacitus in Germania *c. 37* illa bella repetit, incohati in ipsa Germania, idque ita, ut somnium illud Drusi patris fingeret (quod in prooemio eum more poetarum usitato narrasse putauerim), ne Aufidii laudi inuidisse uideretur, cuius bellum Germanicum silentio transire non posset. re uera inique ferebat, quod Drusi memoria non ea, qua dignus esset, pietate culta esset, Caligulae bellis obscurata, cuius expeditionum ludibrium, ut ait Tacitus *(hist. IV 15. Germ. 37. cf. Agr. 13),* adulatione in laudem uersum erat *(uid. supra p. cxxvi sq.)*; indicium eius etiam nunc exstat *(uid. fr. 2).* cognitio eius bellorum usque ad Symmachi aetatem mansit, etsi Protadio postulanti forte fortuna opus esse respondit, ut ea conquireret *(ep. IV 18).*

Citauerunt tamen ea soli Suetonius atque Tacitus idque singulis locis, quorum ille non habuit, cur eos saepius inspiceret, multo magis hic, qui bella Germanica in primis annalium libris tanto studio enarrauit, ut tristitiam rerum Romanarum laude bellica Germanici hilararet. quaeritur, utrum Aufidium Bassum an Plinium sequi maluerit. atque Fabia quidem *(p. 407 sqq.)* illum in primo loco habitum, Plinium in subsidium uocatum esse censet, nam ita esse eum citatum, ut nomen eius postea auctori primario additum esse appareret. at 'infantem in castris genitum', quem Tacitus in narratione (anni 14/767, *ann. I 41*) inducit, cum Plinio *(fr. 2)* non discrepare Mommsen *Herm. XIII 248* monuit. nec sine causa Tacitus in prima et altera hexade annalium 'C. Plinium, Germanicorum bellorum scriptorem', unum auctorem citauit *(fr. 3)*. certe quod inde a libro undecimo annalium, ubi Aufidii opus defecit, tribus locis res Germanicas tetigit *(XI 18—20. XII 27—28. XIII 53—57)*, duobus a Domitio Corbulone (a. 47/800) et a P. Pomponio (50/803) gestas, totus ad Plinium, ut auctorem illorum locorum peritissimum, confugisse uidetur, praesertim cum de aqua salsa ardentibus lignis in Germania infusa concretoque sale mirum in modum Tacitus *XIII 57* et Plinius in nat. hist. *31, 82* consentirent; hic autem si ei solus in rebus Germanicis huius partis annalium fons fuit, usque ad annos 55/808 uel 58/811 in scribendo peruenit.[1])

Vltimum opus, priusquam ad naturalem historiam se accingeret, composuit libros 'A fine Aufidii Bassi triginta unum', quibus historiam ab anno 32/785 usque ad sua tempora (usque ad triumphum Vespasiani a. 71/824 censent Fabia *p. 189 sq.*, Gutschmid *Op. V p. 357 sq.)* 'iam pridem' deduxerat, absolutos edere ueritus, ne Flauiis adulatus esse uideretur, quod crimen sibi imminere ipse prospexerat *(fr. 4)*. cohaerebat autem cum hoc Flauiorum studio odium Neronis, qui etsi apud Tacitum niger est, etiam nigrior fuit apud Plinium, cum in naturali historia illum faecem generis humani et hostem appellaret *(7, 45 sq.)*, uenenum *(22, 92)*, non de rebus eius loqueretur sed sceleribus *(34, 45)*, insania *(35, 51)*, uitiis *(37, 50)*, denique omnia nefanda in eum conferret *(Gercke l. s. p. 168 sqq.)*. nimirum aliter de

1) Plinium primarium Tacito auctorem fuisse Muellenhoff Deutsche Altertumsk. IV p. 19. 47 statuit. Muenzeri disputationem de hac re in annal. Bonnens. CIV (1899) p. 67—111 non noui.

eo iudicabatur florentibus Flauiis, aliter occiso Domitiano. nec minus acerbe Plinius Gaio irascebatur *(Gercke l. s.)*, ut cui Claudius patronus successisset, qnamquam de loco, ubi natus esset, et ipse errauit et Gaetulicus, cui adulationem exprobrauit *(fr. 2)*. itaque testamento heredi hanc historiam mandauit, i. e. filio sororis.[1]) quod autem perinde' se et occupantibus locum et posteris fauere addidit, quos secum decertaturos esse sciret, sicut ipse fecisset cum prioribus, idem professus est quod Tacitus cum iram et studium deprecaretur, significauitque hac ratione se aperte et laudare potuisse quae laudanda essent, et reprehendere quae reprehendenda, ut crimina et odii et adulationis fugeret, ueritatisque se omnino studiosum fuisse nec minus benignum plenumque ingenui pudoris[2]), quarum uirtutum uel cuius 'stomachi' argumentum ut proferret, postea in naturali historia se auctorum nomina praetexturum esse pollicitus est. in eoque stetit. nam ut illis temporibus acriter in res inquisiuit et ad certissimum quemque auctorem rediit, quem improbaret acerbe uituperans *(Gesch. Litter. I p. 119 sqq.)*, qua de causa si quid ipse uidisset, commemorare non omisit *(uid. indicem Detlefseni p. 83)* atque ne monumenta quidem titulosque spreuit: heres igitur, qui quidem etiam se ipsum omnia, quibus interfuisset quaeque statim, cum maxime uera memorarentur, audiuisset, stilo persecutum esse ad Tacitum scripsit *(ep. VI 16, 22)*, auunculum iure suo 'religiosissime' historias scripsisse praedicare potuit *(V 8, 5)*.

Eo magis miramur Taciti iniquitatem iudicii. nam *ann. XIII 31* anno 57/810 pauca memoria digna euenisse memorat, 'nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Caesar extruxerat, uolumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit res inlustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare', quibus uerbis eum Plinium respexisse his ipsius locis demonstratur: *n. h. XVI 200 Amplissima arborum ad hoc aeui existimatur Romae uisa, quam propter miraculum Tiberius Caesar — exposuerat —, durauitque ad Neronis principis amphitheatrum; fuit autem trabs ea e larice, longa pedes CXX, bipedali crassitudine aequalis, quo intellegebatur uix credibilis reliqua altitudo fastigium ad cacu-*

1) A Plinio minore eam etiam retractatam et suppletam esse minus recte Nissen l. s. p. 544 opinatus est, uid. Fabia p. 207 sq.

2) Aliter Sillig in edit. sua I p. 10 hunc locum interpretatus est.

men aestimantibus. XIX 24 Vela nuper et colore caeli, stellata, per rudentis iere etiam in amphitheatris principis Neronis.[1]) quid quod Tacitus *XV 53* Plinium etiam nominatim absurditatis[2]) incusat *(fr. 6)*. sed simile eius iam in historiis fuit iudicium, ubi dignitatem historiae contra minutiarum amatores defendens ita, quod ipse prodigium narrauisset, excusauit *(II 50): ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul grauitate coepti operis crediderim, ita uulgatis traditisque demere fidem non ausim.* inuenitur quippe etiam hoc prodigium in naturali historia *(X 135. u. Detlefsen Phil. 34 p. 42)*. tum uero Plinium, etsi item non nominauit, tamen satis aperte significauit II 101, ubi postquam A. Caecinae et Lucilii Bassi a Vitellio ad Flauianos defectionem narrauit, sic librum clausit: *Scriptores temporum, qui potiente rerum Flauia domo monumenta belli huiusce composuerunt, curam pacis et amorem rei publicae, corruptas in adulationem causas, tradidere. nobis super insitam leuitatem et prodito Galba uilem mox fidem aemulatione etiam inuidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, peruertisse ipsum uidentur.* eosdemque temporum Flauianorum scriptores in animo habet in ultimo capite insequentis libri *(III 86): Rei publicae haud dubie intererat Vitellium uinci, sed imputare perfidiam non possunt qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum a Galba desciuissent.*

Itaque Tacitus, quamquam multitudinem ominum miraculorumque, quibus Vespasiano imperium portentum erat[3]), non omnino silentio transire potuit *(hist. IV 82 sq. II 78)* nec Othonis praesagia mortis *(I 86)*, tamen et Plinii curiositatis contemptu et Flauiorum in Domitiani saeuitiam exeuntium partium odio iraque, denique ambitione maxime esse impulsus uidetur, ut res ab anno 69/822 gestas dignius grauiusque historia persequeretur. quid quod ne Plinius quidem minor Taciti laudi inuidit sed fauit (tam

1) Similem curiositatem Tacitus ignoto alicui XV 41 exprobrauit: *fuere qui adnotarent XIIII kal. Sextiles principium incendii huius ortum, quo et Senones captam urbem inflammauerint. alii eo usque cura progressi sunt, ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent.* quod Nissen p. 280 et Gercke p. 208 item ad Plinium referunt.

2) Notio tamen eius uocabuli apud Tacitum multo leuior est quam uulgo uerti solet.

3) Apud communem auctorem etiam alia descripta erant, uid. Wagner *De ominibus* p. 29 sqq.

caeco amore illi amici sua tempora colebant et mirabantur), cui, ut sibi auunculi exitum scriberet, petenti etiam gratias egit, quod 'quamuis ipse (auunculus) plurima opera et mansura condidisset, multum tamen perpetuitati eius scriptorum ipsius (Taciti) aeternitas additura esset' *(ep. VI 16, 2,* scr. inter annos 104 usque ad a. 108, *Brief in d. röm. Litt. p. 107 sqq.)*; manu certe tum Tacitus a Iuliis Claudiisque abstinebat, ad quorum res amico iam mortuo tractandas accessit.

Sed quaeritur, num consensus Taciti, Plutarchi, Suetonii in rebus anni 69 et 70 descriptis ad Plinium reuocandus sit, quae sententia est Wiedemanni, Nisseni, Fabiae *(p. 184—209),* Gerckii *(p. 159 sqq.),* aliorum. ipse diu multumque in eam rem inquisiui, quoniam, quotiescunque in ipso Tacito uolutando uersatus eram, a me impetrare non poteram, ut totum eum auctori se addixisse crederem, consensum tamen comparans et examinans ab illis tribus scriptoribus eundem auctorem adhibitum esse semper denuo mihi persuasi. sed nolo materiam hic recoquere, a me l. s. p. 28—44 olim congestam, postea hic illic auctam a Mommseno, Lezio, Fabia, Borenio aliisque. quae una grauior dubitatio remanserat (Plutarchi Oth. 3 φοβούμενος ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν αὐτὸς ἦν φοβερὸς ἐκείνοις et Taciti hist. I 81 *cum timeret Otho timebatur*) a Gerckio *(l. s. p. 176),* Muenzero *(Herm. XXXIV p. 641),* Woelfflino *(Archiv XI p. 430)* remota est, nam haec iam a Solone, Periandro, Laberio, Cicerone usurpata antithesis uulgata tum erat.[1])

De nomine tamen auctoris communis etiam nunc certatur. ipse et quinque annis post Mommsenus de Cluuio cogitaueramus: at is de eadem re a Plutarcho in parenthesi nominatur *(Oth. 3),* a Suetonio *(Oth. 7)* significatur, a Tacito *(hist. I 78)* tacite corrigitur *(uid. Cluuii fr. 3 c. adn.),* ut iam a communi auctore eum citatum esse eluceat; tum Vipstani Messallae commentarii, quos Tacitus item in historiis citauit, non totum illud temporis spatium complexi sunt; Fabii Rustici, quos in annalibus, id ne

---

1) Ex ludi rhetorici umbra multas sententias in uitam deductas atque etiam a scriptoribus uel inuitis uel consilio ad orationem exornandam adhibitos esse docent multa exempla, uelut Seneca cont. 9, 4, 5 *necessitas magnum humanae imbecillitatis patrocinium est* comparatus cum Valerio Maximo 2, 7, 10 *humanae imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas.* u. Morawski Eos II 8. Norden *Kunstprosa* p. 304. 385 sq. Marx *Prolegg. ad Herenn.* p. 88.

attigerunt quidem *(u. infra p. CLXII sqq.)*.[1]) restat igitur Plinius, quem Tacitus et in historiis *(fr. 9)* et in annalibus *(fr. 5. 6)* citauit, uberrimus sane fons illorum annorum. uerum tamen quod Nissen omnia in Taciti historiis Pliniana esse, quae ex aliis auctoribus sumpta esse demonstrari non posset, statuerat *(p. 535)*, Detlefsen *(Phil. XXXIV p. 40—49)* et Groag *(p. 709 sqq.)* quibusdam in rebus eos inter se discrepare[2]) neque uestigiis illius Tacitum institisse certis argumentis euicerunt. itaque illud constare mihi uidetur non habere nos, quin Tacito plures auctores testanti credamus[3]), ut plurimos locos praeteream, quibus eandem rem a compluribus (etiam 'multis' *III 59*) diuerse traditam esse memorat *(u. Nissen p. 525 sq. Fabia p. 161 sqq. 113 sq.)*. frequenter enim res illis turbulentis annis gestas litteris et sermonibus tractatas esse, ut aut excusarentur aut probarentur aut defenderentur celebrarenturque cum per se appareat, tum Iosephi testimonio *(b. Iud. IV 9, 2)* confirmatur: *Πάντα ταῦτα* (res a Galba, Othone, Vitellio, Antonio Primo Mucianoque gestas) *διεξιέναι μὲν ἐπ' ἀκριβὲς παρῃτησάμην, ἐπειδὴ δι' ὄχλου πᾶσίν ἐστι καὶ πολλοῖς Ἑλλήνων τε καὶ Ῥωμαίων ἀναγέγραπται, συναφείας δὲ ἕνεκα τῶν πραγμάτων καὶ τοῦ μὴ διηρτῆσθαι τὴν ἱστορίαν κεφαλαιωδῶς ἕκαστον ἐπεσημηνάμην.* sed cum aliis temporibus singulorum imperatorum memoria uoluntate et auctoritate eorum qui succederent senatusque in certam formam redacta sit, quod nusquam nec apud Tacitum in annalibus nec apud Plutarchum in aliis uitis saepius diuersas memorias uel famas uel opiniones inter se oppositas esse inuenimus quam illius in historiis, his in uitis, causa hinc explicanda est, quod Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani res litteris exceptae et uulgatae sunt, priusquam historia a Flauiis recepta et stabilita esset. quin etiam accuratius circumscribere poterimus communem illum auctorem post Caecinae coniurationem et mortem, i. e. ultimis Vespasiani temporibus uel sub Tito res litteris mandasse — neque enim antea ille repraesentatus consensus apud Plut. Oth. 6 et Tac. hist. I 53; 67 sq. II 20 tam seuere de homine potentissimo iudi-

1) Rustici patronus, etsi dubitanter exstitit Groag (l. s. p. 790 sqq.).

2) Ex. gr. compara de bello Garamantium Plin. V 38 et Tac. IV 50.

3) *inuenio apud quosdam auctores* II 37, *scriptores temporum, qui — composuerunt* II 101, *omnes auctores* III 29, *celeberrimos auctores habeo* III 51, *nostris auctoribus celebrata* IV 83, *plerique auctores* V 2, *ueteres auctores* V 6.

casset *(uid. Groag p. 772)* — Tacitumque scriptores eius ultra modum studiosos *(II 101)* redarguisse. atqui etsi hic et Plutarchus in rebus atque etiam in ingeniis hominum describendis accurate inter se consentiunt, discrimen tamen quoddam inter auctoritatum genera, quas appellant, intercedit. nam etiam Tacitus saepe idque multo saepius quam in annalibus 'credi' rem aliquam esse satis habuit commemorasse[1]) atque aperte aequalium sermones famasque citauit[2]), idem tamen, si posset, auctores uel scriptores substituit *(u. p. CLIII)*, cum Plutarchi ea ratio atque id consilium esset, ut res ad testes oculatos[3]) reuocaret neque umquam ad scriptores praeter Cluuium[4]), ita ut de eadem re Plutarchi testimonium *ἑτέρων ἦν ἀκούειν (Oth. c. 9)* respondeat Taciti II 37 '*Inuenio apud quosdam auctores*'; quod nisi hunc auctoritates suas finxisse sumamus, alias ad emendandum et supplendum communem fontem adhibuit suoque ingenio et arti multo liberius indulsit quam Graecus, id quod etiam ipsis rebus comparatis confirmatur *(u. Nissen p. 514 sqq. Fabia p. 161 sqq.)*, atque consilio testes oculatos nominare spreuit, etsi facere non potuit, quin multorum sermones audiret, ita tamen ut acritas iudicii eum non deficeret.[5]) nam quae Plutarchus (Iulium) Secundum rhetorem Othoni ab epistulis, qualis animi patroni sui affectus ante pugnam Bedriacensem fuisset, narrasse (*c. 9 καὶ τοῦτο μὲν διηγεῖτο*) copiose rettulerat[6]), Tacitus *II 40* breuiter ita memorat: *Otho — rem in discrimen mitti iubebat, aeger mora et spei impatiens* (cf. Suet. Oth. 9 *siue impatiens longioris sollicitudinis*), de causis autem pugnae iam communem auctorem

---

1) I 7; 14; [34 *arbitrabantur*]; 78. II 2; 21; 93; 95; 99. III 11; 65. IV 86. V 22.

2) I 41. II 3. III 65; 71; 77; 78. IV 52; 60; 61; 81.

3) Othon. c. 9 u. supra. 14 *Οὕτω μὲν οἱ πλεῖστοι τῶν παραγενομένων ἀπαγγέλλουσι γενέσθαι τὴν μάχην, οὐδὲ αὐτοὶ σαφῶς ὁμολογοῦντες εἰδέναι τὰ καθ' ἕκαστα διὰ τὴν ἀταξίαν καὶ τὴν ἀνωμαλίαν.*

4) Oth. 3. Galb. 14 *εἴτε ὥς φασιν ἔνιοι — εἴτε*; 19 *εἴτε — εἴτε ὥς φασιν ἔνιοι*; 27 *ὡς οἱ πλεῖστοι λέγουσιν — ἔνιοι δὲ — οἱ δὲ — οἱ δέ.*

5) Hist. IV 81 *utrumque* (miraculum Vespasiani) *qui interfuerunt nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.*

6) Aliter res se habet c. 14, ubi Mestrium Florum consularem sibi quaedam per planitiem Bedriacensem ambulanti de strage corporum narrasse (*διηγεῖτο*) tenori narrationis suae inseruit; fuit hic notus ille amicus Plutarchi. studium tamen testium oculatorum etiam hic manufestum est.

iudicium suum protulisse inde apparet, quod ille suum ita denuntiat *Καὶ οὐκ ἀπεικός ἐστιν*, hic '*Ego ut concesserim*', tum declamat uterque de atrocitate belli ciuilis Sullam, Marium, Pompeium nominans *(Oth. 9. hist. II 37)*.

Hoc igitur euicisse nobis uidemur communem illum auctorem historiarum testes potissimum oculatos et audisse et laudasse librumque uel commentarios suos post Caecinae mortem scripsisse. illud autem ab ingenio Plinii abhorret libros potius legentis et excerpentis, hoc a tempore, quoniam libri 'A fine Aufidii Bassi' a. 77/830 'iam pridem' ad finem perducti erant *(fr. 4)*. itaque Tacitus materiam illam, quam leuiore opera Plutarchus in suum sermonem transtulit, Suetonius excerpsit, collatis aliis scriptoribus (nam de actis dubito) examinauit, retractauit, nimia studia Flauiana abstersit [1]), Vipstanum Messallam amicum bis, Plinium amici auunculum opportunitate oblata, ne memoriam eorum omnino obscuraret, semel honoris causa etiam nominauit.[2])

Quis tamen ille fuerit, non solum nescire me fateor sed etiam operam perditurum esse, si ultra inquisiuerim. si autem cui mirum uideatur, quod illustres scriptores ad eundem delati sint eiusque ne nomen quidem traditum sit, hoc non casu factum est. nam cum eorundem uirorum consuetudine uterentur, quibuscum admiratione ueteris rei publicae uirtutisque atque grauitatis senatus coniuncti essent, ille ignotus auctor pari studio incensus et oculos omnium illorum facile in se contrahere potuit et ea ipsa de causa, nisi iniquitas fortunae obliuione eum obruit, Taciti Suetoniique fulgore praegrauari, cum ille elocutione, hic diligentia florerent et maiora quaedam temporum rerumque spatia amplexi essent.

Sed, ut ad Plinium ipsum reuertamur, Tacitus in annalium tertia hexade etiam duobus locis eum citauit, uno eum solum *(fr. 6)*, ut propter absurditatem eum redargueret, altero *(fr. 5)* una cum Cluuio opponens Fabio Rustico, suum iudicium cohibens; sed etiam tertio *(XIV 2)* eum in mente habuit, ubi postquam incestum Neronis Agrippinaeque secundum Cluuium narrauit, Fabium Rusticum eam culpam in Neronem, non cum illo in Agrip-

1) Itaque Vespasiani proconsulatum Africae Tacitus II 97 famosum inuisumque fuisse dicit, Suetonius Vesp. 4 integerrimum nec sine magna dignatione.

2) Miror quod Fabia p. 211 de Cremona obsessa hos solos Tacitum consuluisse conclusit.

pinam conferentem facit, tum addit quae Cluuium, eadem ceteros quoque auctores prodidisse, simillime alteri loco *(fr. 5)*, quo quidem sub initium regni Neroniani prima discrepantia oblata *(XIII 20)* se 'consensum horum auctorum secuturum quae diuersa prodidissent, sub nominibus ipsorum traditurum esse' profitetur; nam siue cum Nipperdeio *(uid. praef. p. 28)* '*horum*' interponimus siue cum libro manuscripto omittimus, cum Tacitus praeter Corbulonem propter res in oriente gestas *(u. p. cxxxv)* et commentarios senatus *(XV 74)* omnino alios auctores postea non nominauerit, res eadem est, nisi quod, si Mediceum sequimur, ut XIV 2 oratorie est locutus.[1]) Hoc igitur loco, quibus auctoribus qua

1) Longe aliter Imendoerffer (*Beiträge zur Quellenkunde der 6 letzten Bücher der Annalen des Tacitus.* Progr. primi gymn. Bruenn. 1891) Tacitum iudicare hoc loco uult se parui hos scriptores aestimare neque primariis fontibus usum esse (p. 2. 4).

In libris annalium XI—XVI his locis Tacitus auctores uel famas significauit:

XI 4 *Quidam pampineam coronam albentibus foliis uisam atque ita interpretatum tradidere uergente autumno mortem principis ostendi.* (u. infra p. CLVIII.)

21 *De origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falsa prompserim et uera exsequi pudet.*

27 *Sed nihil compositum miraculi causa, uerum audita scriptaque senioribus tradam.*

(31 *Satis constat eo pauore offusum Claudium ut* —.)

34 *Crebra post haec fama fuit* (de Claudii amentia).

XII 7 *quem plerique Agrippinae gratia inpulsum ferebant.*

21 *Mithridates — disseruisse apud Caesarem ferebatur.*

(24 *Regum* (Romanorum) *in eo* (pomoerio condendo et augendo) *ambitio uel gloria uarie uulgata.*)

52 *morte fortuita an per uenenum exstinctus esset* (Furius Scribonianus), *ut quisque credidit, uulgauere.*

65 *prompsisse inter proximos ferebatur* (Narcissus).

67 *ut temporum illorum scriptores prodiderint —. faucibus eius demisisse creditur* (de Claudii morte).

69 *dubitauisse quosdam ferunt.*

XIII 3 *Adnotabant seniores, quibus otiosum est uetera et praesentia contendere.*

17 *Tradunt plerique eorum temporum scriptores — illusum isse pueritiae Britannici Neronem.*

XIV 2 *ceteri quoque auctores prodidere.* u. p. CLV.

9 *Adspexeritque matrem exanimem Nero — sunt qui tradiderint sunt qui abnuant.*

37 *quippe sunt qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant.*

ratione usurus esset, apertius proposuit, quam ullo alio idemque famam de Nerone paulo post eius mortem sub Flauiis iam certam expressamque fuisse significauit, id quod etiam Iosephi iudiciis de imperatoribus Iuliis et Claudiis confirmatur *(Gesch. Litt. I 397 sqq. 319).* sed restat quaestio, quo ordine eos aestimauerit. numerus nihil ualet (nam Cluuius et Plinius binis locis, Fabius tribus nominatus est) nec iudicio satis discreuit, quoniam Plinium propter absurditatem *(fr. 6, cf. adn.)*, Fabium propter Senecae amicitiam uituperauit *(ann. 13, 20 de Fabii fr. 1)*, Cluuium solum reliquit intactum, ita tamen, ut eum semper una cum aliis nominaret. alia igitur subsidia circumspicienda sunt. atque Fabia quidem *(p. 390 sqq. 398)*, quod Tacitus, quae ratio consuetudinis inter Othonem, Poppaeam Sabinam, Neronem intercessisset, in annalibus *(13, 45 sq.)* aliter exposuit atque communis auctor historiarum *(I 13)*, Suetonii *(Oth. 3)*, Plutarchi *(Galb. 19)*, quoniam hunc Plinium fuisse uult, in annalibus eum de primo loco auctoritatis detrusum esse sumit.[1]) at huic opinioni omne fundamentum iam subtractum est. certius erit annales cum naturali historia comparare, quam uiam Detlefsen *l. s. p. 45* et Fabia *p. 398* ingressi sunt. quamquam hic res ita se habet, ut Plinius minutias ex tenore narrationis excerptas sub suo genere alias sub alio inserat raroque per complures continuas sententias cum Tacito concinere possit. uelut hic Neronem in lasciuia nocturna 'ipsum quoque excepisse ictus et ore praetulisse' *(13, 25)* narrat,

---

XIV 51 *plures iussu Neronis — inlitum palatum eius* (Burri) *noxio medicamine adseuerabant.*
59 *sunt qui — ferant —.*
XV (38 *nam utrumque auctores prodidere* (de incendio urbis).
41 *Fuere qui adnotarent* (de die incendii). — *alii eo usque cura progressi sunt, ut — numerent.*
52 *plerique crediderunt* (de Pisonis coniuratione).
53 *ut alii tradidere* (item).
54 *ut plerique tradidere* (item).
73 *Ceterum coeptam adultamque et reuictam coniurationem neque tunc dubitauere, quibus uerum noscendi cura erat, et fatentur qui post interitum Neronis in urbem regressi sunt.*
XVI 3 *Quidam uinctum* (Caesellium Bassum) — *tradidere.*
6 *neque enim uenenum crediderim* (de morte Poppaeae), *quamuis quidam scriptores tradant, odio magis quam ex fide.*

1) Immo facile quis Taciti futurum fuisse coniciat, ut Plinii discrepantiam in annalibus adnotaret, si memor fuisset promissi XIII 20 Pliniumque de ea re in historiis secutus esset.

Plinius medicinam probat, qua nocturnis grassationibus conuerberatam faciem illeuisset, tum uero secuto die contra famam cutem sinceram circumtulisset *(13, 126)*, uel de Poppaea Sabina ille indignationem suam in multa uerba effundit *(13, 43. 16, 6)*, hic minutias quasdam de luxuria interponit *(11, 238. 28, 183. 32, 140. 12, 83)*, uel ille describit proelium nauale in lacu Fucino a Claudio adornatum, cui praesedisset 'ipse insigni paludamento neque procul Agrippina chlamyde aurea' *(12, 56)*, hic de aureis uestibus agens se uidisse dicit Agrippinam Claudi principis edente eo naualis proelii spectaculum adsidentem et indutam paludamento aureo textili sine alia materia *(33, 63)*.[1]) his igitur aliisque locis res eaedem sunt Tacitumque sua Plinii historiis debuisse nec abnuere nec affirmare poterimus. duobus tantum eas ipsas ab illo comparatas esse ueri similius est. nam cum hic inter ea, quae temere manduntur, et boletos ponat 'optimi quidem hos cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos ueneno Tiberio Claudio principi per hanc occasionem a coniuge Agrippina datos' *(22, 92)*, apud Tacitum 's c r i p t o r e s t e m p o r u m i l l o r u m prodiderunt infusum delectabili cibo boleto venenum' *(12, 67)*, et cum ille dubitet, 'utrum forte an dolo principis' urbs incensa sit, 'nam utrumque a u c t o r e s prodidere' *(15, 38)*, hic commemorat 'Neronis principis incendia, quibus cremauit urbem *(17, 5)*.[2])

Diligenter etiam omina, quae Tacitus enumerauit, ut ad certam de hac re sententiam eniterer, perlustraui, quae quasi subito cum a. 51/804 interueniunt, tum a. 54/807 continuantur atque per Neronis regnum saepius quam in ulla alia uita effunduntur omniaque uel necem imperatori uel alia aduersa portendunt, ut post mortem collecta ea esse appareat. unde cum Plinium eorum studiosum fuisse ex historia naturali constaret, Nipperdey *praef. p. 28* etiam ab a. 51/804 initium eum librorum 'A fine Aufidii Bassi' fecisse suspicatus est. ipse nolo nimium huic rei ponderis tribuere, praesertim cum Tacitus initia imperatoris Neronis multo lenius describat qnam Plinius grauissimo in eum odio incensus, atque paulatim de eius flagitiis irasci incipiat *(Gercke l. s. p. 200 sqq.)*, neque tanta cum confidentia quanta Gercke *(p. 159 sqq.)* Cassium Dionem, cum ab initio in seuerius iudi-

---

1) Operum conspectus apud Suetonium Claud. 20 multa habet cum Plinio (16, 202. 36, 70; 124; 125) communia. V. Muenzer p. 407 sq.

2) Sic etiam sine dubitatione Suetonius c. 38.

cando Nerone pluribusque minutiis flagitiisque promendis, qua quidem in re Suetonii similior est *(cf. ex. gr. Dionem 61, 11 cum Suetonio c. 28)*, cum naturali historia consentiret[1]), non Tacitum sed Plinii historias secutum esse quasi pro certo pono, aut hinc profectus praeter Tacitum etiam Suetonium, Iuuenalem eiusque scholiastam, scriptorem tragoediae Octauiae ex eis sua de illo imperatore hausisse concludo. nam Dio etiam acerbiore odio quam in hunc in Senecam philosophum ardet, quem etsi initio *φρονιμώτατον καὶ δυνατώτατον* appellauit *(61, 3, 3)*, stuprum cum Iulia Agrippinaque fecisse *(61, 10, 1)* Neronique persuasisse scripsit, ut matrem occideret *(61, 12, 1)*, tum contra illum coniurasse *(62, 24)*, Paulinae uxori, cum ipse moriturus esset, inuitae mortem parasse *(62, 25)*, quod odium etsi Tacitus non ignorauit, cum P. Suillium similia ei exprobrantem faceret *(ann. 13, 42 sq.)*, in naturali tamen historia ne uestigium quidem eius reperitur, immo quo uno loco Senecae indolis mentio fit, de illo ʻprincipe tum eruditionis ac potentiae, quae postremo nimia ruit super ipsum, minime utique miratore inanium' *(14, 51)*, cum laudatione iudicatur. atqui Dionem hac Senecae inuidia narrationem Plinianam ipsum infecisse non est cur putemus, quam ob rem illud quidem concedimus multa Dionea Plinium redolere, uelut quod, ut Poppaeae luxuriam depingat, eadem duo exempla affert (62, 28), quae naturalis historia (33, 140. 11, 238), ʻ*ἐκ γὰρ τῶν βραχυτάτων πᾶν δηλωθήσεται*' addens (Plinium ipsum audire nobis uidemur), ex ipso tamen Plinio Dionem maiorem partem materiae non sumpsisse. immo si, ut Gerckius uoluit, Dio omnino ab uno auctore pendet, hic non fuit Plinius ipse sed alius scriptor aetate illi propior, qui eo usus erat.[2]) Quae cum res ita sint comparatae, quoniam certa indicia desunt, quibus quae Cluuiana, quae Fabiana esse uideantur, enucleari possit, me ita contineo, ut Neronis uitam ex tribus filis Plinii, Cluuii, Fabii a Tacito contextam esse statuam, at in incerto relinquam, et num quos alios auctores consultauerit[3]) et a

1) Portenta apud Dionem cum anno 45/798 incipiunt.

2) Non in omnibus rebus Dio cum Plinio contra Tacitum consentit, uelut Iunius Silanus apud Dionem (61, 6, 4) et Tacitum (13, 1) ab Agrippina occiditur, etiam ignaro Nerone, ut hic addit, apud Plinium ueneno Neronis (7, 58).

3) Corbulonem per Plinium in Taciti cognitionem peruenisse fuerunt qui arbitrarentur, uid. s. p. cxxxvi sq.

quo anno Tacitus in annalibus suis scribendis Plinii historiis uti uel eas cum aliis libris contaminare coeperit.[1]) utique hic amico mortuo cum annales componeret, ea ratione et pietate, qua in historiis tenebatur, solutus erat, ita ut, etsi nomen tacet, dignitati historiae Plinianae etiam obtrectare audeat *(13, 31)*.

Malalae loco *(fr. 10)* paene inuitus Plinii fragmentorum numerum augeri passus sum, a quo in historiis Sabinarum raptum narratum esse uix credam; si quis tamen cum chronico Paschali *(I p. 211 Di.)* pro Plinio Apollonium substituerit, hoc remedium irritum est, quoniam chronicon Malalam hic ad uerbum descripsit *(Krumbacher, Gesch. d. byzant. Lit.² p. 328. 338)* atque ne Liuii quidem nomen incorruptum seruauit (mutatum in Siluium).[2])

Contra ex Plinii naturali historia haec ex Neronis imperio omina ut iam in historiis descripta hic apponam:

16, 236 Verum altera lotos in Vulcanali, quod Romulus constituit ex uictoria de decumis, aquaeua urbi intellegitur, ut auctor est Masurius. — fuit cum ea cupressus aequalis circa suprema Neronis principis prolapsa atque neglecta.

17, 245 Super omnia, quae umquam audita sunt, erit prodigium in nostro aeuo Neronis principis ruina factum in agro Marrucino, Vetti Marcelli e primis equestris ordinis olitueto uniuerso uiam publicam trangresso aruisque inde e contrario in locum olitueto profectis.

Tum imperatoris Claudii: 2, 99 Trinos soles antiqui saepius uidere, sicut —, et nostra aetas uidit diuo Claudio principe, consulatu eius Cornelio Orfito collega.

atque haec mortis Claudii Caligulaeque: 2, 92 Sparguntur aliquando et errantibus stellis ceterisque crines. sed cometes numquam in occasura parte caeli est, terrificum magna ex parte sidus atque non leuiter piatum, ut ciuili motu Octauio consule iterumque Pompei et Caesaris bello, in nostro uero aeuo circa ueneficium, quo Claudius Caesar imperium reliquit Domitio Neroni ac deinde principatu eius adsiduum prope ac saeuum.

11, 189 Defuit (iecur in extis) et C. Mario, cum immolaret Vticae, item Gaio principi kalendis Ianuariis, cum iniret consulatum quo anno interfectus est, Claudio successori eius quo mense interfectus est ueneno.

Denique Plinii curiositatem etiam haec, quae in naturali historia tetigit, in historia facere non potuisse quin commemoraret ueri simile est:

V 11 (Bellum in Mauretania sub Claudio). *VII 62* (De L. Volusii

---

1) De Fabii Rustici auctoritate in Taciti annalibus uid. infra p. CLXII sqq., de Cluuii p. CLXVII.

2) Omisi ueterem Iuuenalis scholiastam, quem Aelii Donati aetate etiam Plinii historiis usum esse Gerckius p. 192 suspicatus est. nulla enim subest causa.

Saturnini morte a. 56/809). *VI 84—91* (Nobis [de Taprobane] diligentior notitia contigit legatis etiam ex ea insula aduectis. id accidit hoc modo: et q. s.); *181 sq.* (de Syene: certe solitudines nuper renuntiauere principi Neroni missi ab eo milites praetoriani cum tribuno ad explorandum, inter reliqua bella et Aethiopicum cogitanti et q. s.); *184* item de Syene: (Neronis exploratores renuntiauere his modis et q. s.). *VIII 160* (De equorum ingeniis: Claudi Caesaris saecularium ludorum circensibus). *IX 9* ('Tiberio principi nuntiauit Olisiponensium legatio' de monstris marinis); *14* (De orca in ostio Tiberino uisa); *117* (Lolliam Paulinam, quae fuit Gai principis matrona, — uidi zmaragdis margaritisque opertam et q. s.). *X 5* (adlatus est [phoenix] et in urbem Claudi principis censura, anno urbis DCCC, et in comitio propositus, quod actis testatum est, sed quem falsum esse nemo dubitaret); *124* (nunc quoque erat in urbe Roma haec prodente me equitis Romani cornix e Baetica primum colore mira admodum nigro, deinde plura contexta uerba exprimens et alia atque alia crebro addiscens). *XI 144* (Claudio Caesari ab angulis candore carnoso sanguineis uenis subinde subfusi [oculi], Gaio principi rigentes, Neroni et q. s. uiginti gladiatorum paria in Gai principis ludo fuere, in iis duo omnino, qui contra comminationem aliquam non coniuerent, et ob id inuicti). *XIII 22* (Vidimus etiam uestigia pedum tingui, quod monstrasse M. Othonem Neroni principi ferebant. — nec non aliquem ex priuatis audimus iussisse spargi parietes balnearum unguento atque Gaium principem solia temperari ac, ne principale uideatur hoc bonum, et postea quendam e seruis Neronis). *XIV 145* (Eaque commendatione credidere L. Pisonem urbis curae ab eo [Tiberio] delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam principem. nec alio magis Drusus Caesar regenerasse patrem Tiberium ferebatur. *XV 47* (S. Papinius, quem consulem uidimus, primus utraque [zizipha et tubures] attulit diui Augusti nouissimis temporibus); *83* (omnia haec [cottana et caricas] in Albense rus e Syria intulit L. Vitellius, qui postea censor fuit, cum legatus in ea prouincia esset, nouissimis Tiberi Caesaris temporibus); *135—137* (Tiberium principem tonante caelo coronari ea [lauro] solitum ferunt contra fulminum metus. sunt et circa diuom Augustum euenta eius digna memoratu. namque et q. s.). *XVI 2—4* (sunt uero et in septentrione uisae nobis Chaucorum qui maiores minoresque appellantur et q. s. de eorum uita). *XVII 5* (de lotis: durauerunt — ad Neronis principis incendia, quibus cremauit urbem, annis CLXXX postea cultu uirides iuuenesque). *XVIII 94 sq.* (misit ex eo loco [Byzacio Africae campo] diuo Augusto procurator eius ex uno grano [tritici] CCCC paucis minus germina, exstantque de ea re epistulae. misit et Neroni similiter CCCLX stipulas ex uno grano). *XIX 24* (Vela nuper et colore caeli, stellata, per rudentis iere etiam in amphitheatris principis Neronis). *XXXIII 32 sq.* (Tiberii demum principatu nono anno in unitatem uenit equester ordo et q. s.); *63* (De Agrippinae indumento, *uid. p.* CLVIII). *XXXV 200 sqq.* (de honoribus libertinis sub Claudio habitis). *XXXVI 122* (De aqua Claudia emissoque lacu Fucino); *163* (Nerone principe in Cappadocia repertus est — phengites. — hoc construxerat aedem Fortunae, quam Seiani appellant, et q. s.). *XXXVII 50* (Domitius Nero in ceteris

uitae suae portentis capillos quoque Poppaeae coniugis suae in hoc nomen [sucinorum] adoptauerat et q. s.); *118* Magnitudine XVI unciarum uidimus formatam inde [iaspide] effigiem Neronis thoracatam).

FABIVS RVSTICVS[1])

Cognitio eius historiae soli debetur Tacito in uita Agricolae *(c. 10)* ut Liuium ueterum, sic hunc recentium auctorum eloquentissimum (a. igitur 98/851) praedicanti tribusque annalium locis citanti. ipse tamen anno fere 108 inter heredes a Dasumio enumeratur idque cum (Plinio) Secundo et Cornelio (Tacito) *(C. I. L. VI 10229 = Wilmanns 314)*, ut eum in societate eorum fuisse appareat, qui nobis Plinii epistulis noti sunt, et ad eundem incerto tempore (inter a. 96—109, *u. Roem. Brief p. 108 sq.)* eius epistulam missam esse, ut ad amicum, qui non quemadmodum ipse in multis litterarum generibus uersatus esset sed in uno omnem operam posuisset. cum tamen Tacitus eum etiam amicitia Senecae floruisse dicat *(13, 20)*[2]), eum a. fere 30/783 natum paene ad octogesimum peruenisse concludimus. historiam autem iam multo ante composuerat, i. e. inter annos 74/827 et 83/836, si quidem nondum Britanniam insulam esse cognouerat, i. e. ante 83 uel 84, quo primum a classe Romana circumuecta est *(Agric. 10. 25. 38. Fabia p. 380)*, inque dialogo *(c. 23)* Tacitus M. Aprum tamquam principes recentioris historiae a. 74/827 non Fabium Rusticum, quem in Agricola a. 98, sed Aufidium Bassum et Seruilium Nonianum laudantem fecit. quae autem res ex ea relatae sunt, imperio Neronis continentur, qua de causa, cum Britanniae non solum a Claudio sed etiam a Nerone bellum illatum esset, hac occasione eius situm descriptum esse Groag *p. 789* et Fabia *p. 381. 211* arbitrati sunt. sed postea huc redibimus, nunc, ut plura eruamus, altius res a Taciti prooemiis repetenda est.

Nam initio annalium recte tres aetates memoriae Romanae distinguit, libertatis rei p., imperii Augusti, denique Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis, ut, cum prima claris scriptoribus memorata sit, alteri non defuerint decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur, contra tertia aut ob metum falso aut

---

1) Libros qui huc pertinent, supra p. CXXXXVI sq. enumeraui.

2) Eos etiam conterraneos fuisse Groag p. 790 coniecit saepe in titulis Hispanis Rustici nomen reperiri admonens.

recentibus odiis composita sit, sibi ut ira aut studio uacuo tertiae tradendae necessitatem quasi impositam esse ratiocinetur. simillimum est prooemium historiarum, nisi quod hiat lacuna. nam res usque ad a. 68/821, gestas a multis auctoribus relatas esse exponit, libertatis (primae aetatis) pari eloquentia ac libertate, imperatorum (i. e. alterius et tertiae), cum magna ingenia cessissent, ueritate infracta cum inscitia rei p. tum assentatione aut odio, at se, cum Galba, Otho, Vitellius nec beneficio nec iniuria sibi cogniti sint dignitasque sua a Flauiis adiuta, ambitionem autem facile quis auersetur, obtrectationis nullam causam habere; itaque se, qui incorruptam fidem profiteatur, neque cum amore quemquam et sine odio dicere posse, principatum autem Neruae ac Traiani senectuti seposuisse. quae si perlustraueris, causam desiderabis, cur Tacitus non cum Augusto sed cum kalendis a. 69/822 scribendi initium fecerit. scitissime igitur O. Seeck *(m. Rh. 56 p. 227—232)*, historias, edentem eum aliud opus, quo res Iuliorum et Claudiorum usque ad exeuntem a. 68/821 iam sine ira et studio scriptae esse uiderentur, non solum in manibus habuisse, sed etiam continuasse[1]) coniecit, tum uero, cum annales cum historiis uno opere coniungeret, ne ipse secum pugnaret, eius mentionem expulisse. numerum autem eorum scriptorum, de quibus cogitari posset, eis nominibus contineri, quae in annalibus XIII 20 ut locupletissimorum auctorum protulisset, Fabii Rustici, Plinii, Cluuii. atqui Plinium ultra illas kalendas in historiis progressum esse constare, uideri etiam Cluuium *(u. p. CLXVI)*, restare igitur Fabium Rusticum. sed etiam certa argumenta habeo, quibus hic ipse commendetur. nam causam, cum Tacitus annales incoharet, defecisse necesse est, qua duodecim fere annis ante, ut illud opus continuaret, impulsus esset, quae de Cluuio aut Plinio nulla inueniri potuit, potest de Fabio, qui a. 108 uel 109 etiam uiuebat et unus ex Plinii amicis, tum autem admodum senex erat, ut diu eum uitam propagasse parum sit ueri simile, ad eius autem mortui historiam Tacitus redintegrandam incolumi pietate ut accederet facile a se impetrare potuerit, praesertim cum ille crimine odii, certe de Nerone, non careret *(u. fr. 2)*. contra talis causa Cluuio deest. nam ut eius historias intra Neronis imperium substitisse nunc ponamus, facundia eius non clara fuit, quae si fuisset, Apro in dialogo a. 74/827 prae Aufidio Basso

1) Hoc iam Nissen m. Rh. 36 p. 498 perspexit.

uel Seruilio Noniano uel cum eis nominandus fuit; claritatem autem operis eum spectasse qui continuaret consentaneum est, omniumque recentium auctorum eloquentissimum a. 98/851 ab ipso Tacito Fabium Rusticum praedicatum esse supra uidimus.

Verum tamen Fabia *(p. 400 sq.)* et Gercke *(p. 262)* haud ita magni Fabium a Tacito aestimatum atque Cluuio Plinioque in annalibus posthabitum esse arbitrati sunt. at id ipsum, quod huic opinioni fauere uidetur, rectius pro eius auctoritate explicandum est. nimirum quod in annalibus non ante XIII 20 eum nominauit eiusque inclinationem ad Senecae laudes reprehendit, usque ad hunc locum inoffensus eum secutus etiam Burrum a praefectura praetorii demouere Neronem destinauisse narrauerat, cum apud Plinium et Cluuium, quos comparabat *(u. s. p. CLVI sqq.)*, praefecti in ea causa mentionem non esse factam inuenit (sic recte Nipperdeius interpretatus est) et hanc occasionem, qua primum illa inclinatio apparebat, arripuit, ut rationem, qua fontibus usus esset, exponeret et defenderet. certe Fabium a Tacito non esse sepositum etiam Gercke *p. 267 sqq.* concedit, ubi non solum mortem Senecae secundum eum narratam esse *(15, 60—65)* demonstrat sed etiam alias quasdam res cum ea narratione cohaerentes, uelut 15, 45 uenenum iam a. 64/817 Senecae paratum 'tradidisse quosdam', aut 15, 23 de periculis Thraseae gliscentibus 'adnotatum esse', atque de colloquio Senecae (Fabii amici) et Neronis 'ferri'.

Neque tamen me fugit probabiliora haec mihi uideri quam quae adhuc prolata sunt, non certa. sed qui assensus erit, etiam initium operis Fabiani erutum esse dicet. nam si Tacitus manum ab historia rerum post pugnam Actiacam usque ad kalendas a. 69/822 gestarum, quod Fabius Rusticus eam occupasset, se abstinuisse in prooemio historiarum professus est, hunc ab illa pugna profectum esse sequitur neque quidquam obstare, quominus iam ante Neronis imperium eum a Tacito adhibitum esse censeamus. neminem quidem rerum scriptorem usque ad XIII 20 in annalibus praeter Plinium 'Germanicorum bellorum scriptorem' *(1, 69)*, tum singulis locis Tiberii orationes et litteras *(1, 81. 6, 6)*, acta diurna *(3, 3)*, commentarios Agrippinae filiae *(4, 53)* nominatos esse constat.

Praeter Tacitum unum Fabii indicium apud Suetonium habemus *(uid. adn. ad fr. 2)*, unde Macé *(Essai sur Suetone p. 368)* ex hoc fonte Tacitum uitam Neronis hausisse confidentius quam probabilius statuit. sed iam ante eum Fabium si non nominasse

tamen intellexisse multis uisus est Quintilianus, qui X 1, 104, ubi genera historiae perlustrat lectioni oratorum commendans Sallustium, Liuium, Seruilium Nonianum, Bassum Aufidium addit: *Superest adhuc et exornat aetatis nostrae gloriam uir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intellegitur.* in quo conspectu non habebat cur Plinium et Cluuium omitteret, si historiam eorum admiratus esset; nam mortui erant; uixisse etiam illum necesse est, quoniam Quintilianus neminem uiuentium praeter Domitianum nominauit, atque iam inter illustres, quos solos enumerauit, ut Tacitus, ad quem eius discipulum nos diuinando facile deferimur, cum tum nondum opus historicum ediderit, excludatur. relinquitur igitur inter eos, quorum nomina ad nos peruenerunt, solus Fabius Rusticus, nec impedit, quod Senecae amicitia floruerat; quem etsi Quintilianus ex manibus adulescentium excutere conabatur, tamen eius ingenium admirabatur *(§ 125 sqq.)*, neque ueri simile est aut Fabium illius genus dicendi imitatum esse ut ab historiae dignitate omnino abhorrens aut Quintilianum huius aequalis laudem, qua tum inter eius discipulos Plinium minorem et Tacitum utebatur, silentio transisse.

M. CLVVIVS RVFVS[1]

Historiae Cluuianae memoria a solis Tacito, Plinio, Plutarcho tradita est, ipsius etiam a Iosepho et a Cassio Dione. nam in uita publica multorum oculos in se traxit, a Nerone quasi alter 'arbiter elegantiarum' et praeco, cum Romae apud populum *(Suet. Ner. 21)* et in Graecia (a. 66/819 et inseq., *Dio 63, 14, 3)* cantaret, adhibitus. fuit autem iam a. 41/794 consularis (annus consulatus non constat), si Iosepho credimus, eum in ludis de imminente Gai nece a Vatinio praetorio certiorem factum uersum Homeri respondisse narranti.[2]) sub Claudio nobis latet, sub Nerone eloquentia claruit (neque tamen hac uirtute aut diuitiis, ut aliis

1) De libris qui huc pertinent u. p. cxxxxvi sq..

2) *Antiq. 19, 1, 13* [*a. 41/794*] *Συγκαθημένης δὴ τῆς πληθύος καὶ τοῦ Χαιρέου σὺν τοῖς χιλιάρχαις οὐκ ἄπωθεν τοῦ Γαΐου — Οὐατίνιός τις τῶν συγκλητικῶν, ἀνὴρ ἐστρατηγηκώς, ἤρετο Κλούουιον παρεζόμενον αὐτῷ, καὶ τοῦτον ὑπατικόν, εἴ τις αὐτῷ νεωτέρων πραγμάτων ἀφίκοιτο πύστις. — τοῦ δὲ φαμένου μηδὲν πεπύσθαι, 'σήμερον τοιγαροῦν' ἔφη, 'ὦ Κλούουιε, τυραννοκτονίας ἀγὼν πρόκειται'. καὶ ὁ Κλούουιος 'ὦ γενναῖε' φησι, 'σίγα, μή τις ἄλλος Ἀχαιῶν μῦθον ἀκούσῃ'.*

periculum facesseret, abusus est, *Tac. hist. IV 43*) 'bellisque inexpertus fuit' cum a Nerone, ut Galbae succederet, Hispaniae (Tarraconensi) praeficeretur *(hist. I 8)*; tum pacis artium promendarum, quas Tacitus laudat *(l. s.)*, occasiones nanctus est; nam a Galba non remotus milites in Othonem iurare uel iussit uel passus ab eo laudatus est per edictum, tum uero desciuit ad Vitellium atque ut suspiciones de fide sua excitatas disiceret, eum in Italiam iter facientem prope Lugdunum assecutus honorifice receptus et comitatui principis adiectus est atque colloquio Romae in templo Apollinis mense Decembri medio inter Flauium Sabinum et Vitellium 'de pace ponendisque per condiciones armis' habito alter testis interfuit *(hist. II 58 sq.; 65. III 65)*. sed ne haec quidem amicitia ei perniciei fuit; nam etsi Mucianus citeriorem Hispaniam ut 'discessu eius uacuam'[1]) Antonio promisit *(hist. IV 39)*, tamen incolumis Romae mansit, in consuetudinem Verginii Rufi receptus et uitae priuatae, quam magis adamabat quam publicam, deditus. quo tamen anno mortuus sit ignoramus. sed cum Verginius Rufus (qui post Othonis mortem Romam rediit et a. 97/850 mortuus est) 'aliquando' cum eo de historiis, priusquam editae essent, se collocutum esse coram Plinio rettulerit *(ep. 9, 19, 5)*, idemque, ut Plinius *(2, 1, 2)* scripsit, 'triginta annis gloriae suae superuixerit, legerit scripta de se carmina, legerit historias et posteritati suae interfuerit', quoniam illum de Cluuii historiis cogitasse ueri simile est, eum et ultra initium imperii Vespasiani, cum tranquillitas restituta esset, neque ut praesertim aetate admodum prouectum, ultra eius excessum uitam prorogasse sequitur.[2])

De fide historiarum, quas latina lingua scriptas esse et locus Plinii et mos inter nobiles Romanos uulgatus neque elegantia caruisse indoles ipsius docet, quamquam ex uita eius desultoria haud ita aequum iudicium sumimus, tamen ne Neroni quidem eum omnino se obstrinxisse etiam Heluidius Priscus apud senatum professus est; itaque libertatem quandam et constantiam etiam sub tyrannide seruauit, ut salua sua dignitate ab alio ad alium imperatorem transire potuerit atque Verginium interrogare: 'Scis,

---

1) Coniectura Nipperdeii '*decessu*' *(Opusc. p. 217 sq.)* ab omnibus recte spreta est.

2) Num iam sub Nerone maiorem operis partem composuerit, ut Gercke p. 256 uoluit (cf. p. 253), an paulo ante excessum Vespasiani, ut Groag l. s. p. 776, ap. Pauly-Wiss. IV 128, in medio relinquo.

Vergini, quae historiae fides debeatur: proinde, si quid in historiis meis legis aliter ac uelis, rogo ignoscas' *(Plin. 9, 19, 5).* multa sane is fecerat, de quibus ambigi posset, maxime in Gallia, cum etiam Tacitus et Plutarchus, num Iulius Vindex a Verginii militibus caesus esset an se ipse interfecisset, inter se dissentirent et ille ipse dubitaret an Verginius imperare uoluisset *(hist. I 8. u. Paul m. Rhen. 54 p. 611 sqq.).* ipse sepulcro suo inscribi uoluit se pulso Vindice imperium non sibi sed patriae adseruisse *(Plin. 6, 10. 9, 19, 1).* qua re quod Cluuio respondit 'Tune ignoras, Cluui, ideo me fecisse quod feci, ut esset liberum uobis scribere quae libuisset?', credi uoluisse uidetur, quod Dio *63, 25, 3* prodidit, se imperium a militibus sibi oblatum repudiasse, quod non exercitus sed senatus populique Romani esse arbitraretur imperatores facere, libertatem autem sentiendi scribendique quae quisque uellet, a Vespasiano restitutam esse. etiam Plinius maior fautor Flauiorum in historia naturali *20, 160* eum 'adsertorem a Nerone libertatis' dicit.[1]) neque uero a probabilitate abhorret Cluuium cum in uita auream mediocritatem tum in historia tenuisse atque Neronem a ceteris scriptoribus infamatum aliqua ex parte defendisse, incestus certe crimen ab eo ad Agrippinam uertit *(fr. 2)* Senecaeque laudi non indulsit *(fr. 1)* et forsitan etiam fr. 3 eodem pertineat. ceterum, quae erat Cluuii fortuna, facultatem multa uidendi et cognoscendi habuit et, si recte eius indolem perspeximus, frigido animo examinandi.

Vsi autem sunt eius historiis (haec enim inscriptio fuit, *Plin. l. s.*) Tacitus in imperio Neronis enarranda *(fr. 1. 2),* ut hinc seueritatem Plinii Fabiique temperaret[2]), tum is auctor, quo hic atque Suetonius Plutarchusque *(fr. 3),* in rebus annorum 69 et 70 enarrandis *(u. s. p. CLII et adn. ad fr. 3)*[3]), atque etiam, quod Mommseno *p. 320,* Gutschmidio *Opusc. IV 351,* Groagio *ap. Pauly-Wiss. IV c. 123* uisum est, Iosephus, ut in antiquitatibus Iud. (anno 93/846 ad finem perductis) XIX c. 1—4 necem Gai Clau-

1) Gercke p. 289 sqq. Cluuium Flauiis in historia sua aduersatum esse demonstrasse sibi uisus est, mihi tamen eius expositio admodum incerta est.

2) Primum locum ei adsignauit Fabia p. 402 sqq., inferiorem Gercke p. 280 sqq. V. s. p. CLVII sqq.

3) Non est cur separatim Cluuium de rebus scaenicis egisse coniciamus (Groag p. 124 sq.), quoniam haec occasio frequens ei data erat in Neronis memoria, praesertim in eis multum uersato.

diique successionem describeret. nam haec multo maior copia rerum cum narratione ceterarum rerum ab imperatoribus gestarum, quae ad Iudaeos non pertineant, discrepat, Cluuii autem ipsius mentio, quae ipsa per se nihil ualet, non uideo qua ratione explicari possit, nisi ex eius historiis repetita est, pluraque in ea parte Iosephus quam solet Romana ratione de re publica constituenda declamat.

Quae si recte disputata sunt, Cluuii historiae minimum usque ad Gai necem ascenderunt, fortasse etiam ulterius usque ad finem alius scriptoris, nescio cuius. tum uero non substiterunt intra uitam Neronis, ut Fabia *p. 176. 378* arbitratus est, sed quod ex prece illa ueniae discimus, res usque ad Verginii partes transactas (i. e. ad Othonis mortem) deduxerunt (quare non est necesse fr. 3 ex Neronis memoria excerptum esse opinari), fortasse etiam usque ad initium imperii Vespasiani, quo libertas illa Verginiana condita est[1]), nisi obstat quod Tacitus de colloquio illo Flauii Sabini et Vitellii non certam auctoritatem Cluuii, qua potuit, si ille, quoniam interfuit, memorasset, sed famam sequi dicit *(hist. III 65. u. Fabia p. 176. 179. Groag p. 776)*. sed num ipsum in historiis scribendis ante oculos habuerit, dubitationem restare supra *(p. CLII)* uidimus. etiam de Suetonio, cuius fontem in uita Neronis eum fuisse Schiller *(Nero p. 23 sqq.)* censet, iudicium cohibeo.

VIPSTANVS MESSALLA[2])

Etiam huius memoria angusta est, cum unius Taciti libris contineatur. hic autem iuuenili ardore, quo adulescens minor maiorem suspicere solet, incensus eum et in dialogo et in historiis persecutus est. nam 'nondum quaestoria aetate' tribunus septimam Claudianam legionem exercitus Antonii Primi contra Vitellianos duxit *(hist. III 9. IV 42)*, unde paulo post a. 45/798 eum natum esse discimus. pluribus eius indolem depinxit in dialogo, cum eum causas exponentem fecit, cur sua aetas tantum ab eloquentia antiquorum deflexisset. totus enim est in his admirandis et laudandis, quorum exemplum secutus et adulescens, quemad-

1) Usque ad mortem Vitellii uidetur Mommseno p. 320 et Nipperdeio praef. Tac. p. 27.

2) Vid. Nissen m. Rhen. 26 p. 529. 536. Fabia p. 231 sqq. Groag p. 785 sqq.

modum Crassus uel Cicero in libris de oratore uult, in iure publico et priuato et in philosophia cognoscenda adsidue uersatus erat, et in uita libertatem absolutam exercuit, qua cum suorum temporum studia inridere atque contemnere non uereretur, multorum animos offendere solebat, qui ineptiis eum fauere exprobrantes ulciscebantur *(c. 32)*. breuius sed non minus honorifice Tacitus in historiis eum loquitur claris maioribus egregiumque ipsum fuisse atque solum ad bellum Vespasiani et Vitellii bonas artes attulisse *(III 9)* eundemque Romae initio a. 70/823 pro fratre (uterino) M. Aquilio Regulo propter delationes male audiente in senatu ausum deprecari pietatis eloquentiaeque famam adeptum esse *(IV 42)*.

Sed Messalla a. 74/827, quo Tacitus colloquium habitum esse finxit, nondum historias scripsisse uidetur, neque enim eas commemorare omisisset; cum tamen dialogum componeret a. 80/833, ut aliis, post Domitianum occisum, ut aliis uisum est, iam mortuus erat. nam hoc eius ars praescribebat, ne quis eorum qui uiuerent, introduceretur *(Cic. ad Att. 13, 19, 3 sq. u. s. p. VIII sq.)*. quod temporis spatium ille liber conplexus sit, non potest diiudicari nec quae forma fuerit, utrum historiarum an commentariorum an libelli (sic Nissen *p. 529*), neque ex ea causa, quod Tacitus eum nisi in rebus a. 69/822 narrandis non laudauit, quidquam concludi potest. indignatio autem, qua suae aetatis corruptionem Tacitus eum in dialogo insectantem fecit, etiam ex fr. 1 elucet, quam ob rem eundem dictum esse censeo III c. 51, ubi 'celeberrimos auctores' secutus narrat 'tantam uictoribus aduersus fas nefasque inreuerentiam fuisse, ut gregarius eques occisum a se proxima acie fratrem professus praemium a ducibus petierit', tum Sisennam citat, denique hanc fabulam ita quasi excusat: 'sed haec aliaque ex uetere memoria petita, quotiens res locusque exempla recti aut solatia mali poscet, haud absurde memorabimus.' Etiam libertas, si sub Vespasiano librum edidit, inde conspicitur, quod Hormum, eius libertum, kalendis Ianuariis a. 70/823 in ordinem equestrem receptum, atrocitatis Cremonae urbis deletae aperte arguere non est ueritus *(fr. 2)*, qua ira etiam Tacitus incensus est *(III 12)*, a quo ipsum Messallae amici librum nisi ad supplendum perpaucis locis Plinium non adhibitum esse frustra Fabia *p. 234 sqq.* demonstrare conatus est.

IVLIVS SECVNDVS

Aequalis hic fuit Quintiliani (nati 35/788), familiariter ab eo amatus et in institutione oratoria post mortem (i. e. ante a. 90/843) propter miram facundiam laudatus, ita tamen, ut in uerbis eligendis nimiam curam consumeret; haec enim de eo iudicat in instit. 10, 1, 120: *Iulio Secundo, si longior contigisset aetas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret: adiecisset enim atque adiciebat ceteris uirtutibus suis quod desiderari potest, id est autem, ut esset multo magis pugnax et saepius ad curam rerum ab elocutione respiceret. ceterum interceptus quoque magnum sibi uindicat locum: ea est facundia, tanta in explicando quod uelit gratia, tam candidum et lene et speciosum dicendi genus, tanta uerborum etiam quae adsumpta sunt proprietas, tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia (cf. c. 3, 12. 12, 10, 11).* itaque quod et hic et M. Aper ut 'celeberrima tum (i. e. a. 74/827) ingenia fori' a Tacito, eorum auditore et discipulo, in dialogo *(c. 2)* in similitudinem L. Crassi et M. Antonii, quales sunt in Ciceronis libris de oratore, efficti et introducti sunt, ita eos causam distribuisse probabile est, ut post defensionem suae aetatis ex historia ab Apro repetitam Secundus de elocutione disputaret; nam ipsum eius sermonem intercidisse constat. omnia igitur eo ducunt, ut cum Ottone Hirschfeld *(Friedlaender Sittengesch. I^5 p. 162)* eundem Othoni ab epistulis fuisse censeamus, ad quod munus propter elegantiam elocutionis praecipue idoneus erat ut etiam ad disputandum de hac arte in dialogo, eundemque Plutarcho, qui eum rhetorem dicit, uel eius auctori de Othonis ante pugnam Bedriacensem sollicitudine animi quaedam narrasse. quod tamen hic locum suum habet, non huic narrationi sed uitae Iulii Africani debet, quam ab eo scriptam esse Tacitus in dial. *c. 14* testis est, ubi Vipstanum Messallam laudantem facit, quod Secundus et Aper non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio sed eiusmodi etiam disputationibus se dedant, quae et ingenium alant et eruditionis ac litterarum iucundissimum oblectamentum afferant, tum ita pergentem *(c. 14): itaque hercle non minus probari uideo in te, Secunde, quod Iulii Africani uitam componendo spem hominibus fecisti plurium eius modi librorum quam in Apro et q. s.* ad hunc autem uirum Secundus eis causis deductus est, quod item e Gallia ut ipse *(dial. 10. 28)* originem ducebat eodemque

nomine gentili utebatur atque superiore aetate principatum eloquentiae cum Domitio Afro tenebat ut ipse cum M. Apro *(u. dial. 15. Quint. 10, 1, 118. Prosop. II p. 160 n. 80)*. scite igitur Africanum Nipperdeius in op. p. 284 sq. pro Asiatico, quae est librorum scriptura, substituit.

C. VIBIVS MAXIMVS[1]

Fuit hic eques Romanus amicus et Papinii Statii, qui eum 'et dignitatis et eloquentiae' nomine dilexit et priusquam ederet, Thebaidem cum epistula ad eum misit *(silu. IV* [ed. a. 95/848] *praef.; 7, 25)*, et Valerii Martialis, qui ad eum carmina quaedam misit *(XI* [ed. m. Dec. a. 96/849] *106, fortasse etiam I* [ed. 85/86] *7)*, denique Plinii minoris, qui III 2 (a. 101) ab eo pro amico rem 'splendidam nec molestam' petiit. atque dignitas quidem eius (praefecturae in Syria, cohortis tertiae Alpinorum in Delmatia a. 93/846, Aegypti a. 104) partim ex Statio partim ex lapidibus papyrisque constat *(Prosop. III p. 423 n. 389)*, eloquentia ex fauore, quo homines doctos adiuuit, et ex libro, quo 'omne mundi senium remensus orsa Sallusti et Timaui reddit alumnum', ut Statius *silu. IV 7, 54 sqq.* praedicat, ut filius modo natus ante militiam inde artes patris discat suadens, quod studium Liuium in epitomen redigendi tum uulgatum fuisse ex Martialis epigrammate XIV 190 constat.[2]

---

1) Nomen apud Statium uel in *Vinium* uel in *Viuium* corruptum restituit Nohl Herm. 12 p. 517.

2) In adnotatione satis erit nominasse Canium Rufum Gaditanum, quem ut egregium fabulatorem laudat Martialis amicus III 64, 6 et semper ridentem omnia genera poesis tractare posse opinatur (III 20, ex a. 87/88) etiam interrogans: *Vtrumne chartis tradit ille uicturis Legenda temporum acta Claudianorum? An quae Neroni falsus astruit scriptor?* (recte interpretatus est W. Gilbert Fleckeis. 135 p. 144; u. Gesch. Litt. I 319). utrum tamen uere in historiis scribendis uersatus an uersibus dicacibus in Neronem inuectus sit Claudii res persecutus omnino dubium est.

VITARVM SCRIPTORES[1])

IVNIVS ARVLENVS RVSTICVS. HERENNIVS SENECIO. C. FANNIVS. CN. OCTAVIVS TITINIVS CAPITO. C. PLINIVS CAECILIVS. TI. CLAVDIVS POLLIO

Quos hic coniunxi, 'quasi funebres laudationes seras quidem sed tanto magis ueras' scripsisse Plinius iudicat, ut 'inter sermonem historiamque medii' essent *(8, 12, 5. 5, 5, 3).* nam Catonis Vticensis laudationes spectantes id agebant, ut uirorum pro re publica imperatorum iussu mortuorum memoriam restituerent et artem suam gloriose de honesto et turpi declamandi ostentarent. memoria tamen omnium, ut propter litterarum genus par fuit, non ultra aequalium aetatem mansit, praeter unam Taciti uitam Iulii Agricolae, qui id cumulauit.

Initium fecerant post P. Anteium *(u. p. cxxxi)* Iunius Arulenus Rusticus *(Prosop. II p. 233 n. 471)* et Herennius Senecio *(Pros. II p. 138 n. 92),* quorum ille a. 66/819 tribunus plebis, a. 69/822 praetor, fortasse a. 92/845 consul suffectus, ab adulescentia cupiditate laudis flagrabat, qua incensus senatus consulto de Thrasea Paeto condemnando se intercessurum esse professus uix ab eo retentus est *(Tac. ann. 16, 26)* et cum omnino philosophiae stoicaeque maxime sectae studiosus Plutarchum Romae docentem audiuit *(de curios. 15),* ut Plinio summae admirationi esset, ab inimicis autem stoicorum simia appellaretur *(Plin. ep. 1, 5, 2),* tum Thraseae uitam scripsit, propter quam a Domitiano nescio qua de causa irato, a. 94/847 in ius uocatus et occisus atque etiam libris crematis post mortem a. M. Aquilio Regulo libello publicato infamatus irrisusque est.[2])

Eandem eodemque anno cum eo sortem, etiam insectationis

---

1) V. de hoc librorum uel libellorum genere *Geschichtl. Litteratur I p. 184 sqq.*

2) Tac. Agric. 2 *Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Heluidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores sed in libros quoque eorum saeuitum delegato triumuiris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur.* cf. Plin. ep. l. s. s. 3, 11, 3. 5, 1, 8. — Suetonius, quod ab eo etiam Heluidii Prisci uitam scriptam esse tradidit, errauit, uid. adn. ad fr. 1. — Titulus Orellianus, quem in testimoniis (n. 3) in Fragm. p. 318 posui, ficticius est.

Aquilii perpessus est Herennius Senecio, ex Baetica oriundus, ubi etiam quaestura functus est, propter uitam Heluidii Prisci, item philosophi stoici Thraseaeque generi, qui post uariam fortunam primum a Nerone, deinde a Vespasiano propter libertatem Roma pulsus et ab hoc interfectus erat *(Prosop. II p. 129 n. 37)*.[1]) florebat autem in urbe laude eloquentiae, cum eam scripsit a Fannia, uxore Heluidii filiaque Thraseae et Arriae minoris, rogatus commentariisque adiutus, accusatusque est a Mettio Caro delatore. fragmenta tamen eius desunt, etsi Fannia eam cum exilii periculo seruauit *(Plin. ep. 7, 19, 5)*, Marciae filiae Cremutii Cordi exemplum secuta *(u. s. p. CXIIII sq.)*.

Maxime hoc litterarum genus Traiani aetate inter eos oratores doctosque homines uiguit, in quorum consuetudinem moresque Plinii epistulis introducimur. etiam omnium 'occisorum aut relegatorum a Nerone' conplecti coeperat C. Fannius, causarum actor a Plinio ut elegans et disertus, acutus natura, usu exercitatus, ueritate promptissimus laudatus, cuius memoriam post mortem (inter annos 105 et 108) epistula V 5 prosecutus est, ceterum ignotus. primo libro de sceleribus Neronis egerat atque hunc duosque ediderat, qui frequenter lectitabantur, cum quominus 'reliquos' perficeret, morte inpeditus est, id quod Plinium, cum 'subtiles et diligentes et latini' essent, graui dolore confudit *(l. s.)*.

Eandem materiam, 'exitus inlustrium uirorum, in his quorundam sibi carissimorum' tractandam suscepisse idem Plinius testis est in ep. 12 libri VIII Cn. Octauium Titinium Capitonem seque ad recitationem inuitatum esse. fuit hic, qui etiam in re militari operam praestitit, ab epistulis et Domitiano et Neruae et Traiano *(Prosop. II p. 429 n. 41)*, ut litterarum studiosum eum fuisse uel hinc appareat, sed eundem etiam alios eiusdem generis fouisse et prouexisse ex Plinio cognoscimus, qui eum non modo propter ingenium pulcherrimum et maximum inter praecipua saeculi ornamenta numerat sed etiam 'multorum, qui aliqua conponunt portum, sinum, gremium' appellat.

Hic etiam ipsum C. Plinium Caecilium Secundum *(Prosop. III p. 48 sqq. n. 370)* adhortatus erat, ut historiam scriberet, qui in eandem sententiam iam 'libros de ultione

1) Testimonia habes p. CLXXII in adn. 2., quibus adde Cass. Dionem 67, 13, 2 *'Απέκτεινεν* (Domitianus) — *καὶ 'Ερέννιον Σενεκίωνα*, *ὅτι τε οὐδεμίαν ἀρχὴν ἐν πολλῷ βίῳ μετὰ ταμιείαν ᾐτήκει καὶ ὅτι τοῦ Πρίσκου τοῦ 'Ελουιδίου τὸν βίον συνέγραψεν.*

Heluidii Prisci' (iunioris, anno 93 occisi) ediderat, quibus orationem Domitiano trucidato contra Publicium Certum illius accusatorem in senatu habitam auxerat et retractauerat, ita tamen ut singuli libri ea epistula, qua de eis egit *(9, 13)*, non minores essent (i. e. 114 uersibus ed. Keil. mai.), atque etiam de Vestricio Cottio, filio Vestricii Spurinnae et Cottiae intra adulescentiam mortuo, ut patri amico satisfaceret, libellum composuit et recitauit *(3, 10)*. grauius tamen munus, etsi historiae esse putabat laudibus summos uiros persequi, *ep. V 8* excusauit *(cf. Gesch. Litt. II p. 191 sq.)*, nec par fuisset.

Agmen claudat Ti. Claudius Pollio, commendatus a Plinio *7, 31* ut quondam commilito C. Iulio Cornuto Tertullo propter morum integritatem maximeque propter pietatem, qua de uita Annii Bassi, legati Vespasiani bello Iudaico consulisque a. 70 *(Prosop. I p. 63 n. 476)*, librum ediderit, quoniam studia quoque sicut alias bonas artes ueneratus esset *(Prosop. I p. 392 n. 703)*. quamquam num saeuitiam Domitiani expertus sit dubium est.[1])

POMPEIVS PLANTA

Hic sub Vespasiano procurator Lyciae et Pamphyliae fuit *(Prosop. III n. 70 n. 483)*, sub Traiano, qui eum amicum dixit, a. 98/851 praefectus Aegypti *(Trai. ad Plin. 7)*. Bellum Othonis et Vitellii ut a Tacito ab eo scriptum esse ex scholiasta Iuuenalis cognoscimus *(fr. 1)*, idque iam ante a. 111 ex Plinii epistulis, qui eo anno etiam ultimas composuit ediditque et IX 1, 1 modo eum mortuum esse memorat, qua de causa Vallae scholion Iuuenalis Pithoeano Sangallensique postponendum esse adparet *(u. adn. ad fr. 1)*. intercesserant autem inimicitiae inter hunc et Maximum quendam, qui 'quod libros uel pro se uel in Plantam, immo et pro se et in illum (ita enim materia cogebat)' iam 'multis legerat legendosque dederat', cum 'inimicus' mortuus esset, ut salua esset constantiae suae fama, a Plinio admonitus

1) In adnotatione mentio facienda est Attici, a Martiale 2, 7, 1 (a. 86/839) ut cum omnes res belle, tum 'bellas historias' facientis i. e. magni ardalionis irrisi. nomen enim eius est fictum neque ex poetae sermone adparet, quales esse historias uoluerit; fabulas ueri simile est. — M. Aquilium Regulum omisi, quia filius, cuius uitam scripserat, trimulus mortuus est.

est, ut quam maturissime emitteret *(9, 1, 1)*, atque, si fuit Nonius Maximus, ad quem Plinius IV 20 et V 5 *(Prosop. l. s.)* misit, multum in litteris uersatus etiam exitus illustrium uirorum 'cum amore, dolore et magnifico ingenio' scripsisse uidetur, unde forsitan illa controuersia exorta sit, uix de historia belli illius ciuilis uniuersa, de qua dumtaxat nisi in singulis rebus hominibusque describendis aestimandisque utrique Traiani amici et Plinius familiaresque et Pompeius Planta consentiebant.

POMPEIVS SATVRNINVS[1])

Descripsit eius studiorum uarietatem Plinius ep. I 16, qua eum Erucio (Claro) commendauit. nam et ueterum aemulus causas egit orationesque retractatas edidit et uersus Catullum Caluumque imitatus fecit et epistulas sub uxoris persona Plautino Terentianoque sermone conposuit *(Röm. Brief p. 173)* et historiam scripsit, de qua haec Plinius *(ep. 1, 16, 4): Idem tamen in historia magis satis faciet* [quam in orationibus] *uel breuitate uel luce uel suauitate uel splendore etiam et sublimitate narrandi. nam in contionibus idem qui in orationibus est, pressior tamen et circumscriptior et adductior.* idem fuit inter eos, quos dignos iudicabat honore scripta sua lima persequendi *(I 8; cf. VII 8)*, neque tamen quidquam praeterea ex epistula V 21 ad eum data neque num ep. VII 7. 15. IX 38 'Saturnino' alicui inscriptae ad eum pertineant, ex argumentis cognoscimus; is quidem Saturninus, a quo Plinius heres relictus est, alius fuit *(5, 7)*, fortasse consul suffectus a. 103 *(Prosop. l. s.)*.

SARDVS

De eius historia haec ad ipsum Plinius IX 31 scripsit: *Postquam a te recessi, non minus tecum, quam cum apud te fui. legi enim librum tuum, identidem repetens ea maxime (non enim mentiar), quae de me scripsisti, in quibus quidem percopiosus fuisti. quam multa, quam uaria, quam non eadem de eodem nec tamen diuersa dixisti! et q. s.* quocum testimonio Teuffel *Literaturgesch. p. 857* aliud coniunxit eiusdem libri ep. 27, in

1) Vid. Prosop. III p. 70 n. 491.

qua, ut 'quanta potestas, quanta dignitas, quanta maiestas, quantum denique numen esset historiae', doceret, a quodam 'uerissimum librum' recitatum esse narrat, partem autem eius in alium diem reseruatam, tum uero ab amicis 'cuiusdam' rogatum, ne reliqua recitaret, reliqua distulisse, cum sineret fides, librum tamen mansisse mansurumque esse.

IMPERATOR M. VLPIVS TRAIANVS

(natus a. 53. imperator 98—117.)

Traianus et cum Hadriano conparatus et cum litterarum studiis sub se florentibus propter doctrinam male audiebat.[1]) itaque Iulianus in Caesaribus *(l. s.)* cauillatur, quod L. Licinii Surae arte scribendi uti solitus sit, defunctoque eo Spartianus (*uit. Hadr. 3, 11*) orationes pro eo ab Hadriano dictatas esse memorat. neque tamen cura res suas posteritati prodendi caruit, nam praeter columnam in foro suo positam pluribus libris res a se in Dacia gestas persecutus est, admodum simpliciter et militariter, si ex uno fragmento nescio quo casu ad Priscianum delato coniecturam facere licet, fortasse etiam in eo munere a Sura adiutus, qui utrique bello Dacico legatus pro praetore interfuit atque cum Decebalo de pace egit *(Prosop. II p. 285 n. 174)*.

IMPERATOR P. AELIVS HADRIANVS[2])

(natus a. 76. imperator 117—138.)

Hadrianus cum omnino sedula anxietate aeternitati memoriae suae prouidit, tum, ut erat 'poematum et litterarum nimium studiosissimus' *(uit. 14, 8)*, et orationes, quas habuit, libris minimum

---

1) Cass. Dio 68, 7. Iulian. Caes. p. 327 a. Aur. Vict. epit. 13, 8. Vid. Gesch. Litter. I p. 90 sq.

2) L. Cantarelli *Gli scritti latini di Adriano imp.* Roma 1898. J. Plew *Quellenuntersuchungen zur Geschichte des Kaisers Hadrian.* Strassburg 1890. Cf. *Die Scriptores hist. Aug.* p. 122 sqq. *Gesch. Litter.* I p. 374 sq. De uita Spartiani: H. Jaenicke *De uitae Hadrianeae scriptoribus.* Diss. Hal. 1875. Aem. Perino *De fontibus uitarum Hadr. et Septimii Seueri imp. ab Aelio Spartiano scriptarum.* Diss. Heidelberg. 1880. J. Duerr *Die Reisen des Kaisers H.* (Wien 1881) p. 78 - 88. O. Schulz *Leben des Kaisers Hadr.* Leipzig 1904. E. Kornemann *Kaiser Hadrian.* Leipzig 1905.

duodecim collegit et edidit *(Charis. p. 222 K.)* et suam uitam ut Augustus principesque ueteris rei publicae scripsit[1]), cuius tamen libros non suo nomine eum publicasse Spartianus refert sed libertinorum litteratorum, ne ipse nimis famae celebris cupidus esse uideretur, 'nam et Phlegontis libri Hadriani esse dicuntur' *(uit. 16, 1. u. Gesch. Litt. I 375).* Hadrianus tamen ipse ut scriptor eius uitae et a Spartiano et a Cassio Dione citatur neque usquam unus ex eius libertis, ut illa fraus, si uere commissa est, breui detecta et correcta esse uideatur. sed siue alienum nomen inscriptum erat siue haec fabula ficta est, cupiditas gloriae, quae etiam plebem amplectebatur *(uit. 7, 6. 17, 8. Dio 69, 3, 2. Aur. Vict. epit. 14, 6),* iam antiquitate notata ex paucis fragmentis satis elucet *(Geschichtl. Litt. I p. 374 sq.).* nam fr. 1 originem familiae suae non ex Hispania, quae ueritas fuit, sed ex Italia repetit[2]), fr. 2 uinolentiae crimine Traianum insequitur[3]), fr. 3 omen imperii refert, fr. 4 se inuito senatores occisos esse, fr. 5 Antinoum casu interisse tradit, fr. 6 Titi laudi inuidet.[4])

Conscripti autem sunt libri (nam plures fuerunt, *uit. 1, 1. 16, 1*), postquam Hadrianus ex altero itinere Romam redux (i. e. anno 134) tranquillitati se dedit, ante morbum letalem a. 136 *(Plew p. 6 sq.),* idque, si indolem suam seruabat, cum magna curiositate *(Tertull. apol. 5)* latinoque, ut ueri simile est, sermone[5]), duraueruntque per aliquod temporis spatium; nam cum Septimius Seuerus Romam uenisset, 'hospitem nanctus est, qui Hadriani uitam imperatoriam eadem hora legeret, quod ille sibi omen futurae felicitatis arripuit' *(Spart. Seu. 1, 6),* paulo post eum Cassius Dio inspexisse uidetur *(fr. 5. 6),* denique Spartianum in

---

1) Etiam indicem rerum a se gestarum in Pantheo Atheniensi ab Hadriano inscriptum esse Wilamowitz Herm. 21 p. 623 coniecit.

2) Gesch. Litt. I p. 302. Quod Spartianus 1, 3 Hadrianum 'Romae' natum esse tradidit, ipse errauisse uidetur, G. Tropea *Studi sugli Scr. hist. Aug. VI.*

3) Cf. Eutrop. 8, 6: *qui* (Hadrianus) *Traiani gloriae inuidens.*

4) Consilio omisi, quae coniectura ad Hadriani uitam relata sunt, uelut quae de adoptione ipsius Traiani apud Spartianum exstant, uel quae de exemplis ex uetustate repetitis (cf. Wilcken Herm. 37 p. 84 sqq.), u. Kornemann l. s. p. 11 sqq. 41 sq.

5) Huc etiam P. de Winterfeld clausulis uitae Spartiani obseruatis deductus est, quae in partibus quibusdam ad uitam Hadriani redeuntibus deficerent (m. Rh. 57 p. 549—555), minus tamen feliciter ipsam imperatoris uitam a Spartiano transscriptam esse hinc conclusit.

priore suae uitae parte c. 1—14, 7 nescio quem auctorem in manibus habuisse, qui Hadriani uitam partim transcripsisset partim correxisset, '*Die Script. h. A.*' p. 121 sqq. pluribus exposui *(cf. Schulz, Das Leben Hadrians p. 1 sqq.)*[1])

IMPERATOR L. SEPTIMIVS SEVERVS

(natus a. 146, imperator 193—211.)

Hic Leptitanus studiorum philosophiae ac dicendi causa Romam, deinde Athenas petierat atque etiam doctrinae uacauerat, priusquam per militiae officia imperium arriperet, quod armis occupatum ut etiam litteris confirmaret, 'De uita sua' scripsit, quos libros propter fidem laudant Spartianus *(uit. 18, 6)* et Aurelius Victor *(Caes. 20, 22)*, hic etiam propter ornatum. atque huic quidem arti nolumus obtrectare, neque enim uerba ipsa ad nos peruenerunt, ut ne decernere quidem possimus, utra lingua usus sit; fides tamen admodum dubia est etiamque ab ipso Spartiano imminuitur, cum addit 'solum tamen uitium crudelitatis excusans', i. e. refellens *(Plew Quellenunters. p. 28 sq.)*, qua excusatione maxime opus fuit in debellandis Pescennio Nigro et Clodio Albino. itaque Cassius Dio huius mortem narrans *λέγω*, inquit, *οὐχ ὅσα ὁ Σεουῆρος ἔγραψεν ἀλλ' ὅσα ἀληθῶς ἐγένετο (75, 7, 3)*. sed mores quoque eorum grauissime insecutus est *(fr. 2. 3. 5. 6)* iusque suum etiam ominum multitudine stabiliuit *(fr. 1)*, idemque, ut 'in historia uitae priuatae' de priore uxore Marciana (hoc enim uerum nomen fuit, non Marcia) taceret *(uit. 3, 2)*, certa causa adductus est, nam haec ei filias pepererat, filios, quorum genere gloriabatur *(uid. Aelii Mauri fr.)* altera, Iulia Domna *(Gesch. Litt. I p. 375 sq.)*.

Plura de eius historia pro certo ponere non licet. neque enim fragmenta ultra uictos tyrannos pertinent, de qua quidem parte uitae posteriores scriptores maxime habebant, cur eam

---

1) *Apuleium in epitomis historiarum* Priscianus II p. 482 K. citauit (ex eisque '*Aeneanica gens*') eundemque '*in epitoma*' I p. 250 (*set cum sestertius dipondium semissem, quinarius quinquessis, denarius decussis ualebat*), unde Schanz III² p. 134 eum, qui metamorphoseis finxit, etiam in historia scribenda uersatum esse conclusit, sed malo haec fragmenta in fabularum romanensium numero ponere, a quibus usus u. 'historiarum' non abhorret (Gesch. Litt. II p. 204 sq.).

citarent et refutarent; uitam tamen suam ab origine usque ad id tempus, quo scriberet, eum deduxisse et per se ueri simile est et inscriptione confirmatur. in manibus autem fuit praeter Marium Maximum, per quem quinque fragmenta in tyrannorum uitas delata sunt, et Herodianum, cui unum debetur *(fr. 1)*, Cassio Dioni, qui postquam libellum de ominibus signisque imperii ad Seuerum misit, post mortem eius in historiis ad senatorias partes transiit *(Gesch. Litt. II p. 88)*, cum alii, quorum nomina obliuione deleta sunt, imperatoris res cum eius uitae libris concordantes explicarent; nam Herodianus pluribus contra quosdam scriptores et poetas declamat, qui contra ueritatem in Seueri gratiam res descripserint et spatia itinerum et orationes et omina imperii et pugnas militumque occisorum numerum enumerantes *(II 15, 6)*, eosque reprehendit, qui laude Clodii Albini uicti Aemilium Laetum spoliauerint *(III 7, 3 sq. uid. adn. ad Mar. Max. fr. 24)*.[1])

M. ANTONIVS GORDIANVS

(senior, natus 159, imperator 238.)

Hic postquam 'puerulus' uersibus faciendis Ciceronem, Vergilium, Statium aemulatus in laudem Antonini Pii et Marci 'Antoniniadem' composuit, 'uersibus disertissimis libris triginta uitam illorum et bella et publice priuatimque gesta perscribens' *(Gord. 3, 2)*, aetate, ut uidetur, prouectus 'scripsit laudes soluta oratione omnium Antoninorum, qui ante eum fuerunt' *(4, 7)*, quae opera utrum ex eorum ueneratione orta sint adulatoresque induxerint, ut Gordianos Antoninis insererent, cuius confusionis in historia Augusta multa indicia exstant, an iam ipse tale quid spectauerit, in incerto relinquo; neque enim huc pertinet *(Geschichtl. Litt. I p. 313 sqq.)*.

M. FABIVS

Quia Hyginum nihil compertum habemus nisi ante annum 207 astronomica composuisse[2]), etiam aetas M. Fabii, ad quem

1) In fragmentis adnexui Aelium Maurum Seueri libertum, de quo nihil praeter locum exscriptum accepimus.

2) Bursian in Fleckeiseni ann. 93 p. 767 sq. Schanz II[2] 1 p. 331 sqq.

eum librum misit, incerta est. sic autem eum alloquitur *(praef.): Hyginus M. Fabio plurimam salutem. Etsi te studio grammaticae artis inductum, non solum uersuum moderatione, quam pauci peruiderunt, sed historiarum quoque uarietate, qua scientia rerum perspicitur, praestare uideo, quae facilius etiam scriptis tuis perspici potest, desiderans potius scientem quam liberalem iudicem, tamen — hoc uelut rudimento scientiae nisus scripsi ad te, non ut imperito monstrans sed ut scientissimum commonens.* fuit igitur grammaticus et iam uersibus moderandis i. e. faciendis aut ad artem tractandis florebat, cum Hyginus adulescens illud rudimentum scientiae suae scribendum suscepit, qua de causa inter Gellios aliosque eius aetatis scriptores locum suum habere potuit, huc autem ne imperatorum ordo interrumperetur, retractus est. quamquam num omnino eum recte receperim dubito. nam etiam Hyginus suum opus 'historias' dicit[1]), ad cuius similitudinem 'uarietate' quoque ducimur.

MARIVS MAXIMVS[2])

Historia Romana centesimo quoque anno riuulos diductos et sitientes et paene arescentes collegisse et comprehendisse uidetur, ita tamen ut collecta denuo dispergeretur et prout ingenium populi, sic etiam scriptio euanesceret. nata autem illa est in solo senatorio, crescentem coluit imperator, qui si per longum temporis spatium et imperium obtinuit et senatus speciem fouit et auxit, eam gratiam recepit, ut senatus libros ab eius amicis uel clientibus compositos auctoritate sua seruaret et posteritati traderet. ut igitur Liuius sub Augusti auspiciis historiam scripsit, sub Traiano Tacitus et Suetonius suo quisque genere, ita sub Alexandro Seuero Marius Maximus uitas, Cassius Dio historias *(Gesch. Litt. I p. 94. 433 sqq.)*, quorum quod ille Latinus ad uitas scribendas descendit, hic Graecus ad Liuii imitationem se extulit,

1) I 34 *sed quae post mortem eius* (Orionis) *Diana fecerit, in eius historiis dicemus.* c. 36 *sed* (Procyon) *isdem omnibus historiis quibus superior Canis annumeratur.*

2) Praeter libros, quos in indice uniuerso proposui, hic nomino: I. I. Mueller *Der Geschichtschreiber M. M.* in Buedingeri Quaestt. III p. 17—202. I. Plew *M. M. als direkte u. indirekte Quelle der Script. hist. Aug.* Progr. Argent. 1878. G. Tropea *Studi sugli Scr. h. A. III. M. M. uita e frammenti* (Messina 1899).

ingenia illarum gentium considerantes mirari desinemus. quid quod etiam Marius Maximus florem quendam, qualia tum tempora erant, repraesentauit, certe qui eum secutus est, Iunius Cordus, et iudicio et fide multum ab eo delapsus est, scriptoresque historiae Augustae Diocletiani et Constantini fauore usi partim in epitomis contrahendis acquieuerunt partim inscita imitatione in absurditatem et fraudem aberrauerunt.

A Suetonii igitur uitis et exemplis exorsus Marius Maximus, ut ille, duodecim imperatorum uitas scripsit, Neruae et eorum, qui usque ad Heliogabalum successerunt. citatae sunt Traiani[1]), tum Hadriani *(fr. 8 adn.)*, Marci *(11. 12. 13 adn.)*, Pertinacis *(18)*, Septimii Seueri *(19. 20)*, Heliogabali *(26)*, deinde secundum eius auctoritatem relatae res, quae pertinent ad imperia Pii *(9)*, Commodi *(14. 15. 16)*, fortasse etiam ad Neruae *(1)*. denique res non dubia est, quin et Suetonium continuauerit et ante Alexandrum Seuerum substiterit, ut ille ante Neruam Traianumque, i. e. ante initium felicioris saeculi, quo uterque ad scribendum impulsus erat. uixisse igitur uidetur sub Alexandro, id quod fr. 14 confirmatur, quo adulescentem uel iuuenem imperium Commodi se uidisse testatur.

Hoc autem eius consilium erat, ut perpetuam historiam Romanam, cui complectendo ingenium impar esset, in uitas imperatorum dissolueret et singulas per se cognoscendas et legendas ederet, neque uidetur ueritus esse, ne eandem rem in binis referret, si decedenti et succedenti imperatori communis esset *(Plew p. 13 sqq.)*. tyrannos autem proprii libri honore dignari noluit[2]), qui eis postea a Iunio Cordo tributus est, in quo numero cum Opellius (Opilius) Macrinus habitus non esset, eundem quem alios imperatores eum accepisse sequitur.[3]) librorum uinculo com-

---

1) Lamprid. Alex. Seu. 48, 6 *Scio uulgum hanc rem quam contexui, Traiani putare, sed neque in uita eius id Marius Maximus ita exposuit neque et q. s.*

2) Vopisc. Firm. 1, 1 *Minusculos tyrannos scio plerosque tacuisse aut breuiter praeterisse. nam et Suetonius Tranquillus, emendatissimus et candidissimus scriptor, Antonium Vindicemque tacuit, contentus eo quod eos cursim perstrinxerat, et Marius Maximus Auidium Marci temporibus, Albinum et Nigrum Seueri non suis propriis libris sed alienis innexuit.* Cf. fr. 19.

3) Infra p. CLXXXV Marium Maximum habuisse exponemus, cur Opellio gratiam referret, neque aduersatur eius uita a Capitolino 'ex diuersis historiis eruta' (1, 1) uel 'de plurimis collecta' (15, 4), in qua

plures uitas non coniunxit (uid. G. Schmidt *de Rom. arte biogr. p. 33*), quod si fecisset, Vulcatius Gallicanus non bis 'secundum librum de uita Marci' citaret *(fr. 11. 12)*, qui quidem a Veri morte initium ceperat. contra distinxit eas breuioribus capitibus *(cf. Birt Buchwesen p. 157 sq.)*, uelut Seueri septem; sic enim fr. 19 '*primo septenario*' intellegendum est (*cf. binarius, denarius* similiaque), quo Marius Maximus de auo paterno Getae egerat uel de patre Seueri eiusque stemmate. ipsas autem res ratione Suetonii, i. e. 'singillatim neque per tempora sed per species' eum persecutum esse *(Gesch. Litt. II p. 328 sqq.)* ex uita Antonini Pii eruimus *(Die Script. h. A. p. 106 sqq.)*, quae, etsi ordo secundum exemplum illius dispositus a Capitolino, cum ab eo non perspectus esset, saepe obscuratus uel perturbatus est, tamen uitae Marianae imaginem omnium uerissime repraesentauit. deduxerat igitur stemmate proposito imperatorem per uitam priuatam cursumque honorum faustaque omina usque ad ipsum imperium, descripserat, quae factus imperator bella gessisset, qualis fuisset aduersus prouincias, senatum, propinquos amicosque, subiectos hostesque imperii, tum uictum, liberalitatem publicam clementiamque, auctoritatem apud exteros, pietatem liberalitatemque aduersus priuatos, ciuilitatem, leges administrationemque, denique mortem testamentumque, staturam, honores ei mortuo decretos. atque hic quidem ordo plus minusue seruatus etiam per alias historiae Augustae uitas prioris partis (usque ad Heliogabalum) perlucet *(Die Scr. h. A. p. 102—153)*, a quo ut discedens uitam Marci morte Veri in duos libros diuideret, et mole rerum et societate imperii impulsus est.

Sed etsi hanc formam Suetonii Marius Maximus imitatus est atque ex ea certos dierum memorabilium numeros retinuit, in uniuersum tamen repleuit eam longe diuersa materia. neque enim breuitate excellebat, immo opponit Suetonianae eius uerbositatem Vopiscus *Firm. 1*, quem etiam mythistoricis se uoluminibus implicauisse dicit, laudat diligentiam, ad quam legentes releget, Capitolinus *(fr. 25)*, copiam Spartianus *(fr. 19)*. efficiebatur autem non solum orationibus epistulisque, quas propter nimiam longitudinem Capitolinus inserere noluit *(fr. 17. 18. cf. 13. 16)*, uel sermonibus *(fr. 2)*, sed etiam uersibus in Commodi tumorem

---

ipsa nemo auctor citatur et secundum Herodianum in retractatione adhibitum (Die Scriptores hist. Aug. p. 76 sq. 148) Opellius semper Graeca nominis forma appellatur. V. infra p. CLXXXXI sq.

inguinum scriptis *(fr. 14)*, iocularibus Graecis Latinisue in uindemiarum festiuo in dominos compositis *(fr. 26)* aliisque iocis *(fr. 4)*, disputationibus de cibis apparatis *(fr. 8)*, denique sermunculis fabellisque, quibus curiositas hominum iam Plinii minoris aetate infecta erat *(ep. V 8, 4)*. peripateticae igitur uitas scribendi rationi Marius Maximus se addixisse uidetur. hinc ira explicatur, qua in senatores Romanos Ammianus Marcellinus inuehitur coniungens eum cum Iuuenale *(28, 4, 14, scr. inter a. 389—391): Quidam detestantes ut uenena doctrinas, Iuuenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla uolumina praeter haec in profundo otio contrectantes, quam ob causam non iudicioli est nostri.* quod idem studium iam sub Alexandro Seuero cultum esse ex Iulii Africani encyclopaedia, quae *Κεστοί* inscribitur, discimus, ad eum imperatorem missa et non minus plena rerum mirabilium et inhonestarum *(Gelzer Iul. Afr. I p. 12 sqq.)*. itaque quod Vopiscus *(Prob. 2, 7)* se imitari profitetur non 'Sallustios, Liuios, Tacitos, Trogos atque omnes disertissimos uiros' sed 'Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem ceterosque, qui haec et talia non tam diserte quam uere memoriae tradiderunt', diuersa exempla miscuit, atque quoniam ipse nihilo minus oratorium ornatum affectauit *(Die Script. h. A. p. 167 sqq. Leo Biogr. p. 270 sqq.)*, non est cur a Mario Maximo ieiunitatem omnino spretam esse statuamus, quamquam homines 'quamlibet nuda rerum cognitione' delectari a Plinio minore dici *(u. supra)* non ignoramus.

Certe illud nouauit, quod non fragmenta documentorum ut Suetonius inseruit sed totas orationes epistulasque, quas fictas esse nullo iure existimatum est *(Leo l. s. p. 270. cf. Die Scr. h. A. p. 221 sq.)*[1]), idque ita, ut Graecos quosdam imitatus *(Leo p. 297)* appendicis loco eas narrationi uitae apponeret *(fr. 18. uid. Die Scr. h. A. p. 108 sqq.)*, qui mos postea etiam a scriptoribus historiae Augustae receptus est.

Sed hi, ut etiam de aliis rebus Marium Maximum admirati sunt, ita etiam de fide (Vopiscus, *Prob. 2, 7. u. supra*, Capitolinus, *Clod. Alb. 12, 14* = *fr. 25*) habueruntque quod eam pluris aestimarent quam suam, quorum quidem uel ornamentis uel fraudibus ille liber fuerat. idem et auctores requisiuit et ad-

1) Distinguenda sunt haec documenta ab eis orationibus, quas oratorie fictas esse per se apparet (fr. 18. 17).

hibuit quam] certissimos, uelut acta urbis *(fr. 15. cf. adnot.)*, imperatorum Septimium Seuerum, cuius uitae fragmenta per eum ad Spartianum delata sunt, ut fortasse etiam Hadriani, et senatus causam constanter tuitus est, ita ut et qua ratione etiam Dio et Herodianus imperatorem uirtutem 'incruento imperio' aestimaret i. e. eos aut laudaret aut reprehenderet, prout senatorio sanguini pepercissent, quae norma per omnes historiae Augustae uitas ad eum redeuntes diffusa est, et contra aulicorum amicorumue principis arrogantiam declamaret *(fr. 2)*, quod odium a Tacito usque ad historiam Augustam per scriptores senatorios propagatum est *(Gesch. Litt. II p. 108 sq. 55 sq.)*. uerum tamen eandem rationem imperii administrandi Alexandrum Seuerum secutum esse uel sequi uoluisse ex Lampridii uita in modum panegyrici exornata intellegimus *(Die Scr. h. A. p. 127 sqq. Gesch. Litt. II p. 110 sq.)*. habemusque eandem apud Cassium Dionem in eius gratiam scribentem, ut etiam hinc Marium Maximum ab illo imperatore promotum et adiutum uitis scriptis gratiam rettulisse appareat, nec mirum est, quod et Cassius Dio et Marius Maximus de superioribus imperatoribus idem uel simillimum iudicium fecerunt omninoque ratio eadem de rebus publicis inter eos intercedit quae inter Tacitum et Suetonium *(Gesch. Litt. II p. 84 sqq.)*. uelut Hadriani laudi uterque inuidet, cum eum non Traiani iudicio sed Plotinae fauore adoptatum esse referunt (*ἐξ ἐρωτικῆς φιλίας Dio 69, 1, 1. Mar. Max. fr. 3 c. adn.*) neque de crudelitate eius tacent, Dio ita, ut calumniatores eam exprobrantes faciat *(69, 2, 4; 5)*, Marius Maximus, ut natura eum crudelem fuisse dicat *(fr. 6)*.[1]) grauissimo autem odio quoniam in Commodum omnis senatus flagrauerat multasque et Dio et Maximus foeditates uiderant expertique erant, non solum eum ipsum omnibus opprobriis cumulauerant *(fr. 14. 15. 16. Gesch. Litt. II p. 86 sq.)* sed etiam, ut Marci gloriae parcerent Commodumque de adulterio Faustinae gladiatorisque natum esse probarent, matrem omnis sceleris capacem atque etiam seditionis Auidii Cassii conscientia obstrictum fuisse rettulerunt *(fr. 12. Klebs m. Rh. 43 p. 321 sqq.)*. at uero Pertinacis, qui Commodo successit, memoriam illustrauerunt et celebrauerunt *(Gesch. Litt. II p. 87. 108)*, quem etiam horruisse

1) V. Die Scr. h. A. p. 121 sqq. — Quod mortes Palmae, Celsi, Nigrini, Lusii eodem ordine Dio (69, 2, 5) et Spartianus (7, 2) enumerant, ex ipsius Hadriani uita ducendum est.

imperium Marius Maximus epistula inserta docuisse sibi uisus est *(fr. 18)*. quae de Septimio Seuero fragmenta eius ad nos peruenerunt, ad stemma uxoremque Iuliam Domnam et ad tyrannos debellatos pertinent *(fr. 19—25)*, sed uel ex his eum ad reprehensionem inclinasse uidemus, cum imperatorem perfidiae cuiusdam in aduersarios insimularet seueritatisque, qua eorum seditiones uindicasset. idem Dionis de ea parte imperii iudicium fuit, cuius aequius tamen de aliis; quodsi etiam Spartiani de hoc fautore militum, inimico senatus dubitauit, hoc a Maximo repetemus, quem Heliogabalum infamantem *(fr. 26)*[1]) et meliore iure hereditatis Caracallae succedere debuisse Alexandrum narrantem *(fr. 20)* huic fauisse ex eis, quae iam exposuimus, satis explicatur.

Consilio nos adhuc intra ea continuimus, quae de ipso scriptore uitarum memoriae tradita sunt uel ex eius fragmentis erui potuerunt. sed etiam complures dicationes in lapidibus *(Prosop. II p. 346 n. 233)* ad nos peruenerunt cursum honorum Marii Maximi cuiusdam eiusdem temporis enumerantes et Cassius Dio praefectum urbis ab Opellio Macrino in locum Aduenti substitutum eius nominis memorat *(78, 14, 3; 36, 1. 79, 2, 2 sq.)*.[2]) atqui in copiosissimo quidem titulo (1 : *C. I. L. VI 1 n. 1450*) dicitur L. Marius L. f. Maximus Perpetuus Aurelianus IIIIuir uiarum curandarum, tribunus laticlauius legionis XXII Primigeniae, item tertiae Italicae, quaestor urbanus, tribunus pl. candidatus, allectus inter praetorios, curator rei p. Fauentinorum, item uiae Latinae, legatus primae legionis Italicae [in Moesia], dux exercitus Mysiaci [i. e. Moesiaci] apud Byzantium [ubi contra Pescennium a. 195. 196 res gesta est] et apud Lugudunum [ubi contra Clodium Albinum a. 197], legatus Augustorum duorum [i. e. Seueri et Caracallae a. 198—209], prou. Belgicae, Germaniae inferioris, Syriae Coelae, sacerdos fetialis, 'consul.' in eodem autem monte Caelio etiam tres alii tituli inuenti sunt cum quinque illis nominibus, in quorum uno est praeses prouinciae inferioris (2 : *C. I. L. VI 1 n. 1451*), in altero pro consule prou. Africae, tum iterum

---

1) Lamprid. uit. Heliog. 30, 8 *Sed et haec et alia nonnulla fidem transeuntia credo esse ficta ab is, qui in gratiam Alexandri Heliogabalum deformare uoluerunt.*

2) Hoc opere comparandi supersedere potuimus, si recte Lécrivain (Etudes sur l'histoire Auguste p. 198 sqq.) biographum eundem esse atque hunc lapidum negasset. argumenta tamen eius nulla sunt, id quod eis, quae supra scripsi, satis apparebit.

[i. e. per duos annos] Asiae, denique praefectus urbi (3 : *C. I. L. VI 1 n. 1452*), tertius, in quo praef. urb. et procos. (4 : *C. I. L. VI 1 n. 1453*), tum Velitris lapis L. Mario L. filio Max. Aurel. dedicatus fetia(li) bis co(s.), pro cos. Asi(ae) et Afric(ae), urb(is) p(raef.) (5 : *C. I. L. X n. 6567*) et Ardeae alter L. M. Max. Perp. Aur. item fetiali, consuli iterum, proconsuli prouinciarum Africae, iterumque Asiae, praef. urbi (6 : *C. I. L. X n. 6764*), denique in titulo Thyatireno (7 : *Prosop. l. s.*) commemoratur eius proconsulatus Asiae 'Caracalla in Asiae morante' i. e. a. circa 214/215. iam uero coniunguntur communione

patris et sacerdotii fetialis tituli 1 et 5,
sacerdotii fetialis et iterati consulatus 5 et 6 (cos. 1),
iterati proconsulatus Asiae et urbis praefecturae 5, 3, (4,) 6,
legationis Germaniae inferioris 1 et 2,
proconsulatus Africae et (iterati) Asiae 3, 5, 6,
proconsulatus Asiae 3 et 7,
omnium quinque nominum 1. 2. 3. 6.

Hinc satis credo apparet recte Borghesium *(Oeuvr. V p. 453—481. cf. IX 351 sq.)* has inscriptiones omnes ad eundem L. Marium L. f. Maximum Perpetuum Aurelianum rettulisse honorumque uarietatem ex diuersitate annorum, quibus lapides dedicati essent, repetiisse. fastis autem alter consulatus anno 223 definitur, qua re alii titulorum Marii Maximi, qui eo honore caruerunt, a disputatione nostra exclusi sunt, prior (suffectus) ante proconsulatus Africae et Asiae praefecturamque retrahitur, fortasse in annum 197 uel 198 post uictorias Byzantinam et Lugudunensem. nam qui consulatum insecutus est honor legationis Germaniae, ei nondum a Seuero Caracallaque Augustis tributus est *(Wilmanns inscr. I p. 399)*. iam uero quoniam Marium Maximum sub Opellio praefectura urbana functum esse supra *(p. CLXXXV)* uidimus, alius autem eius nominis in laterculo praefectorum desideratur, a Dione et lapidibus eundem significari plus quam ueri simile est. sed idem etiam uitas imperatorum scripsit. nam secundum Dionem *(l. s. s.)* Aduentus propter inscitiam, cum omnino dicendi facultatis expers esset, Marium Maximum successorem accepit, ut hunc illa laude floruisse necesse sit. tum uitas usque ad Heliogabalum deduxit eumque in Alexandri laudem infamauit. denique Cassius Dio et Marius Maximus scriptor in libris suis idem de re publica senserunt et de singulis imperatoribus, cum uterque senatus causam amplecteretur et defenderet *(Gesch. Litt. II 84. 106 sqq.)*,

in re publica autem administranda, id quod ex rerum memoria patet, et ille et praefectus urbis consuetudinem quandam ne uitare quidem potuerunt. itaque non est, cur cum Muellero *(p. 170 —174)* scriptorem eundem esse atque praefectum Cassii Dionis sed nihil cum titulis commune habere statuamus aut cum Plewio *(Krit. Beitr. z. d. Scr. h. A. p. 29 sqq.)* de certo iudicio omnino desperemus, praesertim cum quod illum praefectum sub Alexandro aetate iam tantum prouectum esse dictum est, ut scribendo operam dare non posset, Cassii Dionis exemplo refutetur. immo sequi pergamus Borghesium cum Henzeno *(ad inscr. Orell. III p. 97. ad C. I. L. VI 1 p. 317)*, Wilmannsio *(Inscr. I p. 399)*, Mommseno *(Herm. 22 p. 311)*, Dessauio *(Inscr. sel. I p. 573)* aliisque.

Ordo igitur uitae Marii Maximi, ut minora praetereamus, hic fuit:[1])

Anno fere 155, ut uidetur, natus, tribunatu militari perfunctus quaestor urbanus et tribunus plebis candidatus et inter praetorios allectus Romae degit *(tit. 1)*, ubi contra Commodum uersus quosdam scripsit *(Lamp. Comm. 13, 2)*, tum ad exercitus reductus legatus bellis apud Byzantium (a. 195/196) et apud Lugudunum (a. 197) interfuit et post consulatum suffectum anni, ut uidetur, 198 prouinciis Germaniae, deinceps Syriae Coelae, proconsul Africae, per duos annos (fere 214—215) Asiae praefuit, anno 218 urbi ipsi praefectus *(Cass. Dio l. s.)*, denique Alexandro Seuero imperatore uitis scribendis operam suam studiumque nauauit *(u. s.)*.

Quamquam fragmenta Marii Maximi praeter unum, quod nescio quo casu in Iuuenalis scholia peruenit, omnia apud scriptores historiae Augustae exstant, tamen etiam apud ceteros magna auctoritate floruit, ut imperatorum suorum quasi Suetonius haberetur; nam ab eo exorsus Iunius Cordus opus suum, quo uitas imperatorias quasi expleret, composuit *(u. infra p. CLXXXXII sq.)*, Lampridius eum a Constantino lectum esse praesumpsit *(uid. Alex. 65, 4)*, Vopiscus inter exempla sua enumerauit *(Firm. 1, 1. Prob. 2, 7)*, Ammianus Marcellinus suae aetatis senatoribus lectionem frequentem acerbe exprobrauit *(u. s. CLXXXIII)*, in historiaque Augusta eius usum constat ultra eos locos longe patere, quibus citatus est. contro-

1) Quae supra testimoniis adscriptis carent, titulis firmata sunt, uid. Prosop. II p. 346 sq. n. 233.

uersia in eo posita est, num per totam, quatenus fieri posset, id est per priorem aequabiliter ipse adhibitus sit. nam magnum discrimen generis materiae tractationisque et fidei inter imperatorum et aliorum principum tyrannorumque uitas intercedit. iam uero hoc demonstrauisse nobis uidemur *(Die Script. h. A. p. 86 sqq. 114 sqq.)* nec illarum nec harum scriptores facultate ex pluribus auctoribus suas contaminandi caruisse; quodsi illi operi melius suffecerunt, uitas iam apud Marium Maximum eo ordine, qui ipsis placuerat, dispositas ante oculos habebant, ut largam materiam excerpsisse, excerpta ex alio auctore suppleuisse satis esset, his autem et ordo construendus et maxima pars materiae ex diuersis auctoribus corradenda fuit, quibus si Iunium Cordum eandem operam praestitisse existimatum est quam illis Marium Maximum, solus Capitolinus hunc scriptorem nouit, cuius nomine una uita Clodii de eis, quae huc pertinent, inscripta est.

Sed etsi fragmenta Marii Maximi, quae apud nos collecta habes, minimam partem materiae ex eo sumptae repraesentant, tamen coniecturis ea exaggerare et obscurare noluimus, quas ut confirmaremus, haud exigua pars libri, quem de scriptoribus historiae Augustae composuimus, huc transferenda fuit, ad quem qui singularum rerum priore parte eius historiae traditarum fidem examinaturi sunt, relego.[1])

---

1) I. M. Heer (Der historische Wert der V. Commod. p. 147 sqq.), O. Schulz (Beiträge p. 73), Lécrivain (p. 198 sqq.), Kornemann (Kaiser Hadrian p. 121) maxime aequabilitate citationis offensi Marium Max. non ab ipsis hist. Augustae scriptoribus in usum uocatum sed ab eo, qui has uitas in ultimam formam redegit, nominatum et interpolatum esse coniecerunt, sed ut de communione cultus, quo omnes imperatorum uitae senatum omnesque imperatores, qui hunc uenerati sunt, ab Hadriano usque ad Alexandrum Seuerum prosecutae sunt, deque uita Pii ab uno auctore pendente aut de consensu quorundam in contextu locorum cum ipso Mario Maximo, qui in adnotatione mea adscripti sunt, taceam, ipsa appendix documentorum ab eo in historiam Augustam translata taediumque laboris, quo correpti eius longitudinem abiciunt, satis demonstrant, illos a ueritate aberrasse. V. Bursiani annales 1905.

AVLICI AVCTORES SCRIPTORVM HISTORIAE AVGVSTAE

qui inter imperatores Alexandrum Seuerum et Gordianos uitas uel historiam scripserunt

(inter annos 222—244.)

Sequuntur scriptores sola historiae Augustae auctoritate nisi, quorum paene nihil habemus quo exilitatem testimoniorum uel fragmentorum suppleamus. nam omnium memoria morte eorum imperatorum, quorum patrocinio ipsi floruerant, oblitterata est. maxime autem homines litteratos ut res a se gestas in suam gloriam scriberent, excitauit et aluit Alexander Seuerus (222—235), quem is, qui panegyricum eius uel composuit uel imitatus est, Lampridius sic laudauit *(c. 3, 4): Nec ualde amauit Latinam facundiam sed amauit litteratos homines uehementer, eos etiam reformidans, ne quid de se asperum scriberent. denique quos dignos ad id esse uidebat, singula quaeque, quae publice et priuatim agebat, se ipso docente uolebat addiscere, si forte ipsi non adfuissent, eaque petebat ut, si uera essent, in litteras mitterent.* Felicius Alexandro res cessit in Cassio Dione et Mario Maximo, quorum ope effecit, ut ratione sibi opportuna res ab imperatoribus ante se gestae describerentur et ad posteros propagarentur, sed ipsorum aulicorum primum locum obtinet Encolpius, quo illum familiarissimo usum esse testatur Lampridius *c. 17, 1,* cui etiam duo fragmenta eius laudem spirantia debemus; Ouinii tamen Camilli senatoris nec nomen nec rerum nouarum studium multis uerbis *fr. 2* exornatum aliunde constat.

Tum de magistro Alexandri Aurelio Philippo hoc testimonium exstat item Lampridii Alex. 3, 2 *In prima pueritia litteratores habuit Valerium Cordum et T. Veturium et Aurelium Philippum, libertum patris, qui uitam eius postea in litteras misit,* ubi '*pater*' intellegendus est imper. M. Aurelius Caracalla, cuius filium se esse Alexander uoluit.[1])

Argumenti seruilitate huic pari associantur Septimius, qui uitam Alexandri 'non mediocriter exsecutus est' *(Lamprid. 17, 2),* citatus a solo Lampridio duobus locis una cum Encolpio, nescio

1) Herod. V 7, 3. cf. Muche *Forschungen über Alexander Seu.* Progr. Suidn. 1873 p. 6 sq.

an unus ex libertis imperatoris Septimii Seueri, nam quod priore loco in codice Palatino nomen in 'minus' desinit, hoc minus dubitationem mouet quam quod fabula de Septimio Arabiano refertur, atque Gargilius Martialis, quem Vopiscus *Prob. 2, 7* iuxta Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Martialem 'ceterosque, qui haec et talia non tam diserte quam uere memoriae prodiderunt', in exemplis suis ponit, et Lampridius eo loco, ubi de simplicitate conuiuii Alexandri diurni uerba facit, se nolle omnia inserere addit, quae ille 'eius temporis scriptor singillatim persecutus sit' *(37, 9)*, fortasse idem, qui de re rustica 'pulcherrime et diligenter' *(Cassiod. inst. diu. litt. 28)* inter Galeni mortem (a. 201) et Palladium, qui a. fere 355 eo usus est, opus doctum, cuius excerpta ad nos peruenerunt, scripsit, idemque, ut Cichorius *(Stud. Lips. X p. 319 sqq.)* suspicatus est, cum equite Romano Auziensi, cui, postquam multas res in militia egregie gessit, insidiis Bauarum Maurorum decepto coloniae Auziensis ordo a. 260 monumentum posuit *(C. I. L. VIII 9047. Eph. epigr. V 1300 p. 560)*.[1]) etiam Lollius Vrbicus historiam sui temporis in Alexandri fauorem exornasse uidetur[2]), idque ita, ut epistulas aut ipse fingeret aut fictis uteretur, qua re cum his scriptoribus eum coniunxi.

Addo tres uitae Traiani scriptores, Fabium Marcellinum[3]), Aurelium Verum, Statium Valentem, 'qui omnem eius uitam in litteras miserunt', ut ait Lampridius *Alex. 48, 6*, qui ut Alexandrum, non Traianum, in Ouinium Camillum clementer se gessisse demonstret, et illos et Marium Maximum ut auctores eius uitae praecipuos affert. atque Fabius quidem Marcellinus etiam a Vopisco *Prob. 2, 7* loco modo citato inter uitae scriptores nominatur, ceteri omnino ignoti sunt.[4]) ad uitam tamen Traiani illustrandam ea re uidentur adducti esse, ut sub eius imperatoris

---

1) Sine causa Reinesius eundem eum esse uoluit cum Iuuentio Martiale apud Ammian. XXVIII 4, 14, pro *Iuuenale* legens *Iuuentium* nomenque statuens Gargilium Iuuentium Martialem.

2) Borghesi *Oeuvr.* IX 302 eum a Q. Lollio Vrbico originem duxisse suspicatus est, Kornemann (Hadrian u. d. letzte große Historiker von Rom) eius filium, cuius somnia qui cognoscere uelit, ipsum adeat.

3) Ad eundem M. Wellmann ap. Pauly-Wiss. V c. 1135 Gargilium Martialem 'libellum botanicon ex Dioscoridis libris in latinum sermonem conuersum' misisse censet. — Fabius Marcellus posuit Tarracone monimentum C. I. L. II 4121.

4) *L. Statius L. f. Quir. Valens* C. I. L. V 1 p. 524 n. 4974.

optimi specie *(Lampr. 10, 2)*, quem Alexandri pater maximi faciebat *(13, 2)*, ipsius uirtutes laudarent.

Hoc studium etiam ultra Alexandri imperium mansit. nam etiam breue Maximi Balbinique Suetonios suos nanctum est Aelium Sabinum, cuius unum fragmentum superest, tum Valerium Marcellinum et Curium Fortunatianum, de quibus haec Capitolinus *(Max. et Balb. 4, 5): Sed priusquam de actibus eorum* [Maximi et Balbini] *loquar, placet aliqua dici de moribus atque genere, non eo modo quo Iunius Cordus est persecutus omnia, sed illo quo Suetonius Tranquillus et Valerius Marcellinus, quamuis Curius Fortunatianus, qui omnem hanc historiam perscripsit, pauca contigerit, Cordus uero tam multa, ut etiam pleraque et minus honesta perscripserit.* itaque, si fides Capitolino habenda est, originem ex Marcellino ducunt capita eius uitae 5—7, quae in haec uerba desinunt: 'Haec de moribus atque genere.' Denique 'historiam sui temporis' de Gordianis scripsit Vulcatius Terentianus, cuius uno fragmento imperatoribus Gordianis fauit.

AELIVS IVNIVS CORDVS[1])

Notitia huius scriptoris, qui multis longisque fragmentis hoc uolumen onerauit, soli Capitolino debetur, qui forsitan eius scriptura ad uitas denuo componendas reuocatus sit. nam in uitis Pii, Marci, Veri, Pertinacis sub Diocletiano scriptis eius mentionem non fecit, in solis Clodii Albini, Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini, quae sub Constantino ortae sunt. sed dubitationem mouet Opilii Macrini, quae ad Diocletianum missa est. in hac tamen Iunius Cordus in solo prooemio commemoratur, ut

1) B. Niehues *De Ael. Cordo rerum Augustarum scriptore*, Ind. lect. aest. 1885 Monast. (quem hic nominasse satis erit). G. Tropea *Studi degli Script. hist. Aug. IV. Elio Cordo Vita e frammenti*, Messina 1900, qui non solum ipsa fragmenta sed etiam eas partes ex hist. Aug. collegit, quae ex Cordo sumptae esse ei uiderentur. Cf. etiam Daendliker in *Buedinger Untersuch. z. röm. Kaisergesch.* III p. 306—314. — Etsi Capitolinus plerisque locis uno nomine hunc Cordum appellat, tamen idem duobus (fr. 2. 5) eum Aelium, quinque Iunium dixit, ut duo nomina gentilia, id quod tum haud rarum fuit, ei addere non dubitauerim, quae sententia et iudiciorum et argumentorum similitudine confirmatur.

repudietur *(fr. 1)*, nusquam in ipsa uita, quem ad modum etiam Herodianus, cuius usus apud Capitolinum posteriore opera continetur, nisi in parte quadam eiusdem uitae adhibitus ab eo non est *(Die Script. h. A. p. 76 sq. 148)*; quodsi hanc partem sub Constantino ab eo insertam esse recte demonstraui, Cordi mentionem, qua omissa nihil desideratur, in retractatione uitae additam esse ueri simillimum est.[1])

Sed omnino hanc operam perderemus, si iure Mommsen *(Herm. 25 p. 271 sq.)* Cordum ad inferos damnasset. excitauit tamen eum Klebs *(m. Rhen. 47 p. 21 sq. uid. Die Scr. h. A. p. 237 sq.)* reddiditque locum suum inter auctores Capitolini sub Constantino ad uitas scribendas redeuntis, inter quos qui primarii fuerunt, eisdem temporibus uixisse uidentur. quippe Herodiano paulo inferior Cordus fuit et ut ille in Maximo et Balbino (a. 238), ita ipse in Gordiano tertio (a. 244) desiit, ut eadem ratio inter hos intercesserit, quae inter Dionem et Marium Maximum. uidit enim mortes Philipporum *(fr. 24)* a. 249.[2])

Consilium autem Cordi in ea re cum Mario Maximo consentiebat, quod seriem quandam principum opere suo complectebatur, non paucos quosdam aulicorum ratione; differebat, quod illum non usque ad suam aetatem continuabat, sed quoniam temporis spatium breuius erat quam ut illum uoluminum numero aequaret, cum Marius Maximus imperatores tantum propriis libris intexuisset, ipse eorum, qui, ut ait Spartianus in uita Aelii 1, 1, ‘uel Caesarum nomine appellati sunt nec principes aut Augusti fuerunt uel quolibet alio genere aut in famam aut in spem principatus uenerunt’, memoriam propriis libris redintegrauit. sic enim explicandum est, quod Capitolinus in uita Opilii *(fr. 1)* Cordo studium fuisse dixit ‘eorum imperatorum uitas edere, quos obscuriores uideret’. quo studio unde exorsus sit, quamquam nescimus, tamen, si certum consilium sibi proposuit, quasi lacunas Maximi eum explesse et cum Aelio Vero initium fecisse pro-

1) Quod O. Schulz (*Beitraege* p. 129) Cordum in duabus uitis Clodii et Opilii ab eo, qui historiam Augustam in eam formam, quam nunc habemus, aetate Theodosiana redegit, interpolatum esse posuit, non modo nihil huic coniecturae fauet, immo multa refragantur. Vid. Bursiani annales a. 1905.

2) Cf. Gord. 3, 6 *exstat silua eius memorabilis, quae picta est in domo rostrata Cn. Pompei, — quam Philippi temporibus uester fiscus inuasit,* quae pars uitae non ex Herodiano sumpta est.

babile est, tum eandem seriem imperatorum ab Alexandro Seuero usque ad suam aetatem deduxisse.[1]) nam quod ex illis solius Clodii Albini memoria restat, de his Alexandri oblitterata est, non mirabimur, cum omnino nemo praeter Capitolinum eum citauerit, quod autem quidam ex fr. 1 eum etiam Traianum, Pium, Marcum tractasse collegerunt, declamatoris more Capitolinus obscurioribus principibus exempla clarissimorum opposuit.

Hanc autem materiam per se exilem Cordus omni genere rerum undique conquisitarum et coaceruatarum auxit et exaggerauit, ut uolumina sua expleret, minimaque quaeque se persecuturum esse ipse professus est *(fr. 1)*. exsultat igitur Capitolinus his criminibus, cum eum dicit enarrasse *(fr. 1)*, quando princeps cibos uariasset *(cf. fr. 4. 8)* et quando uestem mutauisset et quos quando promouisset *(cf. fr. 18)*, tum Maximinum iuniorem rebus ueneriis et amatoriis aspersisse *(fr. 11. cf. 1)* et multa 'ridicule ac stulte composuisse de uoluptatibus domesticis ceterisque infimis rebus' Gordiani iunioris *(fr. 18)*, denique omnem fidem eum excessisse 'libros mythistoriis replentem' *(fr. 1. 7)*. sed satis incredibiles res Capitolinus ipse uitis suis inseruit *(fr. 4. 8)*, ultra quas quemquam etiam illa aetate in mentiendo progressum esse nunc quis credet? eadem audacia usus est in ominibus excogitandis *(fr. 2. 7)*, cum in epistulis actisque publicis *(fr. 3. 5. 6. 16)* medium quendam locum obtineret inter artem rhetoricam fingendi et fallendi *(Die Scr. h. A. p. 199 sqq.)*.[2]) est igitur cur etiam nomina a Capitolino prolata cum suspitione recipiamus, ut Iuniae Fadillae 'proneptis Antonini' *(fr. 12)*, neque dolemus, quod nomina uiginti senatorum ad Maximum legatorum reticuit *(fr. 21)* ut alia 'friuola', quibus ille gloriatus erat *(fr. 2)*; neque enim id egit, ut scientiam eorum qui legerent ditaret sed ut sensus eorum titillaret. dispositam autem per species hanc materiem esse exemplo eorum, qui ante eum in hoc litterarum genere uersati sunt, et per se probabile est et satis multis uestigiis in eis partibus, quas Capitolinus cum Herodiano contaminauit, confirmatur *(Die Scr. h. A. p. 139 sq. Tropea p. 10)*.

1) Cordum Maximum imitatum esse ex consensu etiam uerborum in moribus depingendis manufestum est (Die Scr. h. A. p. 240), neque enim recte Tropea p. 15 sq. Cordum etiam Spartiano et Lampridio usui fuisse opinatus est.

2) Frustra defendit hoc crimen Tropea p. 9 *Cordo ride; e racconta il meraviglioso, l'esagerato, quello che piace alle masse ignoranti; Cordo ghigna et q. s.*

Quae cum res ita sint comparatae, Cordum, quoniam omnia ad imperatores referebat, ita tamen ut etiam senatus rationem haberet, latineque scribebat, per se non ueritum esse consentaneum est alicuius imperatoris uoluntati seruire. atqui et studium Gordianorum ex multis fragmentis *(13. 14. 15. 16. 19. 22. 23. 24)* satis apparet et irrisio barbariae Maximini patris *(fr. 8. 9)* atque deliciarum filii *(11)* et odium Philipporum *(24)*, qui Gordiano tertio successerunt. itaque in Decii gratiam eum uitas composuisse probabiliter ex tota horum scriptorum indole ac ratione efficere posse mihi uideor.

Illud tamen nos non offendet, quod, etsi Capitolinus ut in uita Clodii *(12, 14)* Marium Maximum cum Herodiano praeter ceteros comparauit, ita in ceteris suis uitis Cordum atque ad eum ut ad auctorem primarium relegauit *(fr. 2. 7. 10. 11. cf. 19. 13. 5)*, nemo ceterorum scriptorum, qui tyrannorum uitas composuerunt, eum dignum qui citaretur iudicasse. casu enim nescio quo Capitolinus ad eum delatus erat multosque non minus operose et seruiliter fauorem principum illa aetate aucupatos esse magna hominum eius generis multitudo docet, qui cum ceterum ignoti sint, singulis plerumque locis in historia Augusta commemorantur. potuit igitur fieri, ut, quod Plew *(Marius Max. p. 11)* coniecit, Trebellius Pollio a Cordo in scribendo exordiretur, quem ad modum postea ab ipso Vopiscus, sed certa causa in tanta testimoniorum paucitate deest.

AEMILIVS PARTHENIANVS

Cordi similem sortem, ut unus scriptor eius mentionem faceret, hic nanctus est, 'qui adfectatores tyrannidis iam inde a ueteribus historiae tradidit' *(Vulcac. Gall. 5, 1 = fr. 1)*; sed quia Vulcacii Gallicani una uita in historiam Augustam recepta est, hoc loco eius memoria circumscribitur. cum tamen ille in consilio suo 'omnes, qui imperatorium nomen siue iusta ex causa siue iniusta habuerunt, in litteras mittendi' *(c. 3, 3)* per dimidiam partem cum Aemilio conspirauerit, ea, quae cum parte uitae secundum Marium Maximum composita *(6, 5—9, 4. u. Die Scr. h. A. p. 115 sq.)* conexa sunt, ad hunc redire a ueri similitudine non abhorret, ex quibus quidem non solum Cordum tyrannorum uitas friuolis nugis et fictis epistulis implesse discimus *(Die Scr. h. A.*

p. 189 sqq.). fragmentum autem eius seueritatem Auidii in crudelitatem uertit; Aemilius igitur Marco Aurelio fauit.

ACHOLIVS[1])

Tribus locis *(fr. 1—3)* eum Lampridius in uita Alexandri Seueri citauit, ultimo inter 'historicos eius temporis' cum adderet 'qui et itinera eius principis scripsit', ubi pro hac codicis scriptura — nam quid *itinera* sibi uelint, nemo uidebit — Lipsius *intima*, ipse *interiora* coniecimus. fides tamen rei fr. 2 ad solam eius imperatoris laudem spectantis admodum dubia est. sed eiusdem etiam Vopiscus meminit, qui 'fidei causa ex libris Acholi, qui magister admissionum Valerii principis fuit[2]), libro actorum eius nono' longam de Aureliani adrogatione narrationem inseruit *(fr. 4).* sed quamquam aptum illud munus ad talia cognoscenda et edenda fuit *(Gesch. Litt. I p. 437)* atque idem et eo munere sub Valeriano fungi et imperatorem Alexandrum laudare per temporum rationem potuit, in sermone quaedam Vopisci simillima inuenta sunt atque etiam ipsae res dubitationem mouent, ut a Vopisco hoc 'actum', ut Aureliani uita exornaretur, fictum esse probabile sit, id quod ab eius consuetudine non omnino abhorret *(Die Scr. h. A. p. 181. 233).*

ASINIVS QVADRATVS

Exordiendum est ab his testimoniis: *Suidae s. u. II p. 311 Bhdy.* *Κοδράτος, Ῥωμαῖος ἱστορικός. ἔγραψεν Ἰάδι διαλέκτῳ ἱστορίαν Ῥωμαϊκὴν ἐν βιβλίοις ιε΄, ἐπιγραφὴν δὲ Χιλιετηρίδα, καὶ περιέχει ἀπὸ κτίσεως Ῥώμης ἕως Ἀλεξάνδρου τοῦ Μαμαίας υἱοῦ Καίσαρος.* *et Euagrii hist. eccl. V 24* *Καὶ Εὐσέβιος δὲ ἀπὸ τοῦ Ὀκταβιανοῦ καὶ Τραϊανοῦ καὶ Μάρκου λαβὼν ἕως τῆς τελευτῆς Κάρου κατήντησε. γέγραπται δὲ περὶ τῶν χρόνων τούτων ἔνια Ἀρριανῷ τε καὶ Ἀσινίῳ Κουαδράτῳ.*

1) Lécrivain, *Note sur l'historien Acholius, une des sources de l'histoire Aug.* in *Revue des études anciens* I 2 (1899) p. 141—143, qua nota legentes in inscriptionem Graecam Sardianam conuertit, in honorem Acholii praefecti Lydiae positam, quam noui ex eiusdem studiis de hist. Aug. p. 402.

2) Vid. de hoc officio Hirschfeld *Verwaltungsgesch.*² p. 310.

Atque prioris quidem operis inscriptio quattuor fragmentis a Stephano Byzantio ad breuiatam formam *Χιλιάδος* relatis *(fr. 1—4)* confirmatur, sed quod spatium mille annorum Quadratus ab urbe condita complexus sit quaeritur. nam si usque ad initia imperii Alexandri Seueri (a. 222—235), hic millesimum urbis annum celebrare sine dubio non omisisset, cuius rei mentio nusquam facta est.[1]) neque illud sub Alexandro, quem usque ad a. 248 uitam producturum esse speraret, incohare, tum propter acerbam eius mortem sub Philippis absoluere potuit: ita enim etiam res ab his gestae ei describendae fuerunt. hoc unum igitur relinquitur, ut censeamus Quadratum, cum sub Alexandro, qui annum quartum decimum agens regnum adeptus erat, fautore scriptorum litterarumque, millesimum urbis annum se uisurum esse pro certo haberet, illud opus praecepto uno fere anno iam ad finem perduxisse, tum uero, cum iam in eo esset, ut ille dies festus celebraretur, Alexandrum subita morte interisse. atqui Castor Romam esse a. 764 a. Chr. n. conditam esse computauerat, quem apud Graecos etiam tum (uelut apud Eusebium) magna auctoritate floruisse constat, ut annus 236 p. Chr. urbis millesimus esse eis uideretur. Philipporum autem maxime interfuisse omnia uestigia talis apparatus delere per se elucet. sic Vossii *(Hist. gr. p. 286 West.)* dubitatio de Suidae auctoritate remouetur.

Euagrii fontes rerum Romanarum perlustrantis eo capite testimonium ad Parthica Asinii Quadrati pertinet et a Stephano Byzantio multis locis et a Capitolino citata. nam quod Eusebium res ab Octauiano, Traiano, Marco usque ad Cari mortem deduxisse, tum de his temporibus quaedam ab Arriano et Asinio Quadrato scripta esse refert, illos ut clarissimos Parthorum uictores nominauit, Arrianum autem bella a Traiano cum Parthis gesta tradi-

1) C. Mueller Fr. H. G. III p. 659 millesimum urbis annum ab initiis Alexandri regni reputans anno 776 urbem conditam esse Asinium uoluisse conclusit, unde postquam G. Treu titulum Olympicum (*Ἡ Ὀλυμπικὴ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν Ἠλείων Γ[άιον] Ἀσίνιον Κουαδρᾶτον, ἀνθύπατον, ὕπατον ἀποδεδειγμένον, τειμήσαντα τὴν Ὀλυμπίαν καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ* Dittenberger I p. 625 n. 417) ad hunc scriptorem rettulit, eum a senatu Olympico populoque Eleo statua ornatum esse, quod 'in prooemio de mira illa, quae inter origines urbis et ludorum Olympicorum intercederet temporis ratione uerba fecisset', Dittenberger l. a. sagaciter suspicatus est neque tamen mihi persuasit. ceterum rerum scriptorem proconsulatus atque consulatus honoribus functum esse Dionis et Marii Maximi exemplis ueri simile fit.

disse constat *(Mueller Fr. H. Gr. III p. 586 sqq.)*, cuius exemplum imitatus Asinius habuit, cur memoriam illorum bellorum redintegraret patronumque suum Alexandrum, cum a. 232 et 233 Parthos 'gloriosissime' uicisset *(Eutrop. VIII 23)*, iuxta illos poneret, qua quidem re denuo eius scriptio ad ultimos eius imperatoris annos ducitur. ceterum in Alexandri usum contra Alamannos Germanosque post Parthos expeditionem parantis forsitan etiam Germanica conposuerit, quorum accurata descriptio *(fr. 10)* nec in chiliade nec in Parthicis locum habuit. sermo, qui etiam nunc in chiliadis fr. 2 apparet, ionicus num etiam in Parthicis adhibitus sit, nescitur; Arrianus quidem in Indicis eo usus erat.

Fragmentorum uiginti quattuor propter geographica excerpta Stephano Byzantio chiliados uel chiliarchias librum quartum decimum, Parthicorum nonum citanti debemus, ad quem nescio quo riuo fragmenta Parthicorum fortasse cum Arriano copulata delata sint, singula Xiphilino *(fr. 8)*, Zosimo *(9)*, Agathiae *(10)*[1]), unde apud Byzantinos hos libros diu seruatos et excerptos esse intellegimus, tum Capitolino *(30)* et Vulcacio Gallicano *(31)*, cuius tamen fragmentum num ex ipso Quadrato originem ducat dubium est *(Klebs m. Rh. 43 p. 339)*.

AVCTORES A TREBELLIO POLLIONE ET FLAVIO VOPISCO NOMINATI[2])

Opportune accidit, ut hos scriptores coniungere possimus, cum nec series harum reliquiarum libris alius, qui in hoc temporis spatio (a Valeriano usque ad Diocletianum, a. 253—284) tractando uersatus sit, interrumpatur et fides argumentorum eodem loco ponenda sit. nam etsi non dubito, quin scriptores nominis a Trebellio Vopiscoque citati illud tempus descripserint, hi tamen non ueriti sunt res, quas ad eorum auctoritatem referunt, facile atque etiam temere mutare, ut summa cautione in eis adhibendis opus sit *(Die Script. h. A. p. 238 sq.)*. satis autem duxerunt semel

1) Teuffel (Encycl. I² 2 p. 1868) ab eo falso Quadratum pro Pollione positum esse censet.
2) V. Geschichtl. Litter. I p. 438 sqq.

quemque nominasse, ut diligentia sua gloriarentur, praeter Onesimum, cuius quidem memoria etiam apud Suidam seruata est, eosque, ut etiam fidem quandam praestare uiderentur, elegerunt, qui rebus, quas describerent, maxime aequales essent; uelut Maeonius Astyanax consilio a. 267, cuius orationes rettulerat, ipse interfuit, Claudius Eusthenius, qui de uitis ipsius Diocletiani, Maximiani, Galerii, Constantii citatur, 'Diocletiano ab epistulis fuit', atque quod intercedit temporis spatium inter Vopiscum, qui uitas suas scripsit a. 305—311, et Aurelium Festiuum, libertum Aureliani, qui de Firmo tyranno citatur, Suetonium Optatianum, qui de uita Taciti, Fabium Ceryllianum, qui de temporibus Cari, Carini, Numeriani, tam angustum est, ut etiam ceteri scriptores ad ipsas illas res retrahantur.

Atqui et Trebellium et Vopiscum, etsi saepe de ueritate historiae declamauerunt, cum toti in adulationem laudationemque imperatorum effusi essent, etiam eos auctores, qui suae causae seruirent, non solum in usu sed etiam in citatione praetulisse per se probabile est *(uid. Die Script. h. A. p. 5 sqq.)*, idque confirmatur rebus ad eorum auctoritatem relatis. nam cum Trebellius propter Constantii fauorem imperatorem Claudium ut unum ex eius maioribus uerbis suis in caelum tolleret, sequebatur, ut et Gallienum, cui successerat, non minus deprimeret atque infamaret et tyrannorum, qui contra eum imperium arripuissent, uirtutes et laudes praedicaret. abundant exemplorum multitudine eius ipsius uitae, sed iam Palfurius Sura, 'qui ephemeridas Gallieni uitae composuit', ad quem qui 'cuncta' de eo scire uelit relegat, postquam de moribus eius largam copiam rerum friuolarum et uoluptatum inseruit *(16, 1—18, 5)*, eius famae obtrectasse uidetur, contra Maeonius Astyanax Macrianum eiusque filios, Cornelius Capitolinus Odenatum Zenobiamque laudauerat, Dagellius Fuscus Tetricum iuniorem, Aureolum Gallus Antipater, a quo quod Trebellius discedit, hic tyrannus ab ipso Claudio oppressus est.

Similiter Vopiscus ubi Aurelianum laudat, ex Callicrate Tyrio omina, quibus ei imperium portenderetur, ex Theoclio, Graeco scriptore, uersus militares, quibus eius fortitudo celebraretur, ex Nicomacho Zenobiae epistulam, qua eius superbia significaretur, in suas uitas transtulit, quos ex hac societate propter eandem rationem res describendi excludere nolui, ex Aurelio Festiuo, imperatoris liberto, nugas de Firmo tyranno ab eo uicto, contra ad laudem Probi, quod ut exemplar uirtutis imperatoriae illustrandum

Vopiscus sibi proposuerat, atque Diocletiani pertinent tyrannorum Proculi Bonosique et imperatoris Carini infamationes apud Onesimum et Fuluium Asprianum.

Sed persequar singulos, etsi pauca habeo quae addam. nam pleraque singulis uel testimoniis, quae ad uerbum descripta nunc colligam, uel fragmentis, quae infra recensebo, continentur.

De Caelestino, quem auctorem Trebellius etiam in uita Gallieni *(14, 9)* esse secutus uidetur, uid. fr. 1 c. adn. p. 147.

De Palfurio Sura hoc est testimonium Trebellii Gall. 18, 6: *Longum est eius* [Gallieni] *cuncta in litteras mittere, quae qui uolet scire, legat Palfurium Suram, qui ephemeridas eius uitae composuit.* erat enim hoc Romae ab Augusto constitutum, ut liberti facta dictaue in commentarios referrent, quod munus Alexandri Seueri aetate ad tantam auctoritatem peruenerat, ut etiam ad eos, qui officio 'a mandatis' perfuncti essent, deferretur. nam quod in inscriptione Theoprepes 'procurator ab ephemeride' commemoratur *(Gesch. Litt. I p. 350 sq. 370 sq.)*, Graecum uerbum pro Latino substitutum exstat, ut etiam a Symmacho *ep. IV 18, 5* Caesaris 'ephemeris' citatur atque a Vopisco Aureliani 'ephemerides' *(uid. infra p. CCII sq.)*. tum uero quem ad modum Eumenes, Diodotus, Strattis ipsius regis Alexandri ephemerides retractatas suis nominibus ediderunt, sic etiam Sura Gallieni *(Gesch. Litt. I p. 371)*, cuius uoluptates quod ut etiam Trebellii taedium moueret tot enumerauit, explicari non potest nisi ita, ut eum adulandi Claudium causa eas recoxisse coniciamus. num praeter c. 16, 1—18, 5 Trebellius eum ante oculos habuerit, quod Enmann *Kaisergesch. p. 376* uoluit, certa uestigia non apparent.

Iulius Atherianus uel Haterianus *(uid. fr.)* rhetor Gallicus uidetur fuisse et *(sic Ribbeck Proll. ad Vergil. p. 177 sq.)* fortasse idem, quem scholia Veronensia Vergiliana et Macrobius (*sat. III 8, 2,* ubi Caluus dicitur) Aeneidis textum et emendasse et illustrasse tradunt.

Maeonii Astyanactis *(u. fr.)* et nomen et orationes a Trebellio ficta esse Woelfflin *(Bayer.Academie Sitzungsber. 1891 p. 509 sq.)* suspicatur, uid. *Die Script. h. A. p. 233.*

De Cornelio Capitolino uid. fr. p. 149.

De Dagellio Fusco siue, ut uoluit Salmasius *(etiam Dessau Herm. 24, 353)*, Arellio Fusco uid. fr. p. 149.

De Gallo Antipatro uid. fr. p. 149.

De Callicrate Tyrio, 'Graecorum longe doctissimo scri-

ptore', Theoclio, Caesareanorum temporum scriptore, Nicomacho[1]), item Graecis, uid. fr. cum adnot. crit. p. 149 sq., quos quidem Vopiscus significauit iam in prooemio uitae Aureliani[2]), tum coniunxit his locis 15, 2 *Memini me in quodam libro Graeco legisse, quod tacendum esse non credidi, mandatum esse Crinito a Valeriano, ut Aurelianus adoptaretur, idcirco praecipue, quod pauper esset, sed hoc in medio relinquendum puto.* et 16, 2 sq. *Hoc loco tanta est diuersitas historicorum, et quidem Graecorum, ut alii dicant inuito Claudio ab Aureliano Aureolum interfectum, alii mandante ac uolente, alii ab imperatore iam Aureliano eundem occisum, alii uero adhuc a priuato. sed haec quoque media relinquemus, ab ipsis petenda, per quos in litteras missa sunt.*[3])

Asclepiodotum in hoc numero deesse nolui, quamquam uix recte hunc locum obtinet. nam si codicis scripturam sequimur, altero loco Asclepiodotus rem a Diocletiano, qui eam a Gallicanis druidibus compererat, uel, si cum Mommseno *(Herm. 25 p. 258) a* ante eius nomen interponimus, qui eam cum Asclepiodoto communicauerat, ad Celsinum auctorem Vopisci detulit; itaque cum priore et Vercon(n)io Herenniano et Vopisco testis esse potuerit, illa similitudine eo ducimur, ut Asclepiodotum praefectum praetorio Diocletiani *(Prosop. I p. 190 n. 158)* Vercon(n)io Herenniano, item eius praefecto *(Borghesi Oeuvr. X p. 147)*, quos duces praeclarissimos ex Probi disciplina euasisse tradit *(in uita Probi 22, 3)*, hunc sibi sermone auctores fuisse dicere uoluisse Vopiscum censeamus *(Die Scr. h. A. p. 6 sq.)*.

De Aurelio Festiuo uid. fr. p. 152.

De Suetonio Optatiano hoc est testimonium Vopisci, qui

---

1) Hic perperam cum eo Nicomacho, qui Apollonii uitam e Philostrato exscripsit (Sidon. ep. VIII 3, 4), si hic consul a. 394 fuit, a Vossio, Muellero Fr. H. Gr. III 661 confusus est (Jahn Berichte d. saechs. Gesellsch. 1851 [III] p. 348), rectius fortasse cum Nicostrato apud Euagrium V 24 *Νικοστράτου τε τοῦ σοφιστοῦ τοῦ ἐκ Τραπεζοῦντος συγγράψαντος τὰ ἀπὸ Φιλίππου τοῦ μετὰ Γορδιανὸν ἐκτίθεται ἕως Ὀδαινάθου τοῦ ἐκ Παλμύρας καὶ τῆς Οὐαλεριανοῦ πρὸς Πέρσας αἰσχρᾶς ἀφίξεως.* nam summa cum leuitate a Vopisco nomina adlata esse constat.

2) 1, 4 *cui cum ego respondissem neminem* [de uita Aureliani] *a me Latinorum, Graecorum aliquos lectitatos et q. s.* § 9 *accepi libros Graecos,* § 10 *tu uelim meo muneri boni consulas et, si hoc contentus non fueris, lectites Graecos.*

3) c. 24, 8 Graecos libros de uita Apollonii Thyanaei scriptos Vopiscus intellegi uult.

postquam c. 10 et 11, 1—6 de imperatoris Taciti uita priuata multa enarrauit, sic concludit: *Multa huius feruntur, sed longum est ea in litteras mittere, quod si quis omnia de hoc uiro cupit scire, legat Suetonium Optatianum, qui eius uitam adfatim scripsit.*

De M. Saluidieno uid. fr. p. 153.

Fabius Ceryllianus, de quo uide fr. p. 153, fictionem Cari laudatorum minuisse uidetur, cum Romae eum genitum esse negaret.

Ex Fuluio Aspriano Vopiscus, quae de Carini uitiorum foeditate effudit c. 16. 17, 1—6, sumpsisse uidetur; sic enim abrupit § 7: *Longum est, si de eius* [Carini] *luxuria plura uelim dicere. quicumque ostiatim cupit noscere, legat etiam Fuluium Asprianum usque ad taedium gestorum eius uniuersa dicentem.*

Claudius Eusthenius, qui Diocletiano ab epistulis fuit, singulis libris Diocletiani, Maximiani, Galerii, Constantii uitas scripsit, de quo uide Vopiscum Car. 18, 4 *Quattuor sane principes mundi* [Diocletianus, Maximianus, Galerius, Constantius] *fortes, sapientes, benigni et admodum liberales, unum in rem p. sentientes, semper reuerentes Romani senatus, moderati, populi amici, persancti, graues, religiosi et quales principes semper optauimus, quorum uitam singulis libris Claudius Eusthenius, qui Diocletiano ab epistulis fuit, scripsit, quod idcirco dixi, ne quis a me rem tantam requireret, maxime cum uel diuorum principum uita non sine reprehensione dicatur.*

Onesimus sex locis a Vopisco auctor citatus 'diligentissime uitam Probi scripserat' *(fr. 3)* atque, cum quattuor ad Carum Carinumque pertineant, 'scriptor uitae Probi' dicitur *(fr. 2)*, quae dissensio facile ita expediri potest, ut etiam res, quae post eum gestae essent, ad eius laudem reuocatas esse censeamus. omnino enim, ut qui eum imitatus est Vopiscus, id egit, ut tyrannis, qui sub Probo imperium affectassent, atque Carino omnia uitia exprobrans et Probum et Diocletianum Constantiumque illustraret; nam causae eorum imperatorum, in quorum gratiam scribebatur, atque eorum, qui ab eo, cui successerant, remoti erant, artis uinculis coniunctae erant *(Die Scr. h. A. p. 176 sqq.)*. Cari autem uirtus, quae etiam tunc uulgi ore celebrabatur, foeditate filii obscurabatur et oblitterabatur, quae ut in praesentium imperatorum laudem uerteretur, etiam Carum patrem in eius locum Constantium subrogare uoluisse fingebatur *(fr. 5 sq.)*. atqui etiam Suidas Onasimum in indicem suum

recepit s. u. *II 1 c. 1121 Bhdy.*: *Ὀνάσιμος, Κύπριος ἢ Σπαρτιάτης, ἱστορικὸς καὶ σοφιστής, τῶν ἐπὶ Κωνσταντίνου γενομένων. ἔγραψε στάσεων διαιρέσεις, τέχνην δικανικὴν πρὸς Ἀψίνην, περὶ ἀντιρρητικῆς τέχνης, προγυμνάσματα, μελέτας, ἐγκώμια καὶ ἄλλα πλεῖστα*, ubi eum more suo diuersos scriptores miscuisse iam ab aliis animaduersum est *(Brzoska ap. Pauly-Wiss. II c. 278)*. nam qui referuntur tituli librorum rhetoricorum, fuerunt Onasimi sophistae Atheniensis, patris Apsinis, item Atheniensis sophistae, filii Apsinis Gadarensis. Onesimus igitur Suidae *ἱστορικός* patria utebatur ab Atheniensi diuersa, aetas autem et cum hoc et cum illo conuenit, quoniam nisi omnino cum codice Parisino B scripturam *τῶν ἐπὶ Κωνσταντίῳ* praeferimus, certe Probi uitam, quam ante a. 311 Vopiscus cognouit, Onesimus adulescens componere potuit, fortasse inter alia *ἐγκώμια*, quae Suidas commemorauit.

TVRDVLVS GALLICANVS

Inter fontes suos Vopiscus in Probo *c. 2, 1 sq.* praeter libros ex bibliotheca Vlpia et ex domo Tiberiana, regesta scribarum porticus Porphyreticae, acta senatus ac populi enumerat etiam huius ephemeridem: *et quoniam me ad colligenda talis uiri gesta ephemeris Turduli Gallicani plurimum iuuit, uiri honestissimi ac sincerissimi, beneficium amici senis tacere non debui.* quam quidem ephemeridem nomine omisso — neque enim eam ab alia distinguere necesse erat — duobus locis citauit, altero fragmentum inter epistularum fictarum farraginem inserens, etsi etiam dubito, num illius amici senis ephemeride Vopiscus uere usus sit. *Die Script. h. A. p. 238.*

IMPERATOR L. DOMITIVS AVRELIANVS

(imperator a. 270—275.)

Etiam hic memoriae suae consuluerat, cum et ephemerides et 'bella charactere historico digesta' scriberet. nam in prooemio uitae Aureliani Vopiscus Iunium Tiberianum se cohortantem, ut ad historiam accedat, facit etiam haec dicentem *(1, 6)*: *et tamen, si bene noui, ephemeridas illius uiri scriptas habemus, etiam bella*

charactere historico digesta, quae uelim accipias et per ordinem scribas additis, quae ad uitam pertinent. quae omnia ex libris linteis, in quibus ipse cotidiana sua scribi praeceperat, pro tua sedulitate condisces. curabo autem, ut tibi ex Vlpia bibliotheca et ⟨alii⟩ libri lintei proferantur. interposui autem '*alii*', ut tenor sententiarum restitueretur; totam enim Aureliani scriptionis hereditatem Vlpia bibliotheca seruatam esse ex fine capitis intellegitur, quo Vopiscus duo genera fontium distinguit, Graecorum auctorum, de quibus § 4 uerba fecerat, et linteorum librorum illius bibliothecae *(uid. Die Script. h. A. p. 165).* neque uero publico usui ephemeridas Latine compositas destinauerat, id quod et materia et praecepto scribendi significatur *(cf. CLXXXXVIIII)* atque etiam de 'bellis' ueri simile est.

IMPERATOR FLAVIVS VALERIVS CONSTANTINVS

(natus breui post a. 280, imperator 306—337.)

Ioannes Lydus in libris de magistratibus duobus locis nos ad eum reuocat, priore, quo de nomine Constantinopolis agit *(fr. 1)*, ad eius *Διαλέξεις, ἃς αὐτὸς οἰκείᾳ φωνῇ γράψας ἀπολέλοιπεν*, altero *(fr. 2)* ad eius '*συγγράμματα*', quo de consilio belli Parthis inferendi. pertinent igitur ad ultimum Constantini imperium. quem tamen non ipsa uoluntate ad scribendum inductum esse ex eius indole per se apparet *(Gesch. Litt. I 96 sqq.)*; sed quae causa fuerit dubitamus, nam ne de argumentis quidem inscriptionibus certo docemur, quarum illa parum accurate esse dicta uidetur — quis enim eum sua colloquia posteris tradidisse putauerit? — haec parum proprie; itaque proximum fuit de commentariis uel ephemeridibus imperatoris minus docti cogitare.

TATIVS CYRILLVS

Simile is consilium atque Capitolinus, cum ad imperatorum uitas componendas rediret, ab imperatore Constantino iussus ceperat, cum ut ille Herodianum, sic 'Graeca' in Latinum uerteret et complures imperatores, si materia permitteret, singulis libris coniungeret. scriptor igitur fuit aulicus, fortasse idem qui a Vopisco Fabius Cerylliauus nominatur. solum testimonium de eo hoc est: *Capitolini Maxim. 1, 1 Ne fastidiosum esset clementiae*

tuae, Constantine maxime, singulos quosque principes uel principum liberos per libros singulos legere, adhibui moderationem, qua in unum uolumen duos Maximinos, patrem filiumque, congererem. seruaui deinceps hunc ordinem, quem pietas tua etiam ab Tatio Cyrillo, clarissimo uiro, qui Graeca in Latinum uertit, seruari uoluit. quod quidem non in uno tantum libro sed etiam in plurimis deinceps reseruabo, exceptis magnis imperatoribus, quorum res gestae plures atque clariores longiorem desiderant textum.

NAVCELLIVS


Ad Naucellium Q. Aurelius Symmachus aetate iam prouectum c. a. 400 septem epistulas *(III 10—16. cf. Seeck ed. Symm. praef. p. cxxvi)* de litterarum commercio dedit. erat autem laudator uetustatis scribebatque epistulas 'Tulliano segmentatas auro' *(III 12, 2)* et carmina laboriosa conficiebat *(11, 4. 13, 2)*, abhorrebat igitur a delenimentis sermonis suae aetatis atque Symmachum ipsius uerbis 'spectatorem ueteris monetae solum' praedicabat *(11, 2)*. sed ad nos pertinet hoc de eius libris testimonium Symmachi *(epist. III 11): Stet igitur inter nos ista pactio, ut me quidem iuuet uetustatis exemplar de autographo tuo sumere, te autem non paeniteat scriptorum meorum ferre nouitatem. non silebo alterum munus opusculi tui, quo prisca cuiusque gentis*[1]) *ex libro Graeco in Latinum transtulisti. arma ab Samnitibus, insignia a Tuscis, leges de lare Lycurgi et Solonis sumpseramus. tuus nobis post haec addidit labor peregrina monumenta, quae iam sui nesciunt. nunc uere ciuitas nostra populorum omnium parens facta est; docere enim singulas potest antiquitates suorum. ipsa uero per se materia*[2]) *digna laudari quanto uerborum stellatur auro? nescias cultu an rebus magis uoluminis honor gaudeat.* uertit igitur Aristotelis uel Dicaearchi uel alius eius generis scriptoris πολιτείας, idque eam ob causam, ut, quo uerbis Sallustianis citatis[3]) ducimur, Posido-

1) huius *codd.* nationis *Seeck* gentis *Mommsen* rei p. *uulgo.*
2) pars materiae *uulgo em. Seeck.*
3) Catil. 51, 38 *Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt.*

nium secutus *(cf. Wendling Herm. 28 p. 345)* Romanos aliarum gentium antiquitates doceret, quas ipsi imitati essent.

NICOMACHI ET SYMMACHI[1])

Hi agmen claudunt, qui cum principes factionis gentilium essent, et litteris et auctoritate sua per centum annos Romanam antiquitatem tuebantur et retinebant. sed ne in enarranda consanguinitate et affinitate longus sim, stemma ex Fragmentis hist. Rom. Seeckii doctrina *(p. XL)* correctum huc transferam:



Primus igitur historia in his familiis inclaruit Virius Nicomachus Flauianus *(n. 1)*, natus a. fere 334, aequalis Q. Aurelii Symmachi cos. 391, notissimi illius oratoris, cuius scripta ad nos peruenerunt. cum tamen hic arte dicendi publice floreret, ille tempestatibus illius aetatis publicis saepe in otium reuocatus philosophiae et iuris auguralis scientiae uacauit *(Macrob. sat. I 5, 13. Seeck p. CXIV sqq.)*, uitam Apollonii Tyanei 'e Philostrati schedis' exscripsit *(Sid. Apoll. ep. VIII 3)* atque idem annales, etiam titulo ueteres imitatus, ad imperatorem Theodosium misit, cuius fauore post a. 383 per aliquot annos usus etiam quaesturam sacri Palatii adeptus est, tum uero imperatori Eugenio se addixit et cum eo uictus sua manu mortem obiit (a. 394). honores

1) Vid. Seeck *praef. ad Symm. p. XXXIX sqq. CXII sqq.* Gesch. Litter. *II p. 30 sq. 32 sqq.*

tamen ei etiam a christianis imperatoribus Flauio Theodosio et Flauio Placido Valentiniano a. 431 restituti sunt edictumque imperatorum in lapide additum sic eius annalium meminit *(C. I. L. VI 1 n. 1783 p. 400): patres conscripti — intellegitis — diui aui nostri uenerationem esse, si eum, quem uiuere nobis seruariq(ue) uobis — optauit, sic in monumenta uirtutum suarum titulosq(ue) reuocemus, ut, quidquid in istum caeca insimulatione commissum est, procul ab eius principis uoto fuisse iudicetis; cuius in eum effusa beniuolentia et usqu(ue) ad annalium, quos consecrari sibi a quaestore et praefecto suo uoluit, prouecta excitauit liuorem inproborum.* eandem laudem Q. Fabius Memmius *(n. III)* in altero lapide eius honori seruiente praedicat *(C. I. L. VI 1 n. 1782 p. 399): Virio Nicomacho Flauiano u. c. quaest., praet. pontific. maiori, consulari Siciliae, uicario Africae, quaestori intra Palatium, praef. praet. iterum, cos. ord., historico disertissimo, Q. Fab. Memmius Symmachus u. c. prosocero optimo.*

Solis tamen autem his lapidibus memoria eius historiae seruata est. nam christiani quamquam rotunditatem orationis Symmachianae legebant, admirabantur, imitabantur, tamen omnia delebant, quae religioni suae periculum facessere uiderentur. itaque epistulas ad gentilium fautores, Maximum, Eugenium aliosque datas ex illius corpore eiecerunt. sic non mirabimur, quod et Flauiani annales obliuione scriptorum obruti sunt et alius cuiusdam Symmachi amici opus, qui, ut hic ait, 'omnem operam condendae historiae deputauerat' atque 'euentus rei p. prosperos parili sermone ornauerat' *(IX 110. 72)*.

In hac familia mansit antiquitatis studium. nam quod Symmachus orator parauerat, ut totum Liuium relegeret et emendaret, huius muneris partem perfecerunt eius gener, Nicomachi historici filius Nic. Flauianus pr. pr. *(n. 2)*, qui libros VI—VIII, et huius filius App. Nic. Dexter, pr. u. *(n. 3)*, qui libros III—V emendauit, hoc spectantes, ut ad lectionem ueterum scriptorum sua diligentia explicatam homines suae aetatis reuocarent ingruentique nouae religioni resisterent *(Gesch. Litt. I p. 137 sqq.)*. tum per Gallam historia transiit ad Symmachos desiitque in Q. Aurelio Symmacho *(n. IV)*, de quo egregium testimonium Cassiodorii habemus: *Symmachus patricius et consul ordinarius, uir philosophus, qui antiqui Catonis fuit nouellus imitator, sed uirtutes ueterum sanctissima religione transcendit. dixit sententiam pro*

allecticiis in senatu parentesque suos imitatus historiam quoque Romanam septem libris edidit. quod anecdoton ab Alfredo Holder in codice Caroliruhensi inuentum Hermannus Vsener (a. 1877) publici iuris fecit enarrauitque suo more tam docte et subtiliter, nihil ut nunc addi possit *(p. 17—36. Gesch. Litt. II p. 33).*

Tantum igitur tum tempora mutata erant, ut ille 'antiqui Catonis nouellus imitator', 'uir philosophus', Macrobii emendator, patricius consulque ordinarius (a. 485), per uiginti annos princeps senatus summo studio christianorum causam tueretur et propter fidei suae constantiam a Theoderico Arii sectatore cum Boethio genero a. 525 occideretur. sed ut in huius libris eruditio ueterum Romanorum est, species externa christiana, ita Symmachi quod unum restat fragmentum historiae quasi fuco christiano ex Orosio adsperso imbutum est, cum materiam ex gentili auctore repeteret. haec enim tota Capitolini est eaque ita excerpta, ut Maximini uirtutes, quibus a natura instructus esset *(uid. infr. adn. p. 156 sq.)*, quo luculentius eum breuitate imperii poenas persecutionis Christianorum soluisse doceret *(cf. Oros. VII 19, 1. Hieron. ad a. 2252 Abr. p. 179 Sch.)*. quos flores quod barbarus scriptor paulo post (a. 551), cum de origine actibusque Getarum scriberet, libenter arripuit et in suum usum transtulit, non ita mirabimur.

SCRIPTORES AETATIS OMNINO INCERTAE

Quoniam ordinem secundum auctores, qui eos citauerunt, institui, primi tractabuntur

Fabius Vestalis. Deculo. Cornelius Valerianus sola Plinii naturali historia nobis noti. Ex Fabio quaedam de primo solario Romae statuto inseruit, sed desiderauit accuratiora, rationem uel artificem, unde translatum esset aut apud quem scriptorem inuenisset, unde eum Fenestellae more res Romanas et antiquitates composuisse colligimus. nam quod in indice libri XXXV eius nomini addidit '*qui de pictura scripsit*', hunc librum ab eo, quo in ceteris libris usus sit, diuersum esse significat. quae tamen praeter illum locum libri septimi in libris XXXIV[1]) et XXXVI, in

1) Muenzer p. 354 sqq. § 48 ad Vestalem parum certa argumentatione reuocauit.

quorum indice nominatur, sumpserit, ignoramus. tempore autem paulo eum antecessisse et post opus absolutum in eius cognitionem uenisse uidetur. fragmentum quidem illud tenorem expositionis interrumpit nomenque in indicibus non solum libri septimi, ubi etiam in contextu ante Varronem agmen auctorum citatorum claudit, sed etiam librorum XXXIV et XXXV ultimum locum obtinet *(Urlichs Quellenregister p. 12 sq. Muenzer p. 353 sq.)*. ceterum quod de loco primi solarii Romani Vestalis prodiderat, etiam Censorini auctori notum fuit *(uid. adnot.)*, etsi ab eo inspectum eum ipsum esse sumere nolumus.

Deculonem sub imperatore Tiberio scripsisse ex ipso fragmento elucet, praeter quod usum eo esse Plinium etiam in libro X indice discimus, sed quibus locis omnino incertum est *(Muenzer p. 400 sq.)*.

Cornelii Valeriani operis formam clarius exprimere acri sagacitate Muenzer *p. 370—384* studuit. citauit enim eum Plinius in indicibus librorum VIII. X. XIV. XV atque in ipsis libris X *(5)* et XIV *(11)*. argumentis non multum uidetur a Vestale et Deculone abhorruisse et, ut Muenzero Senecae de breuitate uitae c. 13, 3 *(his diebus audiui quendam referentem, quae primus quisque ex Romanis ducibus fecisset)*; 6; 8 comparanti placet, a. 47/800—48/801 exposuisse, 'quae primus quisque ex Romanis ducibus fecisset', certe post a. 36/789 res memoria dignas, quales colligere tum in more erat, conscripsit. quae praeter duo fragmenta a nobis enotata ex Plinio et Seneca Muenzer ad eum rettulerit, persequere apud ipsum.[1])

Pescennium Festum, qui praeter Lactantii locum nobis ignotus est, a Rohdenio *(Prosop. III p. 24 n. 181)* cum eo, qui a Septimio Seuero occisus est, coniectura confusum, num iure in numerum nostrum receperim, dubito. nam siue 'per saturam' cum 'historiarum' coniungimus, *ποικίλην ἱστορίαν* Lactantius uertere uoluisse uidetur, siue cum 'refert', historiam continuo filo pertextam non scripsit.

A Bruttio Flauiae Domitillae martyrium commemoratum esse testes fuerunt Eusebius in chronicis, ex quo sua sumpsit Syncellus, et Malalas, ex quo chronicon Paschale *(cf. fr. 3 cum*

---

1) Qui a Plinio in indice libri III et in textu § 108 citatur 'Valerianus', alius est.

adnot. Gesch. Litt. II p. 172 sq.), etsi nomen diuerse iam ab interpretibus Eusebii corruptum est, ab Armenio in Brettium, a Syrio in Burtnum, tum a Malala in Bottium uel Buttium. eundem autem, id quod dudum perspectum est, Eusebius in historia ecclesiastica significauit *(III 18)*, ubi haec eius uerba sunt: *Εἰς τοσοῦτον δὲ ἄρα κατὰ τοὺς δηλουμένους [i. e. sub Flauiis] ἡ τῆς ἡμετέρας πίστεως διέλαμπε διδασκαλία, ὡς καὶ τοὺς ἄποθεν τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου συγγραφεῖς μὴ ἀποκνῆσαι ταῖς αὐτῶν ἱστορίαις τόν τε διωγμὸν καὶ τὰ ἐν αὐτῷ μαρτύρια παραδοῦναι, οἵ γε καὶ τὸν καιρὸν ἐπ' ἀκριβὲς ἐπεσημήναντο, ἐν ἔτει πεντεκαιδεκάτῳ Δομετιανοῦ μετὰ πλείστων ἑτέρων καὶ Φλαουίαν Δομετίλλαν ἱστορήσαντες, ἐξ ἀδελφῆς γεγονυῖαν Φλαουίου Κλήμεντος, ἑνὸς τῶν τηνικάδε ἐπὶ Ῥώμης ὑπάτων, τῆς εἰς Χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν εἰς νῆσον Ποντίαν κατὰ τιμωρίαν δεδόσθαι (cf. fr. 3).* atqui Malalas, qui secundum Gutschmidium Iulio Africano usus est, et illud martyrium ad eundem scriptorem (*τὸν σοφώτατον Βούττιον*, *ἱστορικὸν χρονογράφον fr. 1*) rettulit et Bottium (*σοφώτατον fr. 2, τὸν σοφὸν χρονογράφον fr. 3 adn.*) Danaes stuprum Euhemeri ratione explicantem fecit *(fr. 1)* Alexandrumque ut totius orbis terrarum liberatorem praedicantem *(fr. 2)*. quibus quidem fragmentis, quod Eusebius a fide christiana Bruttium abhorruisse dixit, confirmari uidetur. at uero discrepantia argumentorum tanta est, ut recte Gelzeri dubitationem mouerit *(Iul. Afric. I p. 282 sq.)*, qui pia fraude illud opus Bruttii nominis nobilitate commendatum a christiano aliquo fictum esse suspicatus est, Eusebium tamen atque Iulium Africanum uel Malalam nos fallere noluisse sed ipsos cum alias tum hic deceptos esse concessit.[1])

---

1) Haec coniectura mihi magis arrisit quam Bourieri (*Ueber die Quellen der ersten 14 Bücher des Joh. Malalas.* Progr. Augsb. Steph. 1900 p. 44 sqq.) in fr. 1 pro Buttio Ouidium interponentis (coll. amor. III 8, 2 sqq.). — Brunichii quoniam Teuffel in hist. litt. Rom.[5] p. 64 mentionem fecit, non omnino omittam. nititur sola Malalae auctoritate (VII p. 187 D.), qui postquam inepta narratione diuersisque rebus et hominibus mixtis a 'Manlionis' et Februarii senatorum certamine originem moris alicuius repetiit (ex eo Georg. Credrenus I p. 263 Bk.), sic concludit: *ὅπερ γίνεται ἕως τῆς νῦν εἰς ἑκάστην πόλιν Ῥωμαίων. ἥντινα ἔκθεσιν ηὗρον ἐν Θεσσαλονίκῃ πόλει· καὶ ἀναγνοὺς ηὗρον ἐπιγεγραμμένην τὴν βίβλον· 'Ἔκθεσις Βρουνιχίου Ῥωμαίου χρονογράφου'.* hoc testimonium Niebuhr magni aestimauit (Hist. Rom. II[2] p. 688 sq.), etsi nomen Goticum non Romanum esse dixit, contra Gelzer (Iul. Afr. I p. 229)

Rubellium Blandum hic ponere malui quam inter scriptores aetatis imperatoris Tiberii, nam etsi hic historicus potest idem fuisse atque is Blandus, rhetor praeceptor, qui primus 'eques Romanus Romae docuit' *(Seneca contr. II praef. 5. cf. Prosop. III p. 136 n. 80)*, certa tamen indicia desunt.

Item omnino ignotus est Iuuentius Martialis[1]), cuius historiae Iulii Caesaris dictatoris hoc solum apud Sidonium Apollinarem testimonium habemus *(VIIII 14* [ad Burgundionem]): *Eminet tibi thematis celeberrimi uotiua redhibitio, laus uidelicet peroranda, quam edideras, Caesaris Iulii. quae materia tam grandis est, ut studentum si quis fuerit ille copiosissimus, nihil amplius in ipsa debeat cauere, quam ne quid minus dicat. nam si omittantur, quae de titulis dictatoris inuicti scripta Patauinis sunt uoluminibus, quis opera Suetonii*[2]), *quis Iuuentii Martialis historiam, quisue ad extremum Balbi ephemeridem fando adaequauerit?*

Pro Aemilio Sura infeliciter Reifferscheid *(Suet. rel. p. XVI sq.)* substituit Mamilium Suram a Plinio in naturali historia propter librum de re agraria citatum, obtineat locum suum hic scriptor a glossatore uetere ad Velleium adscriptus neque eius auctoritas contemnatur, qui Ctesiam secutus uniuersam historiam ab anno 2185 usque ad Antiochum uictum (190 a. Chr.) repetens in quinque partes diuisit *(Mommsen m. Rhen. 16 p. 282 sqq. Trieber Herm. 27 p. 337 sq.)*.

De Valente, nisi idem est atque Statius Valens *(uid. p. CLXXXX)*, nihil praeter hoc unum fragmentum accepimus.

---

maxime propter citationem Brunichium in ficticiis Malalae uel eius auctoris nominibus posuit neque eius fidem Bourier (qui hunc locum ex Timotheo fluxisse censet) restituit (l. s. p. 8).

1) De Reinesii coniectura apud Ammianum Marc. 28, 4, 14 pro Iuuenale Iuuentium interponentis u. supra p. CLXXXX.

2) Caesaris commentarios a Suetonio scriptos esse tum etiam alii arbitrati sunt.

RELIQVIAE

M. TVLLI CICERONIS

CONMENTARII GRAECI DE CONSVLATV SVO

1. *Plut. Crass. 13* Ἐν δὲ τοῖς περὶ Κατιλίναν πράγμασι μεγάλοις καὶ μικροῦ δεήσασιν ἀνατρέψαι τὴν Ῥώμην ἥψατο μέν τις ὑπόνοια τοῦ Κράσσου καὶ προσῆλθεν ἄνθρωπος ὀνομάζων ἀπὸ τῆς συνωμοσίας, οὐδεὶς δὲ ἐπίστευσεν. ὅμως δ' ὁ Κικέρων ἔν τινι λόγῳ φανερὸς ἦν Κράσσῳ καὶ Καίσαρι τὴν αἰτίαν προστριβόμενος. ἀλλ' οὗτος μὲν ὁ λόγος ἐξεδόθη μετὰ τὴν ἀμφοῖν τελευτήν. Ἐν δὲ τῷ περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα τὰ περὶ τὸν Κατιλίναν ἐξηγουμένην ὡς ἤδη βεβαιοῦντα τὴν συνωμοσίαν. 68/691

---

1. *Ex conmentario igitur haec fluxerunt uit. Cicer. 15* Οὐ πολλῷ δ' ὕστερον τούτων ἤδη τῷ Κατιλίνᾳ τῶν ἐν Τυρρηνίᾳ στρατιωτῶν [*sic Nolhac,* πραγμάτων *cod. Matrit.*] συνερχομένων καὶ καταλοχιζομένων καὶ τῆς ὡρισμένης πρὸς τὴν ἐπίθεσιν ἡμέρας ἐγγὺς οὔσης, ἧκον ἐπὶ τὴν Κικέρωνος οἰκίαν περὶ μέσας νύκτας ἄνδρες οἱ πρῶτοι καὶ δυνατώτατοι Ῥωμαίων, Μάρκος τε Κράσσος καὶ Μάρκος Μάρκελλος καὶ Σκηπίων Μέτελλος· κόψαντες δὲ τὰς θύρας καὶ καλέσαντες τὸν θυρωρὸν ἐκέλευον ἐπεγεῖραι καὶ φράσαι Κικέρωνι τὴν παρουσίαν αὐτῶν. ἦν δὲ τοιόνδε· τῷ Κράσσῳ μετὰ δεῖπνον ἐπιστολὰς ἀποδίδωσιν ὁ θυρωρὸς ὑπό δή τινος ἀνθρώπου κομισθείσας ἀγνώστου, ἄλλας ἄλλοις ἐπιγεγραμμένας, αὐτῷ δὲ Κράσσῳ μίαν ἀδέσποτον. ἣν μόνην ἀναγνοὺς ὁ Κράσσος, ὡς ἔφραζε τὰ γράμματα φόνον γενησόμενον πολὺν διὰ Κατιλίναν καὶ παρῄνει τῆς πόλεως ὑπεξελθεῖν, τὰς ἄλλας οὐκ ἔλυσεν ἀλλ' ἧκεν εὐθὺς πρὸς τὸν Κικέρωνα πληγεὶς ὑπὸ τοῦ δεινοῦ καί τι τῆς αἰτίας ἀπολυόμενος, ἣν ἔσχε διὰ φιλίαν τοῦ Κατιλίνα. Βουλευσάμενος οὖν ὁ Κικέρων ἅμ' ἡμέρᾳ βουλὴν συνήγαγε καὶ τὰς ἐπιστολὰς κομίσας ἀπέδωκεν οἷς ἦσαν ἐπεσταλμέναι, κελεύσας φανερῶς ἀναγνῶναι· πᾶσαι δ' ἦσαν ὁμοίως ἐπιβουλὴν φράζουσαι.

1, 9. κομίζοντα περὶ τοῦ Κατιλίνα καὶ ζητουμένην *uulg. em. Sintenis ex uita Cicer.*

M. TVLLI CICERONIS

DE CONSILIIS SVIS

1. *Ascon. ad Cic. in tog. cand. p. 74 K.-S.* Dico, p. c., superiore nocte cuiusdam hominis nobilis et ualde in hoc largitionis quaestu docti et cogniti domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis conuenisse.] Aut C. Caesaris aut M. Crassi domum significat. etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit consulatum, quod eius in dies ciuilem crescere dignitatem animaduertebant: et hoc ipse Cicero in expositione con- 65/689 siliorum suorum significat; eius quoque coniurationis, quae Cotta et Torquato coss. ante annum quam haec dicerentur, facta est a Catilina et Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse.

2. *Plutarch. Crass. 13 = Conm. graeci de cons. fr. 1.*

3. *Charis. I p. 146 K.* 'Vectigaliorum' Cicero ad Atticum; at enim in ratione consiliorum suorum, sed et de lege agraria 'uectigalium'.

4. *Augustin. contra Iul. Pelag. V 5, 23 (Migne X 1 c. 797 sq.)* Aures quoque hominis quo modo ei subderes inuenisti et erexisti eius [*pulcherrimae famulae*] uetustissimum quidem sed plane gloriosissimum titulum, commemorans, quod in expositione consiliorum suorum Tullius posuit, quia cum uinolenti adolescentes tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti, mulieris pudicae fores frangerent, admonuisse tibicinam, ut spondeum caneret, Pythagoras dicitur, quod cum illa fecisset, tarditate modorum et grauitate cantus illorum furentem petulantiam resedisse.

---

1. *Cf. argumentum eius orationis (a. 64/690) habitae p. 74:* Coierant enim ⟨ambo [*i. e. Catilina et Antonius*] ut⟩ Ciceronem consulatu deicerent, adiutoribus usi firmissimis M. Crasso et C. Caesare. *Vid. Lichtenfeldt De Ascon. font. p. 21.*

4. *Boet. de inst. mus. I 1 p. 184 ed. Friedl.* Cui enim est illud ignotum, quod Pythagoras ebrium adulescentem Tauromenitanum subphrygii modi sono incitatum spondeo succinente reddiderit mitiorem et sui compotem? nam cum scortum in riualis domo esset clausum atque ille furens domum uellet amburere, cumque Pythagoras stellarum cursus, ut ei mos, nocturnus inspiceret, ubi intellexit sono Phrygii modi

---

1, 5. ei enim *Buecheler* 8. eius] sexus *apogr. Sozom.* Cotta] cocta *Sangall.* 10. pisonem *ap. Soz.*

3, 12. 13. ait enim *Fabricius*

4, 22. canentis *Boethius* 23. consedisse *Boethius*

M. TVLLI CICERONIS

EPISTVLA AD CN. POMPEIVM

1. *Cic. pro Sulla 24, 67* Hic tu epistulam meam saepe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis et de summa re publica misi, et ex ea crimen aliquod in P. Sullam quaeris et, si furorem incredibilem biennio ante conceptum erupisse in meo consulatu scripsi, me hoc demonstrasse dicis Sullam in illa fuisse superiore coniuratione.

M. TVLLI TIRONIS

DE VITA M. TVLLI CICERONIS

1*. *Gell. IV 10, 5* C. Caesar in consulatu, quem cum M. Bibulo gessit, quattuor solos extra ordinem rogasse sententiam dicitur. 59/695 ex his quattuor principem rogabat M. Crassum, sed postquam filiam Cn. Pompeio desponderat, primum coeperat Pompeium rogare. eius rei rationem reddidisse eum senatui Tiro Tullius, M. Ciceronis libertus, refert itaque se ex patrono suo audisse scribit.

2. *Ascon. in Milon. p. 43 K.-S.* De oppugnata domo [*L. Caecili*] nusquam adhuc legi. 57/697 Pompeius tamen, cum defenderet Milonem apud populum, de ui accusante Clodio, obiecit, ut legimus apud Tironem, libertum Ciceronis, in libro IIII de uita eius, oppressum *a* Clodio L. Caecilium praetorem.

---

incitatum multis amicorum monitionibus a facinore noluisse desistere, mutari modum praecepit atque ita furentis animum adulescentis ad statum mentis pacatissimae temperauit. quod scilicet M. Tullius commemorat in eo libro, quem de consiliis suis composuit, aliter quidem, sed hoc modo: Sed ut aliqua similitudine adductus maximis minima conferam, ut cum uinolenti adulescentes — petulantiam consedisse.

1. *Cf. Suet. Caes. 21* Sub idem tempus — suam *[filiam]*, Iuliam Cn. Pompeio conlocauit. — ac post nouam affinitatem Pompeium primum rogare sententiam coepit, cum Crassum soleret essetque consuetudo, ut quem ordinem interrogandi sententias consul kalendis Ianuariis instituisset, eum toto anno conseruaret.

1, 4. ubi si *cod. Busbequii*

1, 8. solos] consulares *Mommsen* 11. rationem eam redd. *Mommsen* eum] c̄ *(cod.) R(ottend.)* 12. ita q̃ *R*

2, 15. obstitit et ut *cod. em. Maduig et Baiter* 17. a *add. uulg.*

46/708 **3*.** *Plut. Cic. 41* *Αὗται γάρ εἰσιν αἱ λεγόμεναι τῆς διαστάσεως* [*M. Ciceronis et Terentiae*] *εὐπρεπέσταται προφάσεις. τῇ δὲ Τερεντίᾳ καὶ ταύτας ἀρνουμένῃ λαμπρὰν ἐποίησε τὴν ἀπολογίαν αὐτὸς ἐκεῖνος μετ' οὐ πολὺν χρόνον γήμας παρθένον, ὡς μὲν ἡ Τερεντία κατεφήμιζεν, ἔρωτι τῆς ὥρας, ὡς δὲ Τίρων ὁ τοῦ Κικέρωνος ἀπελεύθερος γέγραφεν, εὐπορίας ἕνεκεν πρὸς διάλυσιν δανείων. ἦν γὰρ ἡ παῖς σφόδρα πλουσία, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς ὁ Κικέρων ἐν πίστει κληρονόμος ἀπολειφθεὶς διεφύλαττεν. ὀφείλων δὲ πολλὰς μυριάδας ὑπὸ τῶν φίλων καὶ οἰκείων ἐπείσθη τὴν παῖδα γῆμαι παρ' ἡλικίαν καὶ τοὺς δανειστὰς ἀπαλλάξαι τοῖς ἐκείνης χρησάμενον.*

43/711 **4*.** *Tacit. dial. 17* Nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus eius scripsit, septimo idus *Decembres* occisus est.

T. POMPONI ATTICI

ANNALIS

1. *Schol. Veron. ad Aen. II 717 p. 428 Hag.* Varro secundo historiarum refert Aenean capta Troia arcem cum plurimis occupasse magnaque hostium *gratia obtinuisse* abeundi potestatem. itaque — Aenean patrem suum collo *tulisse* — *mirantibus*que Achiuis hanc pietatem redeundi Ilium copiam datam, ac deos penates ligneis sigillis uel lapideis terrenis quoque Aenean *umeris extulisse.* — *A*tticus de patre consentit, de dis penatibus negat, sed ex Samothracia in Italiam deuectos, contra quam sententiam refertur *fuisse simulacr*a Vestae incensis deae eius aris ex ruinis Troicis liberata.

---

3. *Eandem quam Tiro famam de causa nuptiarum sequitur Q. Fufius Calenus ap. Cass. Dion. 46, 18, 3.*

1. *Vid. Cass. Hem. fr. 5 c. adn. Cf. Seru. ad Aen. VII 207* Iuppiter cum Electra, Atlantis filia, Corythi regis Italiae uxore, concubuit. sed ex Iouis semine natus est Dardanus, ex Corythi Iasius. Dardanus profectus ad Phrygiam Ilium condidit, Iasius uero Thraciam tenuit, ubi est

---

3, 6. *τήρων libri Τύρων uulg. em. Schaefer*

4, 12. ipse *Farnes.* 13. scribit *Andresen* septimum *Vatic.* 14. Decembres *add. Lipsius lacunam indicant Leid.*[2] *Vat.*

1, 20. *Supplementa lacunarum cod. sunt Keilii*

2*. *Solin. I 27* Romam — placet conditam — Pomponio 753
Attico et M. Tullio olympiadis sextae anno tertio.

3*. *Ascon. in Cic. Cornel. p. 68 K.-S.* Ceterum quidam non 494/260
duo tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse [*in monte sacro*], singulos ex singulis classibus. sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum quem Cicero ponant, fr. 4
inter quos Tuditanus et Pomponius Atticus, Liuius quoque noster. II 33,2

4*. *Cicer. Brut. 10, 42* Si quidem uterque [*Themistocles et Coriolanus*], cum ciuis egregius fuisset, populi ingrati pulsus iniuria se ad hostes contulit conatumque iracundiae suae morte sedauit. nam etsi aliter apud te est, Attice, de Coriolano, concede tamen, ut huic generi mortis potius assentiar.

5*. *Cic. Brut. 18, 72* Atque hic Liuius, qui primus fabulam 240/514
C. Claudio, Caeci filio, et M. Tuditano consulibus docuit anno ipso ante, quam natus est Ennius, post Romam conditam autem quarto decimo et quingentesimo, ut hic [*Atticus*] ait, quem nos sequimur; est enim inter scriptores de numero annorum controuersia. Accius autem a Q. Maximo quintum consule captum Tarenti scripsit Liuium annis XXX post, quam eum fabulam docuisse et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis inuenimus, docuisse autem fabulam annis post XI, C. Cornelio Q. Minucio consulibus, ludis Iuuentatis, quos Salinator Senensi proelio uouerat. in quo tantus error Accii fuit, ut his consulibus XXXX annos natus Ennius fuerit; cui si aequalis fuerit Liuius, minor fuit aliquanto is, qui primus

---

Samos, quam Samothraciam nominauit. — unde cum postea responsum esset [*III 96*] 'antiquam exquirite matrem', et Aeneas Italiam peteret, profectus ad Thraciam est et Samothracas deos sustulit et pertulit secum propter originem matris. *ad VIII 679* penatibus et magnis dis] alii unum uolunt esse, alii separant, ut magnos deos accipias Iouem, Mineruam, Mercurium, quos Aeneas de Samothracia sustulit. *Fest. s. u. Salii p. 326* Critolaus Saonem ex Samothrace, cum Aenea deos penates qui Lauinium transtulerit, saliare genus saltandi instituisse. *Wissowa Herm. 22 p. 38 sq.*

4. *Fabianam igitur memoriam (fr. 17) Atticus esse secutus uidetur neque rhetorum ornamenta recepisse; haec enim Ciceroni respondet:* Tuo uero arbitratu, quoniam quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius.

5. *Error Accii ex confusione cos. 240 cum Liuio Salinatore, qui*

3, 7. pompeius *(apogr.) S(oz.) et M(ontepulc.)* acthicus *S* acticus *M*

5, 24. cui si aeq. *ed. princ.* quod aeq. *plerique codd. Cf. Ritschl Parerga p. 54 sq.*

fabulam dedit, quam ei, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Naeuius. Haec si minus apta uidentur huic sermoni, Brute, Attico assigna, qui me inflammauit studio illustrium hominum aetates et tempora persequendi.

6. *Ascon. in Cic. Pison. p. 12 K.* Tradunt et Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam, inter quos Atticus in annali, quae postea dicitur Lucili poetae fuisse.

183/571 7. *Corn. Nep. Hann. 13* Quibus consulibus interierit [*Hannibal*], non conuenit. namque Atticus M. Claudio Marcello Q. Fabio Labeone consulibus mortuum in annali suo scriptum reliquit.

155/599 8. *Cic. ad Att. XII 23, 2* Quibus consulibus Carneades et ea legatio Romam uenerit, scriptum est in tuo annali.

SAVFEIVS

1. *Seru. auctus ad Verg. Aen. I 6* Saufeius Latium dictum ait, quod ibi latuerant incolae, qui quoniam in cauis montium uel occultis cauentes sibi a feris beluis uel a ualentioribus uel a tempestatibus habitauerint, Cascei uocati sunt, quos posteri Aborigines cognominarunt, quoniam † aliis ortos esse recognoscebant, ex quibus Latinos etiam dictos.

---

ad Senam Hasdrubalem uicit, Leoni Plaut. Forsch. p. 57 sq. esse ortus uidetur.

6. *Fuit Antiochus IV Epiphanes Antiochi III Magni filius. Cf. Liu. 42, 6, 9 (loquitur princeps legationis Antiochi)* ea merita in se senatus fuisse, cum Romae esset, eam comitatem iuuentutis, ut pro rege, non pro obside omnibus ordinibus fuerit.

7. *Pergit Nepos secundum Polybium eum a 182/572 mortuum esse, in hac quidem re falsus, nam hic eodem anno tradiderat quo Atticus; cf. Nipperdey in ed. mai.*[2] *a. h. l. p. 198. Adnot. ad Val. Ant. fr. 49 p. 271.*

8. *Fuerunt consules P. Cornelius Scipio Nasica et M. Claudius Nero. Quaerit Cicero ex Attico, quae causa eius legationis fuerit et alia de rebus Graecis.*

1. *Cf. Schwegler I p. 202.*

6, 5. addunt (*apogr.*) *S*(*oz.*) Antiocho Antiochi regis *Drakenb. ad Liu. per. 41* 6. obsidem *S* in] ĩm *M(ontep.)* annale *cod. Sang.* andale *S* 7. Lucilii *Manutius* lucii *cod. Sang.*

1, 16. Casci *Masuicius et Burmannus* 17. quō aliis *Fuld.* quoniam ab illis se ortos *Niebuhr Hist. Rom. I p. 79,* quom ab iis ortos esse se cognoscebant *Bergk,* quod non ab aliis ortos esse rec. *Thilo* 18. ductos *coni. Thilo*

Q. HORTENSI HORTALI

ANNALES

1. *Vellei. II 16,1* Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces [*bello Marsico*] Silo Popaedius etc. —. Neque ego uerecundia domestici sanguinis gloriae quidquam, dum uerum refero, subtraham: quippe multum Minatii Magii, ataui mei, Aeculanensis, tribuendum est memoriae, qui nepos Decii Magii, Campanorum principis, celeberrimi et fidelissimi uiri, tantam hoc bello Romanis fidem praestitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla 90
oppugnaret Compsamque occuparet. cuius de uirtutibus cum alii 664
tum maxime dilucide Q. Hortensius in annalibus suis rettulit. cuius illi pietati plenam populus Romanus gratiam rettulit ipsum uiritim ciuitate donando, duos filios eius creando praetores, cum seni adhuc crearentur.

M. TERENTI VARRONIS

DE FAMILIIS TROIANIS

1. *Seru. ad Verg. Aen. II 166* Hoc [*Palladium*] cum postea Diomedes haberet (ut quidam dicunt, quod et Vergilius ex parte tangit et Varro plenissime dicit), credens sibi non esse aptum propter sua pericula, quibus numquam cariturum responsis cognouerat, nisi Troianis Palladium reddidisset, transeunti per Calabriam Aeneae offerre conatus est. sed cum se ille uelato capite sacrificans conuertisset, Nautes quidam accepit simulacrum: unde Mineruae sacra non Iulia gens habuit, sed Nautiorum.

1. *Seru. ad Verg. Aen. V 704* Quod autem dicit 'Pallas quem docuit', propter illud quod supra diximus, fingitur, quia ipse [*Nautes*] Romam Palladium detulit. unde Nautiorum [*sic Hamb. Laurent.* (*cum*

1, 4. Asculanensis *(apogr.) A(merbachii) ed. pr. em. Cellarius* 9. Cosamque *A ed. pr. em. Vossius* 10. dilucideque *Q. ed. pr.* dilucideq. que *A em. Lipsius* 11. illi *A* ille *ed. pr.* fidei et *Oudendorp* 12. ciuitatem *A*

1, 15. ut q. dicunt, quibus — reddidisset, per Cal. *add. schol. Danielis* 16. esse *om. cod. Lips.*[1] piacula *Maius* 19. se *om. Fuld. Lips.* 20. reuertisset *Fuld.* 21. iuli *Lips.*[1] Nautiorum] *Fuld.* nautorum *Lips. Hamb. Frising. Tegerns.* Nautarum *Mythogr.*

DE GENTE POPVLI ROMANI LIBRI IIII

1. *Charis. I p. 125 K.* Continenti. Varro de gente *populi Romani* libro I: In terra continenti.

2. *Charis. I p. 130 K.* Fagus. Varro de gente p. R. I: Fagus quas Graece φηγούς uocant.

3*. *Censor. d. d. n. c. 21, 1* Nunc uero id interuallum temporis tractabo, quod historicon Varro adpellat. hic enim tria discrimina temporum esse tradit, primum ab hominum principio ad cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam uocatur adelon, secundum a cataclysmo priore ad olympiadem primam, quod, quia multa in eo fabulosa referuntur, mythicon nominatur, tertium a prima olympiade ad nos, quod dicitur historicon, quia res in eo gestae ueris historiis continentur. primum tempus, siue habuit initium seu semper fuit, certe quot annorum sit, non potest conprehendi. secundum non plane quidem scitur, sed tamen ad mille circiter et sescentos annos esse creditur. a priore scilicet cataclysmo, quem dicunt et Ogygii, ad Inachi regnum annos circiter quadringenti . . . . ., hinc ad olympiadem primam paulo plus qua-

---

suprascr. c) nautarum *Floriac. Lips.* nautorum *Fris.*] familia Mineruae sacra retinebat, quod etiam Varro docet in libris quos de familiis Troianis scripsit. *Cf. ad III 407* Significat Diomeden, qui cum multis casibus adfligeretur, Palladium, quod apud ipsum erat, Troianis oraculo iussus est reddere. quod cum uellet implere, Aeneam inuenit sacrificantem; qui, ut supra diximus, sacrificii ordinem non rupit, et Palladium Nautes accepit: unde Nautarum familia Mineruae sacra seruabat. *ad V 67 (et IV 427). Dionys. arch. VI 69, 1. Paul. p. 167.*

2. *Significauit idem fragm. Charisius iam p. 128 K.:* Fagus Varronem dicere sub f littera dedimus exemplum. — *Kettner p. 51 sq. hoc fr. refert ad* 'summum gradum naturalem, cum uiuerent homines ex eis rebus, quae inuiolata ultro ferret terra' (*Varro de r. r. II 1, 4*).

3. *De hoc loco et lacuna et neglegentia siue Censorini siue eius auctoris corrupti pluribus egi in mus. Rhen. 57 p. 231—251.*

1, 1. populi Rom. *deest in cod. add. ed. princ.* 2. in terra *ed. pr.* inr̄ea *cod.*

3, 8. quod — adelon *om. V(atic.)* 9. a cataclysmo priore *om. V* priorem *D(armstadt.)* 12. tempum *D ante corr.* 13. quod *D* 16. et Ogygii *L. de Jan* erogycii *D* erogicii *V* et *uulgo om.* iachi *V* annis *V* quadrigenti *D* anni sunt circiter cccc, ⟨hinc ad excidium Troiae anni octingenti⟩ *O. Jahn* annos circ. cccc ⟨computarunt, hinc ad excidium Troiae annos DCCC⟩ *Hultsch ipse sic expleuerim:* ad Inachi regnum ⟨eiusque cataclysmum⟩ annos circiter cccc ⟨computant. hinc ad excidium Troiae

dringenti. quos solos, quamuis mythici temporis postremos, tamen quia a memoria scriptorum proximos quidam certius definire uoluerunt. et quidem Sosibius scripsit esse CCCLXXXXV, Eratosthenes autem septem et quadringentos, Timaeus CCCCXVII, Aretes DXIII, et praeterea multi diuerse, quorum etiam ipsa dissensio incertum esse declarat. de tertio autem tempore fuit quidem aliqua inter auctores dissensio in sex septemue tantummodo annis uersata: sed hoc quodcumque caliginis Varro discussit et pro cetera sua sagacitate nunc diuersarum ciuitatium conferens tempora, nunc defectus eorumque interualla retro dinumerans eruit uerum lucemque ostendit, per quam numerus certus non annorum modo sed et dierum perspici possit.

4. *August. de ciu. d. XXII 28* Mirabilius autem quiddam Marcus Varro ponit in libris, quos conscripsit de gente populi Romani, cuius putaui uerba ipsa ponenda: Genethliaci quidam scripserunt, inquit, esse in renascendis hominibus quam appellant *παλιγγενεσίαν* Graeci; hac scripserunt confici in annis numero quadringentis quadraginta, ut idem corpus et eadem anima, quae fuerint coniuncta in homine aliquando, eadem rursus redeant in coniunctionem.

5a. *August. d. ciu. d. XVIII 8* Quamquam Ogygus ipse quando fuerit, cuius temporibus etiam diluuium magnum factum est, non illud maximum, in quo nulli homines euaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt, quod gentium nec Graeca nec Latina nouit historia, sed tamen maius quam postea tempore Deucalionis

---

4. *Ad Augustinum discrepantes scripturas addidi ex Em. Hoffmanni editione codd. Parisinorum 2050 (a), 2051 (b), 11638 (e), 12215 (g), Patauinorum 1469 (p) et 1490 (q), Dombartianorum Monacensium 3831 (α), 6267 (φ), 6259 (ϱ). apertos tamen errores codd. e et p nolui recoquere, ubi soli eos exhibent.*

---

anni sunt DCCC⟩. *certum illud est* hinc *ad excidium Troiae referendum esse.* 17. quadrigenti *DV* 3. emtosthenes *DV* 4. quadrigentos *D* timeus *D* itimeus *V* eretes *DV* Crates *coni. Jahn* 7. actores *D ante corr.* 9. conterens *DV* 10. dinumerans (din *in ras.*) *D*

4, 15. quidem *g* 16. renascendis] *hoc participium uere est Varronianum, cf. d. l. l. VI 11* 17. hanc scrips. *a* has scr. *α* adscr. *b* asscr. *ϱ*

5, 21. ogigis *b*

fuit, inter scriptores historiae non conuenit. Nam Varro inde ex-
c. 2 orsus est librum, cuius mentionem superius feci, et nihil sibi, ex quo perueniat ad res Romanas, proponit antiquius quam Ogygi diluuium, hoc est Ogygi factum temporibus.

5[b]. *Lact. Plac. ad Stat. Theb. I 173 (p. 22 Jahnke)* Ogyges, ut Varro docet in libris de gente populi Romani, rex fuit Thebanorum, sub quo primum diluuium est factum, longe antequam illud, quod sub Deucalione factum esse narratur.

6. *August. de ciu. d. XXI 8* Est in Marci Varronis libris, quorum inscriptio est de gente populi Romani, quod eisdem uerbis, quibus ibi legitur, et hic ponam: In caelo, inquit, mirabile ex-
Amph. 275 stitit portentum; nam stellam Veneris nobilissimam, quam Plautus
Il. XXII 318 Vesperuginem, Homerus Hesperon appellat, pulcherrimam dicens, Castor scribit tantum portentum exstitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum; quod factum ita neque antea nec postea sit. hoc factum Ogygo rege dicebant Adrastos Cyzicenos et Dion Neapolites, mathematici nobiles.

August. de ciu. d. XVIII 8 Multa quoque alia ex illis in Graecia temporibus confingi fabulosa coeperunt: sed usque ad Cecropem regem Atheniensium, quo regnante eadem ciuitas etiam tale nomen accepit, — relati sunt in deorum numerum aliquot mortui —. in quibus Criasi regis coniux Melantomice et Phorbas filius eorum, qui post patrem rex Argiuorum sextus fuit, et septimi regis Triopae filius Iasus et rex nonus Sthenelas siue Stheneleus siue Sthenelus, uarie quippe in diuersis auctoribus inuenitur. his temporibus etiam Mercurius fuisse perhibetur, nepos Atlantis ex Maia filia, quod uulgatiores etiam litterae personant. multarum autem artium peritus claruit, quas et hominibus tradidit, quo merito eum post mortem deum esse uoluerunt siue etiam crediderunt. Posterior fuisse Hercules dicitur, ad ea tamen tempora pertinens Argiuorum, quamuis nonnulli eum Mercurio

---

6, 18. *Exorsus est Augustinus a chronologia Hieronymi; illa tempora sunt ante Cecropem.*

25. *Dubitat de origine Varroniana eorum q. s. Frick l. s. p. 20 sqq. subest tamen.*

29. *Cf. Seru. ad Aen. VIII 564* Tunc enim, sicut et Varro dicit, omnes, qui fecerant fortiter, Hercules uocabantur, licet eos primo XLIII enumerauerit. hinc est quod legimus Herculem Tirynthium [*Tyrium* Frick], Argiuum, Thebanum, Libym.

6, 12. stellam V. nobilissimam *a p* stella V. nobilissima *cett. codd.* in stella V. nobilissima *uulg.* 13. uespera regine *b* hesperona *b* 16. adtractos *b* cizenos *a* cyc[n]inos *b*

praeferant tempore, quos falli existimo. sed quolibet tempore nati sint, constat inter historicos graues, qui haec antiqua litteris mandauerunt ambos homines fuisse, et quod mortalibus ad istam uitam commodius ducendam beneficia multa contulerint, honores ab eis meruisse diuinos. Minerua uero longe his antiquior. nam temporibus Ogygi ad lacum, qui Tritonis dicitur, uirginali apparuisse fertur aetate, unde et Tritonia nuncupata est, multorum sane operum inuentrix et tanto procliuius dea credita, quanto minus origo eius innotuit. quod enim de capite Iouis nata canitur, poetis et fabulis, non historiae rebusque gestis est adplicandum. — Sed quolibet tempore fuerit, iam tamen Minerua tamquam dea colebatur regnante Atheniensibus Cecrope, sub quo rege etiam ipsam uel instauratam ferunt uel conditam ciuitatem.

7[a]*. *August. de ciu. d. XVIII 9* **Nam ut Athenae uocarentur, quod certe nomen a Minerua est, quae Graece Ἀθηνᾶ dicitur, hanc causam Varro indicat: Cum apparuisset illic repente oliuae arbor et alio loco aqua erupisset, regem prodigia ista mouerunt, et misit ad Apollinem Delphicum sciscitatum, quid intellegendum esset quidue faciendum. ille respondit, quod olea Mineruam significaret, unda Neptunum et quod esset in ciuium potestate, ex cuius potius nomine duorum deorum, quorum illa signa essent, ciuitas uocaretur. isto Cecrops oraculo accepto ciues omnes utriusque sexus (mos enim tunc in eisdem locis erat, ut etiam feminae publicis consultationibus interessent) ad ferendum suffragium conuocauit. consulta igitur multitudine mares pro Neptuno, feminae pro Minerua tulere sententias, et quia una plus inuenta est feminarum, Minerua uicit. tunc Neptunus iratus marinis fluctibus exaestuantibus terras Atheniensium populatus est. — cuius ut iracundia placaretur, triplici supplicio dicit idem auctor ab Atheniensibus affectas esse mulieres, ut nulla ulterius ferrent suffragia, ut nullus nascentium maternum nomen acciperet, ut ne quis eas Athenaeas uocaret.**

7[b]*. *August. de ciu. d. XVIII 10* **Haec Varro non credit, ne deorum naturae seu moribus credat incongrua; et tamen non fabulosam, sed historicam rationem de Athenarum uocabulo reddens tantam Neptuni et Mineruae litem suis litteris inserit, de cuius nomine potius illa ciuitas uocaretur, ut cum prodigiorum ostentatione contenderent, inter eos iudicare nec Apollo consultus**

---

13. ***Sequitur*** *fr. 5.*
7[a] ***continuat*** *fr. 6.* **7[b]. Haec]** ***antecedit*** *fr. 8.*

7[a], 27. tum *eg*

auderet, sed deorum iurgium finiendum, sicut memoratarum trium dearum ad Paridem Iuppiter, ita et iste ad homines mitteret, ubi uinceret Minerua suffragiis et in poena suarum suffragatricium uinceretur, quae in aduersariis suis uiris obtinere Athenas potuit et amicas suas feminas Athenaeas habere non potuit.

8*. *August. de ciu. d. XVIII 10* Et tamen Marcus Varro non uult fabulosis aduersus deos fidem adhibere figmentis, ne de maiestatis eorum dignitate indignum aliquid sentiat, et ideo nec Areon pagon — uult inde accepisse nomen, quod Mars, qui Graece *Ἄρης* dicitur, cum homicidii crimine reus fieret, iudicantibus duodecim diis in eo pago sex sententiis absolutus est (quia ubi paris numeri sententiae fuissent, praeponi absolutio damnationi solebat); sed contra istam, quae multo amplius est celebrata, opinionem aliam quandam de obscurarum notitia litterarum causam nominis huius conatur astruere, ne Areon pagon Athenienses de nomine Martis et pagi quasi Martis pagum nominasse credantur, in iniuriam uidelicet numinum, a quibus litigia uel iudicia existimat aliena, non minus hoc, quod de Marte dicitur, falsum esse adseuerans, quam illud quod de tribus deabus, Iunone scilicet et Minerua et Venere, quae pro malo aureo adipiscendo apud iudicem Paridem de pulchritudinis excellentia certasse narrantur et ad placandos ludis deos, qui delectantur seu ueris seu falsis istis criminibus suis, inter theatricos pláusus cantantur atque saltantur. Haec Varro non credit, ne deorum naturae seu moribus credat incongrua.

9. *Arnob. adu. nat. V 8* Varro ille Romanus multiformibus eminens disciplinis et in uetustatis indagatione rimator, in librorum quattuor primo, quos de gente conscriptos Romani populi dereliquit, curiosis computationibus edocet ab diluuii tempore, cuius supra fecimus mentionem [*Deucalionis*], ad usque Hirti consulatum et Pansae annorum esse milia nondum duo.

10*. *Aug. de ciu. d. XVIII 10* His temporibus, ut Varro scribit, regnante Atheniensibus Cranao, successore Cecropis, — diluuium fuit, quod appellatum est Deucalionis, eo quod ipse reg-

---

8. *Haec ex libris de g. p. R. sumpta esse negat Frick p. 23 sq.*
9. *Solum diluuium Deucalionis Arnobio est cognitum; de re cf. s. p. xxxv.*

8, 17. nominum $e^1 g$
9, 26. multiformibus *Sabaeus* multiformis *cod.*

nabat in earum terrarum partibus, ubi maxime factum est. hoc autem diluuium nequaquam ad Aegyptum atque ad eius uicina peruenit.

August. de ciu. d. XVIII 2 Quando ergo natus est Abraham, secundi reges erant aput Assyrios Ninus, aput Sicyonios Europs; primi autem illic Belus, hic Aegialeus fuerunt. — Sicyoniorum regnum tunc [*temporibus filii Nini*] tenebat Telxion. quo regnante usque adeo ibi mitia et laeta tempora fuerunt, ut eum defunctum uelut deum colerent sacrificando et ludos celebrando, quos et primitus institutos ferunt. *c. 3.* — Abraham — defunctus est regnantibus aput Assyrios Xerse illo antiquiore — et aput Sicyonios Thuriaco, quem quidam [*Hieronymus*] Thurimachum scribunt, septimis regibus. Regnum autem Argiuorum simul cum Abrahae nepotibus ortum est, ubi primus regnauit Inachus.

11*. *August. de ciu. d. XVIII 3* **Sane quod praetereundum non fuit, etiam aput sepulcrum septimi sui regis Thuriaci sacrificare Sicyonios solere Varro refert. —**

His temporibus Graecia sub Phoroneo Argolico rege legum et iudiciorum quibusdam clarior facta est institutis. Phegous tamen frater huius Phoronei iunior cum esset mortuus, ad eius sepulcrum templum est constitutum, in quo coleretur ut deus et ei boues immolarentur. Credo honore tanto ideo dignum putarunt, quia in regni sui parte (pater quippe loca ambobus distribuerat, in quibus eo uiuente regnarent,) iste sacella constituerat ad colendos deos et docuerat obseruari tempora per menses atque annos, quid eorum quatenus metirentur atque numerarent. haec in eo noua mirantes rudes adhuc homines morte obita deum esse factum siue opinati sunt siue uoluerunt. nam et Io filia Inachi fuisse perhibetur, quae postea Isis appellata ut magna dea culta est in Aegypto; quamuis alii scribant eam ex Aethiopia in Aegyptum uenisse reginam, et quod late iusteque imperauerit, eisque multa commoda et litteras instituerit, hunc honorem illi habitum esse diuinum, posteaquam ibi mortua est, et tantum honorem, ut capitali crimine reus fieret, si quis eam fuisse hominem diceret.

---

10. *Hoc fr. continuat fr. 7b.* — eo quod — peruenit *non ad Varronem redeunt.*

7. *Tertius rex Telchin, quartus Apis, sextus Aegydrus fuerunt.*

11. *Secuti sunt Thuriacum apud Sicyonios Leucippus, Cephisus (apud Hieronymum Messapus), Eratus, Plemnaeus, Orthopolis, Marathius, Marathus, Echyreus, Corax, Epopeus, Laomedon, Sicyon, Polybus, Inachus, Phaestus, Adrastus, Polypides, Pelasgus, Zeuxippus.*

Ordo regum Argiuorum hic fuit: Inachus, Phoroneus, Apis, Argus, Criasus, Phorbas, Triopas, Crotopus, Sthenelus, Danaus, Lynceus, Abas, Proteus, Acrisius.

10, 7. *telsyon α* 11. tyriacho *b* thyriaco *ϱ α* 12. thyrimacum *b ϱ α*

12*. *August. de ciu. d. XVIII 40* Frustra itaque uanissima praesumtione garriunt quidam dicentes, ex quo Aegyptus rationem siderum conprehendit, amplius quam centum annorum milia numerari. in quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo milia litteras magistra Iside didicerunt? Non enim paruus auctor est in historia Varro, qui hoc prodidit, quod a litterarum etiam diuinarum ueritate non dissonat.

13*. *August. de ciu. d. XVIII 5* His temporibus rex Argiuorum Apis nauibus transuectus in Aegyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Aegyptiorum deus. Nominis autem huius, cur non Apis etiam post mortem sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit. quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes iam sarcophagum uocant, σορός dicitur Graece, et ibi eum uenerari sepultum coeperant, priusquam templum eius esset extructum, uelut soros et Apis Sorapis primo, deinde una littera, ut fieri adsolet, commutata Serapis dictus est. et constitutum est etiam de illo, ut, quisquis eum hominem fuisse dixisset, capitalem penderet poenam. et quoniam fere in omnibus templis, ubi colebantur Isis et Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labiis inpresso admonere uideretur, ut silentium fieret, hoc significare idem Varro existimat, ut homines eos fuisse taceretur. Ille autem bos, quem mirabili uanitate decepta Aegyptus in eius honorem deliciis affluentibus alebat, quoniam eum sine sarcophago uiuum uenerabantur, Apis, non Serapis uocabatur. quo boue mortuo quoniam quaerebatur et reperiebatur uitulus coloris eiusdem, hoc est albis quibusdam maculis similiter insignitus, mirum quiddam et diuinitus sibi procuratum esse credebant.

August. de c. d. XVIII 6 Regnante Argo suis coepit uti frugibus Graecia et habere segetes in agricultura delatis aliunde seminibus. Argus quoque post obitum deus haberi coepit, templo et sacrificiis honoratus. qui honor eo regnante ante illum delatus est homini priuato et fulminato cuidam Homogyro, eo quod primus ad aratrum boues iunxerit. —

c. 12. Per haec tempora [*post Deucalionis diluuium*] sacra sunt instituta dis falsis a regibus Graeciae, quae memoriam diluuii

---

13. *Intexuit Augustinus Varroniana quaedam Hieronymo.*
33. *Cf. Varro de r. r. II 5, 4* nam ab hoc pecore [*boue*] Athenis Buzuges nobilitatus, Argis Homogyros. *Vid. Frick p. 17 sq.*

13, 13. sarchofagum *g* 24. sarchofago *g* 33. omocyro *g*

et ab eo liberationis hominum, uitaeque tunc aerumnosae modo ad alta, modo ad plana migrantium solemni celebritate reuocarunt. nam et Lupercorum per sacram uiam adscensum atque descensum sic interpretantur, ut ab eis significari dicant homines, qui propter aquae inundationem summa montium petiuerunt et rursus eadem residente ad ima redierunt.

His temporibus Dionysum, qui etiam Liber pater dictus est et post mortem deus habitus, vitem ferunt ostendisse in Attica terra hospiti suo. tunc Apollini Delphico instituti sunt ludi musici, ut placaretur ira eius, qua putabant adflictas esse sterilitate Graeciae regiones, quia non defenderint templum eius, quod rex Danaus, cum easdem terras bello inuasisset, incendit. hos autem ludos ut instituerent, oraculo sunt eius admoniti. in Attica uero rex Erichthonius ei ludos primus instituit, nec ei tantum sed etiam Mineruae, ubi praemium uictoribus oleum ponebatur, quod eius fructus inuentricem Mineruam sicut uini Liberum tradunt.

Per eos annos a rege Xantho Cretensium, cuius apud alios aliud nomen inuenimus, rapta perhibetur Europa et inde geniti Rhadamanthus Sarpedon et Minos, quos magis ex eadem muliere filios Iouis esse uulgatum est. sed talium deorum cultores illud quod de rege Cretensium diximus, historicae ueritati, hoc autem quod de Ioue poetae cantant, theatra concrepant, populi celebrant, uanitati deputant fabularum, ut esset unde ludi fierent placandis numinibus etiam falsis eorum criminibus.

His temporibus Hercules in Syria clarus habebatur, sed nimirum alius, non ille de quo supra locuti sumus. secretiore quippe historia plures fuisse dicuntur et Liberi patres et Hercules. hunc sane Herculem, cuius ingentia duodecim facta numerant, inter quae Antaei Afri necem non commemorant, quod ea res ad alterum Herculem pertinet, in Oeta monte a se ipso incensum produnt suis litteris, cum ea uirtute, qua multa subegerat, morbum tamen, quo languebat, sustinere non posset.

Illo tempore uel rex uel potius tyrannus Busiris suis diis suos hospites immolabat, quem filium perhibent fuisse Neptuni ex matre Libya, filia Epaphi. uerum non credatur hoc stuprum perpetrasse

---

1. *Haec partim ex libro I, partim ex III collecta ab Augustino hic illic mutata sunt. Aliter Frick p. 26 sqq. Cf. Seru. ad Verg. Aen. III 578* Varro dicit in diluuio aliquos ad montes confugisse cum utensilibus, qui lacessiti postea bello ab his, qui de aliis ueniebant montibus, facile ex locis superioribus uicerunt: unde factum est, ut dii superiores dicerentur, inferiores uero terrigenae. et quia de humillimis ad summa reptabant, dicti sunt pro pedibus habuisse serpentes.

13. *Cf. Philarg. ad Verg. georg. III 113* Varro in libro, qui Admirabilium inscribitur, Erichthonium ait primum equos quattuor iunxisse ludis, qui Panathenaea appellantur.

---

7. dionysium *codd.* 13. ericthon. *g* 19. minus *g* 28. anthei *eg* 31. multa] *codd.* monstra *uulg.* 35. paphi *b*

Neptunus, ne di accusentur, sed poetis et theatris ista tribuantur, ut sit unde placentur.

Erichthonii regis Atheniensium — Vulcanus et Mineruа parentes fuisse dicuntur. sed quoniam Mineruam uirginem uolunt, in amborum contentione Vulcanum commotum effudisse aiunt semen in terram atque inde homini nato ob eam causam tale inditum nomen. Graeca enim lingua ἔρις contentio, χθών terra est, ex quibus duobus compositum uocabulum est Erichthonius. uerum, quod fatendum est, refellunt et a suis diis repellunt ista doctiores, qui hanc opinionem fabulosam hinc exortam ferunt, quia in templo Vulcani et Mineruae, quod ambo unum habebant Athenis, expositus inuentus est puer dracone inuolutus, qui eum significauit magnum futurum et propter commune templum, cum essent parentes eius ignoti, Vulcani et Mineruae dictum esse filium; nominis tamen eius originem fabula illa potius quam ista designat historia. — *c. 13.* His temporibus [*post Erichthonium*] fabulae fictae sunt de Triptolemo, quod iubente Cerere anguibus portatus alitibus indigentibus terris frumenta uolando contulerit; de Minotauro, quod bestia fuerit inclusa Labyrintho, quo cum intrassent homines, inextricabili errore inde exire non poterant; de Centauris, quod equorum hominumque fuerit natura coniuncta; de Cerbero, quod sit triceps inferorum canis; de Phryxo et Helle eius sorore, quod uecti ariete uolauerint; de Gorgone, quod fuerit crinita serpentibus et aspicientes conuertebat in lapides; de Bellerophonte, quod equo pennis uolante sit uectus, qui equus Pegasus dictus est; de Amphione, quod citharae suauitate lapides mulserit et adtraxerit; de fabro Daedalo et eius Icaro filio, quod sibi coaptatis pennis uolauerint; de Oedipo, quod monstrum quoddam, quae Sphinga dicebatur, humana facie quadrupedem, soluta quae ab illa proponi soleret uelut insolubili quaestione suo praecipitio perire conpulerit; de Antaeo, quem necauit Hercules, quod filius terrae fuerit, propter quod cadens in terram fortior soleret adsurgere, et si qua forte alia praetermisi.

14. *August. d. ciu. d. XVIII 13* Hae fabulae bellum ad usque Troianum, ubi secundum librum Marcus Varro de populi Romani

---

3. *Cf. Lactant. inst. I 17, 12* Cum Vulcanus diis arma fecisset eique Iuppiter optionem dedisset praemii quod uellet postulandi iurassetque, ut solebat, per infernam paludem se nihil negaturum, tum faber claudus Mineruae nuptias postulauit. hic Iuppiter o. m. tanta religione constrictus abnuere non potuit, Mineruam tamen monuit repugnare pudicitiamque defendere. tum in illa conluctatione Vulcanum in terram profudisse aiunt, unde sit Erichthonius natus, idque illi nomen inpositum ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονός, id est ex certamine atque humo.

15. *Haec ad Varronem referenda esse Frick p. 31 negat; theologiam tamen eius sapiunt.*

3. ericth. *eg* 7. cthon *gρα* ethon *p* ce thon *α* 25. anphione *eg* 27. oedippo *egp* 28. solet *gpα* solebat *eφ uulg.* 30. antheo *eg* herculis *g*

gente finiuit, ex occasione historiarum, quae res ueraciter gestas continent, ita sunt ingeniis hominum fictae, ut non sint opprobriis numinum adfixae.

Porro autem quicumque finxerunt a Ioue ad stuprum raptum pulcherrimum puerum Ganymedem, quod nefas rex Tantalus fecit et Ioui fabula tribuit, uel Danaes per imbrem aureum adpetisse concubitum, ubi intellegitur pudicitia mulieris auro fuisse corrupta, quae illis temporibus uel facta uel ficta sunt aut facta ab aliis et ficta de Ioue, dici non potest quantum mali de hominum praesumserint cordibus, quod possent ista patienter ferre mendacia, quae tamen etiam libenter amplexi sunt; qui utique quanto deuotius Iouem colunt, tanto eos, qui haec de illo dicere ausi sunt, seuerius punire debuerunt. — His temporibus Latona Apollinem peperit, non illum, cuius oracula solere consuli superius loquebamur, sed illum, qui cum Hercule seruiuit Admeto, qui tamen sic est deus creditus, ut plurimi ac paene omnes unum eundemque Apollinem fuisse opinentur. tunc et Liber pater bellauit in India, qui multas habuit in exercitu feminas, quae Bacchae appellatae sunt, non tam uirtute nobiles quam furore. aliqui sane et uictum scribunt istum Liberum et uinctum, nonnulli et occisum in pugna a Perseo nec ubi fuerit sepultus tacent, et tamen eius uelut dei nomine per inmundos daemones Bacchanalia sacra uel potius sacrilegia sunt instituta, de quorum rabiosa turpitudine post tam multos annos sic senatus erubuit, ut in urbe Roma esse prohiberet. per ea tempora Perseus et uxor eius Andromeda posteaquam sunt mortui, sic eos in caelum receptos esse crediderunt, ut imagines eorum stellis designare eorumque appellare nominibus non erubescerent, non timerent.

(c. 14.) Per idem temporis interuallum exstiterunt poetae, qui etiam theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant, sed talibus dis, qui licet magni homines, tamen homines fuerunt (— nec a fabuloso deorum suorum dedecore etiam ipsi se abstinere potuerunt), Orpheus, Musaeus, Linus. uerum isti theologi deos coluerunt, non pro dis culti sunt, quamuis Orpheum nescio quo modo infernis sacris uel potius sacrilegiis praeficere soleat ciuitas inpiorum. uxor autem regis Athamantis, quae uocabatur Ino, et eius filius Melicertes praecipitio spontaneo in mari perierunt et opinione hominum in deos relati sunt, sicut alii homines eorum temporum, Castor et Pollux. illam sane Melicertis matrem Leucotheam Graeci, Matutam Latini uocauerunt, utrique tamen putantes deam.

---

21. *Cf. August. de c. d. VI 9* Sic Bacchanalia summa celebrabantur insania, ubi Varro ipse confitetur a Bacchantibus talia fieri non potuisse nisi mente commota. haec tamen postea displicuerunt senatui saniori et ea iussit auferri.

---

12. de illo *cum ϱ om. Dombart* 14. quem cum Hercule ferunt Admeti regis armenta pauisse *uulg.* 35. adamantis *codd. praeter b* melicertos *b*

(c. 15.) Per ea tempora regnum finitum est Argiuorum, translatum ad Mycenas, unde fuit Agamemnon, et exortum est regnum Laurentum, ubi Saturni filius Picus regnum primus accepit. — Iam ergo regnabant Laurentes utique in Italia, ex quibus euidentior ducitur origo Romana post Graecos: et tamen adhuc regnum Assyrium permanebat, ubi erat rex uicensimus et tertius Lampares, cum primus Laurentum Picus esse coepisset. de huius Pici patre Saturno uiderint quid sentiant talium deorum cultores, qui negant hominem fuisse. — Sed haec poetica opinentur esse figmenta et Pici patrem Stercen potius fuisse adseverent, a quo peritissimo agricola inuentum ferunt, ut fimo animalium agri fecundarentur, quod ab eius nomine stercus est dictum; hunc quidam Stercutium uocatum ferunt. qualibet autem ex causa eum Saturnum appellare uoluerint, certe tamen hunc Stercen siue Stercutium merito agriculturae fecerunt deum. Picum quoque similiter eius filium in talium deorum numerum receperunt, quem praeclarum augurem et belligeratorem fuisse adserunt. Picus Faunum genuit, Laurentum regem secundum; etiam iste deus illis uel est uel fuit.

Hos ante Troianum bellum diuinos honores mortuis hominibus detulerunt.

15. *Charis. I p. 99 K.* Olympia feminino genere locus ipse dicitur, certamina uero neutraliter. nam Varro ait — sed idem de gente populi Romani III: Ludos Olympia fecerat.

16. *Charis. I p. 61 (= 137) K.* Varro de gente populi Romani III: A mare operta oppida, pro a mari, ut refert Plinius.

17*. *August. de ciu. d. XVIII 16* Troia uero euersa excidio illo —, quod — est gestum regnante iam Latino Fauni filio, ex quo Latinorum regnum dici coepit Laurentumque cessauit, Graeci uictores deletam Troiam relinquentes et ad propria remeantes diuersis et horrendis cladibus dilacerati atque contriti sunt, et tamen etiam ex eis deorum suorum numerum auxerunt. nam et Diomeden fecerunt deum, quem poena diuinitus inrogata perhibent ad suos non reuertisse, eiusque socios in uolucres fuisse conuersos non fabuloso poeticoque mendacio, sed historica adtestatione confirmant, quibus nec deus, ut putant, factus huma-

17. *Continuat ea quae antecedunt in fr. 14. — De Demaeneto cf. Plin. n. h. VIII 82.*

3. laurentium *b e* 5. assyriorum *codd. praeter g ϱ* 10. extercen *g*

15, 23. III] in *cod.* Olympiae *Popma* Olympia fecerant *Keil*

16, 24. de gente p. r̄. *cod. p. 61* de genē P̄R̄ *cod. p. 137* 25. operata *cod. p. 61* separata *ed. pr. p. 61*

nam reuocare naturam uel ipse potuit uel certe a Ioue suo rege tamquam caelicola nouicius impetrauit. quin etiam templum eius esse aiunt in insula Diomedea, non longe a monte Gargano, qui est in Apulia, et hoc templum circumuolare atque incolere has alites tam mirabili obsequio, ut aquam impleant et aspergant; et eo si Graeci uenerint uel Graecorum stirpe prognati, non solum quietas esse, uerum et insuper adulare, si autem alienigenas uiderint, subuolare ad capita tamque grauibus ictibus, ut etiam perimant, uulnerare. nam duris et grandibus rostris satis ad haec proelia perhibentur armatae. *(c. 17.)* Hoc Varro ut adstruat, commemorat alia non minus incredibilia de illa maga famosissima Circe, quae socios quoque Vlixis mutauit in bestias, et de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum atque ibi conuertebantur in lupos et cum similibus feris per illius regionis deserta uiuebant. si autem carne non uescerentur humana, rursus post nouem annos eodem renatato stagno reformabantur in homines. denique etiam nominatim expressit quendam Demaenetum gustasse de sacrificio, quod Arcades immolato puero deo suo Lycaeo facere solerent, et in lupum fuisse mutatum et anno decimo in figuram propriam restitutum pugilatum sese exercuisse et Olympiaco uicisse certamine. nec idem propter aliud arbitratur historicus in Arcadia tale nomen adfictum Pani Lycaeo et Ioui Lycaeo, nisi propter hanc in lupos hominum mutationem, quod eam nisi ui diuina fieri non putarent. lupus enim Graece λύκος dicitur, unde Lycaei nomen apparet inflexum. Romanos etiam lupercos ex illorum mysteriorum ueluti semine dicit exortos.

(c. 19.) Eo tempore post captam Troiam atque deletam Aeneas cum uiginti nauibus — in Italiam uenit, regnante ibi Latino et apud Athenienses Menestheo, aput Sicyonios Polyphide. — mortuo Latino regnauit Aeneas tribus annis. — Sed Aenean, quoniam, quando mortuus est, non conparuit, deum sibi fecerunt Latini. Sabini etiam regem suum primum Sancum, siue, ut aliqui appellant, Sanctum, rettulerunt in deos. — Et hunc *[Codrum]* Athenienses tauquam deum sacrificiorum honore coluerunt. Quarto Latinorum rege Siluio Aeneae filio, non de Creusa, de qua fuit Ascanius, qui tertius ibi regnauit, sed de Lauinia Latini filia, quem postumum Aeneas dicitur habuisse, Assyriorum autem vicensimo et nono Oneo et Melantho Atheniensium

---

6. progeniti *a* 7. adolare *ρ φ* aduolare *α* a^2 auolare a^1 13. transibant *Dombart cum* $ρ^2$ 16. formabantur *g* 17. cum gustasset *uulg.* 20. pugillatu *b p (α uulg.)* 32. xanctum *g p* alii quidam *p*

sexto decimo, — regnum Sicyoniorum consumptum est, quod per annos nongentos quinquaginta et nouem traditur fuisse porrectum. — *(c. 20.)* Ab illo igitur tempore hi reges Latinorum esse coeperunt, quos cognominabant Siluios. — Cuius [*Salomonis*] tempore apud Latinos condita est Alba, ex qua deinceps non Latinorum sed Albanorum reges appellari, in eodem tamen Latio coeperunt. — *(c. 21.)* Latium post Aenean, quem deum fecerunt, undecim reges habuit, quorum nullus deus factus est.

18. *Seru. in Verg. Aen. VII 657* Auentinus mons urbis Romae est, quem constat ab auibus esse nominatum, quae de Tiberi ascendentes illic sedebant. — Quidam etiam rex Aboriginum Auentinus nomine illic et occisus et sepultus est, sicut etiam Albanorum rex Auentinus, cui successit Procas. Varro tamen dicit in gente populi Romani Sabinos a Romulo susceptos istum accepisse montem, quem ab Auente, fluuio prouinciae suae, Auentinum appellauerunt. constat ergo uarias has opiniones postea secutas. nam a principio Auentinus est dictus ab auibus uel a rege Aboriginum.

19*. *Augustin. de ciu. d. XVIII 23* Eodem tempore [*quo Roma condita est*] nonnulli Sibyllam Erythraeam uaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodit plures fuisse, non unam. —

Nonnulli sane Erythraeam Sibyllam non Romuli sed belli Troiani tempore fuisse scripserunt. *(c. 24.)* Eodem Romulo regnante

---

18. *Diuersas sententias effuderat Varro, ut solebat*; *cf. de l. l. V 43* Auentinum aliquot de causis dicunt. Naeuius ab auibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aues, alii ab rege Auentino Albano, quod *ibi* sit sepultus, alii Aduentinum ab aduentu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianae templum sit constitutum. ego maxime puto ab aduectu; nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus; itaque eo ex urbe aduehebantur ratibus. *August. de c. d. XVIII 21* Auentinus, qui duodecimo loco Aenean sequitur, cum esset prostratus in bello et sepultus in eo monte, qui etiam nunc eius nomine nuncupatur, deorum talium, quales sibi faciebant, numero est additus. alii sane noluerunt eum in proelio scribere occisum, sed non conparuisse dixerunt, nec ex eius uocabulo appellatum montem, sed ex aduentu auium dictum Auentinum. post hunc non est deus factus in Latio nisi Romulus conditor Romae.

19. *Recepi hoc Varronianum ut ex Aug. libro XVIII decerptum. pluribus de Sibyllis Varro in libris rer. diu. disputauerat, uid. Merkel Ouid. fast. p. CXVI sq. E larga materie hos locos Lactantii elegi: de ira d. 22, 5* Sibyllas fuisse multas plurimi et maximi auctores tradiderunt, Graecorum

---

18, 14. ingentem *Sangall. Reg. Lips. Fris.* ipsum *Lips.*[1] 15. ab auente *Fris. Floriac.* auente *Sang. Lips.*[2] ab euante *Reg.* habebante *Lips.* 16. appellauerunt auentinum *Fris.* ergo] tamen *Fuld.* has uarias *Fuld.* 17. secutos *Sang.* consecutos *Lips.*

Thales Milesius fuisse perhibetur, unus e septem sapientibus, qui post theologos poetas, in quibus Orpheus maxime omnium nobilitatus est, *σοφοί* appellati sunt. — Mortuum Romulum, cum et ipse non conparuisset, in deos — rettulere Romani. — Regnauit deinde Numa post Romulum. — hoc regnante Romae — Samiam fuisse Sibyllam ferunt. *(c. 25.)* Regnante aput Romanos Tarquinio Prisco, qui successerat Anco Marcio — Pittacus Mitylenaeus, alius *(praeter Thaletem)* e septem sapientibus, fuisse perhibetur. — Hi sunt *(ceteri)* Solon Atheniensis, Chilon Lacedaemonius, Periandrus Corinthius, Cleobulus Lindius, Bias Prienaeus.

20. *Seru. in Verg. Aen. IX 600* Italiae diciplina et uita laudatur, quam et Cato in originibus et Varro in gente populi fr. 76
Romani commemorat.

21. *Seru. in Verg. Aen. VII 176* Maiores enim nostri sedentes epulabantur. quem morem a Laconibus habuerunt et Cretensibus, ut Varro docet in libris de gente populi Romani, in quibus dicit, quid a quaque traxerint gente per imitationem.

22. *Seru. in Verg. Aen. VI 760* Pura hasta] i. e. sine ferro. nam hoc fuit praemium apud maiores eius, qui tunc primum uicisset in proelio, sicut ait Varro in libris de gente populi Romani.

23. *Seru. in Verg. georg. III 18* Centum quadriiugos agitabo ad flumina] i. e. unius diei exhibebo circenses, quia, ut Varro

---

Aristo Chius et Apollodorus Erythraeus, nostrorum Varro et Fenestella *(fr. 18). epit. 5, 1 sq.* Varro decem Sibyllas fuisse tradit, primam de Persis, secundam Libyssam, tertiam Delphida, quartam Cumaeam, quintam Erythraeam, sextam Samiam, septimam Cimmeriam, octauam Hellespontiam, nonam Phrygiam, decimam Tiburtem, cui sit nomen Albuneae. ex his omnibus Cumanae solius tres esse libros, qui Romanorum fata contineant et habeantur arcani, ceterarum uero omnium singulos extare haberique uulgo sed eos Sibyllinos uelut uno nomine inscribi, nisi quod Erythraea, quae Troici belli temporibus fuisse perhibetur, nomen suum uerum posuit in libro, aliarum confusi sunt. *inst. I 6, 8 sqq. Kettner p. 41. Cf. etiam Varronem in hebdomadibus ap. Gellium III 10, 16.*

21. *Sabinos a Sabo Lacedaemonio originem trahere, eorum mores secutos esse Romanos Cato (orig. fr. 51) tradiderat. Cf. Samter* Quaest. Varr. *p. 60 sqq.*

---

10. byas *g*

18, 15. et] uel *Flor. Bern.* 16. ut] et *Lips.* 17. quid a quaque gente transtulerit per im. *Carol. Sang.* quid a quaque traxerint gente *Reg. Lips. Hamb.* quid a quaque traxerunt per im. gente *Fris.* quid a quaque per im. traxerint gente *Lips.*[2] quid a qua gente trans||i||erit (transierit *Bern.*) per im. *Flor. Bern.*

22, 19. eius *om. Fris.* 20. Varro *add. Reg. Fris. om. rel.*

dicit in libris de gente populi Romani, olim xxv missus fiebant, sed uicesimus quintus dicebatur aerarius, eo quod de collatione populi exhibebatur. qui desiit esse, postquam conferendae pecuniae est consuetudo sublata, unde hodieque permansit, ut ultimus missus appelletur aerarius. ergo 'centum currus' secundum antiquitatem dixit, sicut etiam 'ad flumina'. olim enim in litore fluminis circenses agitabantur, in altero latere positis gladiis, ut ab utraque parte esset ignauiae praesens periculum. unde et circenses dicti sunt, quia exhibebantur in circuitu ensibus positis, licet alii a circumeundo dicant circenses uocari.

ANNALIVM LIBRI III

1. *Charis. I p. 105 K.* Scriptulum, quod nunc uulgus sine t dicit, Varro in Plutotoryne dixit. idem in annali: 'Nummum argenteum flatum primum a Seruio Tullio dicunt. is IIII scripulis maior fuit quam nunc *est*'.

384/370 **2.** *Gell. XVII 21, 23* Neque multo postea [*post incendium Gallicum*] — M. Manlius Romae, qui Gallos in obsidione Capitolii obrepentis per ardua depulerat, conuictus est consilium de regno occupando inisse, damnatusque capitis e saxo Tarpeio, ut M. Varro chron. fr. 5 ait, praeceps datus, ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, uerberando necatus est.

RERVM VRBANARVM LIBRI III

1. *Charis. I p. 133 K.* Innocente Varro de rebus urbanis III: Spartaco innocente coniecto ad gl*adiatori*um.

---

23. *De re cf. ad Aen. VIII 636. Friedlaender in Marquardt. Antiq. Rom. publ.. III p. 494.*
1. *De scriptulo cf. Hultsch in Metrol.² p. 145.*
2. *Varronis memoria uulgata est, apud Liuium, Dionysium Halic., Plutarchum, alios, Schwegler III p. 297.*

23, 1. olim *et* missus *om. B(ern.)* 2. latione *B* 5. appellaretur *(Carol.) A H(amb.)* appellatur *Vatic.* 7. agitabantur] *B Vat.* agebantur *Par. H A²* 9. qui *B H* positis *om. A*
1, 12. annali] *numerum libri intercidisse uoluerunt Ritschl op. III 448 et Keil a. h. l. at uid. Fleckeisen. ann. 139 p. 153* 13. argenteum *ed. pr.* argentum *cod.* factum *exc. cod. Par.* conflatum *ed. pr.* seruilio *exc. cod. Par.* scriptulis *Putschius* scrupulis *ed. pr.* 14. est *add. exc. cod. Par.*
1, 22. ad gla*um *ed. pr. in cod. haec u. euanuerunt*

DE SVA VITA LIBRI III

1. *Charis. I p. 89 K.* Nam et Varro de uita sua non tantum huius Sarapis declinauit sed et Isis.

CORNELI NEPOTIS

CHRONICA

1*. *Minuc. Fel. Octau. 21, 4* Saturnum enim principem huius generis et examinis omnes scriptores uetustatis Graeci Romanique hominem prodiderunt. scit hoc Nepos et Cassius in historia et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur.

2. *Gell. XVII 21, 3* Vtrumque [*Homerum et Hesiodum*] ante Romam conditam uixisse, Siluiis Albae regnantibus, — ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo chronico de Homero dicit, annis circiter centum et sexaginta.

3*. *Solin. 1, 27* Romam — placet conditam — Nepoti et Lutatio, opiniones Eratosthenis et Apollodori comprobantibus, olym- 750
piadis septimae anno secundo.

---

1. *Conf. Charis p. 132* Licet Varro et Tullius et Cincius, ut de consortio casuum diximus, huius Sarapis et huius Isis *dixerint*.

1. *Vid. Cassii Heminae fr. 1 et supra p. LI.*

2. *Conf. Hieron. chron. ad a. Abr. 1104 p. 69 Sch.* In Latina historia haec ad uerbum scribta repperimus: Agrippa aput Latinos regnante Homerus poeta in Graecia claruit, ut testantur Apollodorus grammaticus et Euforbus historicus, † ante urbem Romam conditam ann. CXXIIII, et, ut ait Cornelius Nepos, ante olympiadem primam ann. C. *De hoc loco admodum perturbato uid. supra p. LI. Cass. fr. 8. Cf. Solin. 40, 16* Zmyrna — Homero uati patria extitit, qui post Ilium captum fuit anno ducentesimo septuagesimo secundo, Agrippa Siluio Tiberini filio Albae regnante, anno ante urbem conditam centesimo sexagesimo. inter quem et Hesiodum poetam, qui in auspiciis olympiadis primae obiit, centum triginta octo anni interfuerunt. *De re cf. Rohde mus. Rhen. 36 p. 401, 534 sqq., de ''Latina historia' de origine gentis Romanae' Mommsen in Act. soc. Lips. II p. 689 sqq.*

3. *Ex eis qui sequuntur usque ad § 30 numeris Solinus colligit septimae olympiadis anno primo Romam conditam esse proximeque ad Nepotem accedit.*

1, 2. sarapidis *cod.* Serapis *Putsch*

1, 5. scit] scribit *Pithoeus*

2, 9. cronico *cod. Par. Q* chonicoro *Voss. Z* chronicorum *codd. γ* dixit *γ*

3, 11. nepote *Angelomont.* 12. opiniones *codd. class. I* —nem *class. II*

4. *Gell. XVII 21, 8* Archilochum autem Nepos Cornelius tradit Tullo Hostilio Romae regnante iam tunc fuisse poematis clarum et nobilem.

384/370 **5.** *Gell. XVII 21, 23* Neque multo post [*post incendium Gallicum*] — M. Manlius Romae, qui Gallos in obsidione Capitolii obrepentis per ardua depulerat, conuictus est consilium de regno ann. fr. 2 occupando inisse damnatusque capitis e saxo Tarpeio, ut M. Varro ait, praeceps datus, ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, uerberando necatus est.

6*. *Solin. 40, 4 p. 220 M.* Notatur eadem die conflagrasse templum Ephesi, qua Alexander Magnus Pellae natus est, qui oritur, ut Nepos edit, M. Fabio Ambusto T. Quintio Capitolino cos., post Romam conditam anno trecentesimo octogensimo quinto.

7*. *Catull. 1, 5* Quoi dono lepidum nouum libellum | — ? Corneli, tibi: namque tu solebas | meas esse aliquid putare nugas | iam tum cum ausus es unus Italorum | omne aeuum tribus explicare chartis | doctis, Iuppiter, et laboriosis.

EXEMPLA

1. *Charis. I p. 146 K.* Vestale. Nepos exemplorum II 'a uirgine Vestale' inquit pro Vestali, quia non personam sed rem significat.

2. *Gell. VI 18, 2* *Post* proelium Cannense Hannibal, Carthaginiensium imperator, ex captiuis nostris electos decem Romam

4. *Vna cum fr. 2 hoc ex Chronicis sumptum esse initio capitis Gellius significauit. — Cf. Hieron. ad a. 1352 (= 665 a. Chr., 9. ann. Tulli Host.)* Archilocus et Simonides et Aristoxenus musicus inlustris habetur. *Rohde m. Rh. 33 p. 194 sqq.*

6. *Cf. Gell. XVII 21, 28* Circa annum urbis conditae quadringentesimum Philippus, Amyntae filius, Alexandri pater, regnum Macedoniae adeptus est inque eo tempore Alexander natus est.

4, 2. tullio *codd. δ et pars codd. γ*

6, 11. 12. *Verba* qui oritur — quinto *in solo tertio ordine codicum Mommseni seruata sunt; uid. append. p. 217. — Consules sunt a. 400 ab u. c. sec. Varronem, = a. 397 sec. Nepotem; at a. 395 sec. Nep. Alexander natus est; itaque Unger m. Rh. XXXV p. 14 sq. pro* CCCLXXXV *scripsit* CCCLXXXXV. *consulum nomina ex contaminatione Nepotis cum Varrone esse orta uidentur* 12. sedit *Sangall.* capitalino *Paris.*

1, 18. 19. a uirgine uestali *cod.*

misit mandauitque eis pactusque est, ut, si populo Romano uideretur, permutatio fieret captiuorum. — hoc, priusquam proficiscerentur, ius iurandum eos adegit redituros esse in castra Poenica, si Romani captiuos non permutarent. Veniunt Romam decem captiui, mandatum Poeni imperatoris in senatu exponunt, permutatio senatui non placita. — tum octo ex his postliminium iustum non esse sibi responderunt, quoniam deiurio uincti forent, statimque, uti iurati erant, ad Hannibalem profecti sunt. duo reliqui Romae manserunt solutosque esse se ac liberatos religione dicebant, quoniam, cum egressi castra hostium fuissent, commenticio consilio regressi eodem, tamquam si ob aliquam fortuitam causam issent atque ita iure iurando satisfacto rursum iniurati abissent. — Cornelius autem Nepos in libro exemplorum quinto id quoque litteris mandauit multis in senatu placuisse, ut hi, qui redire nollent, datis custodibus ad Hannibalem deducerentur, sed eam sententiam numero plurium, quibus id non uideretur, superatam, eos tamen, qui ad Hannibalem non redissent, usque adeo intestabiles inuisosque fuisse, ut taedium uitae ceperint necemque sibi consciuerint.

3*. *Gell. VI 19, 1* Pulcrum atque liberale atque magnanimum factum Tiberii Sempronii Gracchi in exemplis repositum est. Id exemplum huiuscemodi est: L. Scipioni Asiatico, P. Scipionis Africani superioris fratri, C. Minucius Augurinus tribunus plebi multam irrogauit eumque ob eam causam praedes poscebat. Scipio Africanus fratris nomine ad collegium tribunorum prouocabat petebatque, ut uirum consularem triumphalemque a collegae ui defenderent. octo tribuni cognita causa decreuerunt. Eius decreti uerba, quae posui, ex annalium monumentis exscripta sunt: 'Quod P. Scipio Africanus postulauit pro L. Scipione Asia-

2. *Vid. Acil. fr. 3 et adnot.*

3. *Etsi nomen Nepotis omissum est, tamen hoc exemplum ex eodem sumptum esse ex quo exemplum eius quod antecedit capitis recte concluserunt F. Lachmann de font. Liu. II p. 106 et L. Mercklin* Citiermeth. d. Gellius *p. 668 (cum Hertzio in ind. ed. Teubner. p. 257 et Hosio p. xxxvi). itaque opus non est cum Thysio post* 'exemplis' *Nepotis nomen inserere.*—

2, 18. 19. necem sibi conparauerint *cod. Rott.*

3, 21. sempronii tiberii *(cod.) R(ottend.)* 23. patri *R* 24. irrouit *R* 25. patris *codd.* 25. 26. prouocabat petebatque *cod. Par.*[2] prouocabant petebantque *codd.* (que *om. R*) 28. monum͞a *R*

tico fratre, cum contra leges contraque morem maiorum tribunus pl. hominibus accitis per uim inauspicato sententiam de eo tulerit multamque nullo exemplo irrogauerit praedesque eum ob eam rem dare cogat aut, si non det, in uincula duci iubeat, ut eum a collegae ui prohibeamus, et quod contra collega postulauit, ne sibi intercedamus, quominus suapte potestate uti liceat, de ea re nostrum sententia omnium ea est: si L. Cornelius Scipio Asiaticus collegae arbitratu praedes dabit, collegae, ne eum in uincula ducat, intercedemus; si eius arbitratu praedes non dabit, quominus collega sua potestate utatur, non intercedemus'. Post hoc decretum, cum Augurinus tribunus L. Scipionem praedes non

---

Fama, quam Nepos hic secutus est, discrepabat cum Valerio Antiate, cuius summam § 8 Gellius rettulit (uid. fr. 45 c. adnot.), suam ueterum annalium esse (Claudii Quadrigarii, ut censet Mommsen Röm. Forsch. II p. 419, 492) *significans. Eandem tetigit Cicero de prou. cons. 8, 18* An Ti. Gracchus — tantam laudem est adeptus, quod tribunus plebis solus ex toto illo collegio L. Scipioni auxilio fuit, inimicissimus et ipsius et fratris eius Africani, iurauitque in contione se in gratiam non redisse sed alienum sibi uideri dignitate imperii, quo duces essent hostium Scipione triumphante ducti, eodem ipsum duci, qui triumphasset? *tum ipse Liuius in ea parte narrationis huius causae, quam Valerianae interposuit (38, 55, 8—57); cf. c. 56, 8 sq.* illi auctores sequendi sunt, qui, cum L. Scipio et accusatus et damnatus sit pecuniae captae ab rege, legatum in Etruria fuisse Africanum tradunt atque post famam de casu fratris adlatam relicta legatione cucurrisse eum Romam et, cum a porta recta ad forum se contulisset, quod in uincula duci fratrem dictum erat, reppulisse a corpore eius uiatorem et tribunis retinentibus magis pie quam ciuiliter uim fecisse. — *c. 57, 3 sq.* illud parum constat, utrum post mortem patris ei desponsa sit [*Cornelia*] et nnpserit, an uerae illae opiniones sint Gracchum, cum L. Scipio in uincula duceretur nec quisquam collegarum auxilio esset, iurasse sibi inimicitias cum Scipionibus, quae fuissent, manere nec se gratiae quaerendae causa quicquam facere, sed in quem carcerem reges et imperatores hostium ducentem uidisset P. Africanum, in eum se fratrem eius duci non passurum. *Idem dictum redit in fama Valeriana ad L. Scipionem relatum c. 60, 5 sq., postea apud Ampel. 19, 3. Aur. Vict. de uir. ill. 53. 57.— Ceterum decreta ab annalium scriptore rhetorum more ficta sunt, cf. Mommsen l. s. II 419. 492 et omnino de hac causa eius commentarium p. 417—510. Etiam 'duo exempla', quae ad eandem causam pertinent et quae de eodem Africano narrauit Gellius IV 18, ex Nepote sumpta esse recte Nissen* Quellen des Livius p. 214 sq. *animaduertit:* Scipio Africanus antiquior quanta uirtutum gloria praestiterit et quam fuerit altus animi atque magnificus et qua sui conscientia subnixus, plurimis rebus, quae dixit quaeque fecit, declaratum est. ex quibus sunt haec duo exempla eius fiduciae (*'eadem fiducia animi' Liu. 38, 55, 13*) atque exuperantiae ingentis:

---

1. tribunus *om. P(aris.)* 2. p. l. *PR* P. L. *V(atic.)* deo *V* 4. ut] et *codd.*

dantem prendi et in carcerem duci iussisset, tunc Tiberius Sempronius Gracchus tr. pl., pater Tiberi atque C. Gracchorum, cum P. Scipioni Africano inimicus grauis ob plerasque in re publica dissensiones esset, iurauit palam in amicitiam inque gratiam se cum P. Africano non redisse, atque ita decretum ex tabula recitauit. Eius decreti uerba haec sunt. 'Cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans hostium duces in carcerem coniectarit, alienum uidetur esse dignitate rei publicae, in eum locum imperatorem populi Romani duci, in quem locum ab eo coniecti sunt duces hostium: itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum a collegae ui prohibeo'.

4*. *Iulianus apud August. imperfect. contra Iulianum opus IV c. 43 (X 1362 Migne)* **Amplexare factum illud Cratae Thebani,**

Cum M. Naeuius tribunus plebis accusaret eum ad populum diceretque accepisse a rege Antiocho pecuniam, ut condicionibus gratiosis et mollibus pax cum eo populi Romani nomine fieret et quaedam item alia crimini daret indigna tali uiro, tum Scipio pauca praefatus, quae dignitas uitae suae atque gloria postulabat: 'Memoria', inquit, 'Quirites, repeto diem esse hodiernum, quo Hannibalem Poenum imperio uestro inimicissimum magno proelio uici in terra Africa pacemque et uictoriam uobis peperi inspectabilem. non igitur simus aduersum deos ingrati et, censeo, relinquamus nebulonem hunc, eamus hinc protinus Ioui optimo maximo gratulatum'. id cum dixisset, auertit et ire ad Capitolium coepit. tum contio uniuersa, quae ad sententiam de Scipione ferendam conuenerat, relicto tribuno Scipionem in Capitolium comitata atque inde ad aedes eius cum laetitia et gratulatione sollemni prosecuta est. fertur etiam oratio, quae uidetur habita eo die a Scipione, et qui dicunt eam non ueram, non eunt infitias, quin haec quidem uerba fuerint, quae dixi, Scipionis. *(Cf. Liu. 38, 56, 5 sqq.)*

Item aliud est factum eius praeclarum. Petilii quidam, tribuni plebis, a M., ut aiunt, Catone, inimico Scipionis, comparati in eum atque inmissi, desiderabant in senatu instantissime, ut pecuniae Antiochinae praedaeque in eo bello captae rationem redderet; fuerat enim L. Scipioni Asiatico, fratri suo, imperatori in ea prouincia, legatus. ibi Scipio exurgit et prolato e sinu togae libro rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniae omnisque praedae, allatum, ut palam recitaretur et ad aerarium deferretur. 'sed enim id iam non faciam', inquit, 'nec me ipse afficiam contumelia' eumque librum statim coram discidit suis manibus et concerpsit, aegre passus, quod, cui salus imperii ac reipublicae accepta ferri deberet, rationem pecuniae praedaticiae posceretur. *Prius exemplum (quod iam Polybius 24, 9, 6 sq. narrauerat) etiam Valerius Antias recepit (uid. fr. 45 c. adn.), alterum (item apud Polybium 24, 9ª) fama Liuiana a Valerio diuersa 38, 55, 9 sqq. uid. Mommsen l. s. p. 462 sqq.*

---

3. scipione *codd.* 4. esse *codd.* 8. a dignitate *R*

4, 13. Cratae *in ed. Mign. additum 'ex. mss.'*

hominis locupletis et nobilis, cui adeo fuit cordi secta Cynicorum, ut relinquens paternas opes Athenas cum uxore migrauerit Hipparchia, pari animo istius philosophiae sectatrice, cum qua cum concumbere in publico uellet, ut refert Cornelius Nepos, et illa occultandi gratia pallii uelamen obduceret, uerberata est a marito: 'Tuis sensibus nimirum', inquit, 'parum adhuc docta es, quae, quod te recte facere noueris, id aliis praesentibus exercere non audeas'.

5*. *Suet. Aug. 77* Non amplius ter bibere eum [*Augustum*] solitum super cenam in castris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit.

6*. *Pomp. Mela III 9, 90* Eudoxus quidam auorum nostrorum temporibus cum Lathyrum regem Alexandriae profugeret, Arabico sinu egressus per hoc [*Aethiopicum*] pelagus, ut Nepos adfirmat, Gades usque peruectus est.

7*. *Pomp. Mela III 5, 44* Vltra Caspium sinum quidnam esset, ambiguum aliquamdiu fuit, idemne Oceanus an tellus infesta frigoribus, sine ambitu ac sine fine proiecta. sed praeter physicos Homerumque uniuersum orbem mari circumfusum esse disserit Cornelius Nepos ut recentior, auctoritate sic certior; testem autem rei Q. Metellum Celerem adicit eumque ita rettulisse
62/692 commemorat: cum Galliae pro consule praeesset, Indos quosdam a rege Botorum dono sibi datos; unde in eas terras deuenissent, requirendo cognosse ui tempestatium ex Indicis aequoribus abreptos emensosque quae intererant tandem in Germaniae litora exisse.

---

4. *Tangit hanc cynogamiam Augustinus etiam de ciuit. dei XIV 20. Vid. Zelleri Hist. philos. gr. II 1[4] p. 327.*

6. *A Pomponio Mela Corneli Nepotis auctoritatem in nat. hist. II 169 et in insequenti paragrapho (fr. 7) Plinius mutuatus est, ut etiam Hannonis Carthaginiensis, quae apud utrumque antecedit:* Praeterea N e p o s C o r n e l i u s auctor est Eudoxum quendam sua aetate, cum Lathyrum regem fugeret, Arabico sinu egressum Gades usque peruectum. *Tum adnectitur Coeli Ant. fr. 56. — Plura de hac Eudoxi Cyziceni nauigatione apud Strabonem II 3, 4 p. 98 sqq.*

7. *Ex Mela Plin. n. h. II 170* Idem N e p o s de septentrionali circuitu tradit Q. Metello Celeri Afrani in consulatu conlegae [*60/694*]

---

2. 3. Hipparcide *uel* Hipparchide *editt.* Hipparchia *Woelfflin coll. Laert. Diog. 6, 5, 5. 7*

7, 20. disserit *Wachsmuth ap. Frickium.* dixerunt *cod.* Homerumque, qui — dixerunt *uulg.* 24. indiciis *cod.*[1] indicis *cod.*[2]

8*. *Plin. n. h. III 4* T. Liuius ac Nepos Cornelius [*freti Gaditani*] latitudinis tradiderunt minus VII milia passuum, ubi uero plurimum, X milia.

9*. *Plin. n. h. III 125* Interiere — Melpum opulentia praecipuum, quod ab Insubribus et Bois et Senonibus deletum esse eo die, quo Camillus Veios ceperit, Nepos Cornelius tradidit.

10*. *Plin. n. h. III 127* Vltra quam [*Aquileiam*] — Formio amnis, — anticus auctae Italiae terminus, nunc uero Histriae, quam cognominatam a flumine Histro in Hadriam effluente e Danuuio amne eodemque Histro exaduersum Padi fauces, contrario eorum percussu mari interiecto dulcescente plerique dixere falso et Nepos etiam Padi adcola.

11. *Plin. n. h. III 132* Alpis — patere — tradit — in latitudinem Cornelius Nepos centum milia, T. Liuius tria milia stadiorum, uterque diuersis in locis.

12*. *Plin. n. h. IV 77* Inter duos Bosporos Thracium et Cimmerium directo cursu, ut auctor est Polybius, D milia pass. intersunt. circuitu uero totius ponti uiciens semel, ut auctor est Varro et fere ueteres; Nepos Cornelius CCCL milia adicit.

13*. *Plin. n. h. V 4* Minus profecto mirentur portentosa Graeciae mendacia de his [*oleastris auriferi nemoris*] et amne Lixo prodita, qui cogitent nostros nuperque paulo minus monstrifica quaedam de iisdem tradidisse, praeualidam hanc urbem [*Lixon*] maioremque magna Carthagine, praeterea ex aduerso eius sitam et prope inmenso tractu ab Tingi quaeque alia Cornelius Nepos auidissime credidit.

14*. *Plin. n. h. VI 5* Vltra quem [*fluuium Billim*] gens Paphlagonia, quam Pylaemeniam aliqui dixerunt, inclusam a tergo Galatia; oppidum Mastya Milesiorum, dein Cromna, quo loco Enetos

---

sed tum Galliae proconsuli, Indos a rege Sueuorum dono datos, qui ex India commerci causa nauigantes tempestatibus essent in Germaniam abrepti.

9. *Ad Chronicorum fr. Schaefer* Quellenk. *II p. 66 rettulit.*

10. *Cf. Pomp. Mel. II, 4, 63* Vnum de eis [*ostiis*] magnum Padum appellant. inde tam citus prosilit, ut discussis fluctibus diu qualem emisit undam agat suumque etiam in mari alueum seruet, donec eum ex aduerso litore Histriae eodem impetu profluens Hister amnis excipiat. hac re per ea loca nauigantibus, qua utrimque amnes eunt, inter marinas aquas dulcium haustus est.

11. *Antecedit Coelii Ant. fr. 13. Liuii est fr. 59 Weiss., 57 Hertz.*

12, 17. passus *deest op. Detl.*

adicit Nepos Cornelius, a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos † credere putat.

15*. *Plin. n. h. VI 31* Aliqui inter Pontum et Caspium mare CCCLXXV milia passuum, non amplius interesse tradiderunt, Cornelius Nepos CCL milia.

16*. *Plin. n. h. VI 199* Polybius in extrema Mauretania contra montem Atlantem a terra stadia VIII abesse prodidit Cernen, Nepos Cornelius ex aduerso maxime Carthaginis a continente passus mille, non ampliorem circuitu duobus milibus.

17*. *Plin. n. h. IX 60* Apud antiquos piscium nobilissimus habitus accipenser. — postea praecipuam auctoritatem fuisse lupo et asellis Cornelius Nepos et Laberius poeta mimorum tradidere.

18*. *Plin. n. h. IX 137* Nepos Cornelius, qui diui Augusti principatu obiit, 'Me', inquit 'iuuene uiolacea purpura uigebat, cuius libra denariis centum uenibat, nec multo post rubra Tarentina. huic successit dibapha Tyria, quae in libras denariis mille
63 non poterat emi. hac P. Lentulus Spinther aedilis curulis primus
691 in praetexta usus improbabatur, qua purpura quis non iam', inquit, 'tricliniaria facit?'

19*. *Plin. n. h. X 60* Cornelius Nepos, qui diui Augusti principatu obiit, cum scriberet turdos paulo ante coeptos saginari, addidit ciconias magis placere quam grues, cum haec nunc ales inter primas expetatur, illam nemo uelit attigisse.

20*. *Plin. n. h. XIII 104* Eadem Africa, qua uergit ad nos, insignem arborem loton gignit, quam uocat celthim, et ipsam Italiae familiarem sed terra mutatam. praecipua est circa Syrtis atque Nasamonas. magnitudo quae piro, quamquam Nepos Cornelius breuem tradit. — [*106.*] uinum quoque exprimitur illi simile mulso, quod ultra denos dies negat durare idem Nepos, bacasque concisas cum alica ad cibos doliis condi.

21*. *Plin. n. h. XVI 36* Scandula contectam fuisse Romam ad Pyrrhi usque bellum annis CCCCLXX Cornelius Nepos auctor est.

---

14. *Ex Plinio et rem et nomen Nepotis sumpsit Solinus 44, 1, rem Martianus Cap. VI 689.*

17. *Quae insequenti paragrapho Plinius tradit, Ioannes Lyd. de mag. III 63 p. 154 W. ad Cornelii Nepotis et Laberii auctoritatem refert: auctoris eius errore leuiter haec ex Plinio exscripta erant.*

21. *Conf. Gell. XVII 21, 37 (qui hoc caput 'Quibus temporibus*

14, 2. postulat ς ea de re putat *Dell.* se credere [putat] *Jan.*
16, 9. mille] $\overline{x}$ *cod. Riccard.*

22*. *Plin. n. h. XXXIII 146* Cornelius Nepos tradit ante Sullae uictoriam duo tantum triclinia Romae fuisse argentea.

23*. *Plin. n. h. XXXV 16* Primus inleuit eas [*lineas*] colore testae, ut ferunt, tritae Ecphantus Corinthius. hunc eodem nomine alium fuisse, quam tradit Cornelius Nepos secutum in Italiam Damaratum, Tarquinii Prisci regis Romani patrem, fugientem a Corintho tyranni iniurias Cypseli mox docebimus.

24*. *Plin. n. h. XXXVI 48* Primum Romae parietes crusta marmoris operuisse totos domuus suae in Caelio monte Cornelius Nepos tradit Mamurram, Formis natum equitem Romanum, praefectum fabrum C. Caesaris in Gallia, ne quid indignitati desit tali auctore inuenta re. hic namque est Mamurra Catulli Veroniensis carminibus proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarius quam Catullus dixit habere quidquid habuisset comata Gallia. 29,3

---

post Romam conditam Graeci Romanique inlustres uiri floruerint ante secundum bellum Carthaginiensium' inscriptum ex libris chronicis se excerpsisse adserit ipsumque Cornelium ter (§ 3. 8. 24) citauit): Post annum deinde urbis conditae quadringentesimum fere et septuagesimum bellum cum rege Pyrro sumptum est. ea tempestate Epicurus Atheniensis et Zeno Citiensis philosophi celebres erant et q. s. *Muenzer p. 325.*

22. *Respondet huic loco hic in indice libri:* Frugalitatis antiquae in argento exempla. quando primum lectis argentum additum. *quae secuntur uerba* 'repositoriis argentum addi sua memoria coeptum' *uulgo Nepoti adscripta Fenestellae (fr. 25) reddidit Muenzer p. 345 sqq. Cf. Plin. 33, 144* Lectos uero iam pridem mulierum totos operiri argento, quaedam et triclinia, quibus argentum addidisse primus traditur Caruilius Pollio eques Romanus, non ut operiret aut Deliaca specie faceret sed Punicana; eadem et aureos fecit nec multo post argentei Deliacos imitati sunt. quae omnia expiauit bellum ciuile Sullanum. *9, 39* Testudinum putamina secare in laminas lectosque et repositoria his uestire Caruilius Pollio instituit.

23. *Hoc fr. Halm p. 124 ex libris de uiris ill. repetit. — Significauit Plinius hunc locum eiusdem libri § 152:* Sunt qui in Samo primos omnium plasticen inuenisse Rhoecum et Theodorum tradant multo ante Bacchiadas Corintho pulsos, Damaratum uero ex eadem urbe profugum, qui in Etruria Tarquinium regem populi Romani genuit, comitatos fictores Euchira, Diopum, Eugrammum, ab iis Italiae traditam plasticen. *Vid. Muenzer Herm. 30, p. 543. Cf. Cic. de re p. II 19, 34.*

23, 3. inuenit *codd. em. Haupt* colores *codd. praeter Bamb.* 4. tritae] *Sillig* tristae *cod. Bamb.*[1] Ecphantus *O. Jahn* eph. *Bamb.* eleph. *alii codd.* eundem nomine alio *Schultz* 5. quam quem *Ian* in Italia ς

24, 8. frusta *Ricc.* frustra *Voss.* 11. fabruum *B(amb.)*[1] indignati *codd. praeter B* 12. marmura *codd. praeter B* catuli *B*

namque adicit idem Nepos primum totis aedibus nullam nisi e marmore columnam habuisse et omnis solidas e Carystio aut Luniensi.

25*. *Plin. n. h. XXXVI 59* Onychem in Arabiae tantum montibus nec usquam aliubi nasci putauere nostri ueteres, Sudines in Carmania. potoriis primum uasis inde factis, dein pedibus lectorum sellisque Nepos Cornelius tradit magno fuisse miraculo, cum P. Lentulus Spinther amphoras ex eo Chiorum magnitudine cadorum ostendisset, post quinquennium deinde XXXII pedum longitudinis columnas uidisse se.

26*. *Prisc. VIII 17 p. 383 H.* Nepos: Aedis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio.

DE VITA M. TVLLI CICERONIS

1. *Gell. XV 28, 1* Cornelius Nepos et rerum memoriae non indiligens et M. Ciceronis ut qui maxime amicus familiaris fuit. atque is tamen in librorum primo, quos de uita illius composuit, errasse uidetur, cum eum scripsit tres et uiginti annos natum
80/674 primum causam iudicii publici egisse Sextumque Roscium parricidii reum defendisse.

65/689 **2*.** *Hieron. contra Ioann. Hierosol. c. 12. II p. 419 Vall.* Refert enim Cornelius Nepos se praesente ijsdem paene uerbis, quibus edita est, eam pro Cornelio, seditioso tribuno, defensionem peroratam.

EX EPISTVLIS CORNELI NEPOTIS AD CICERONEM

1. *Lactant. inst. III 15, 10* Nepos Cornelius ad eundem Ciceronem ita scribit: Tantum abest, ut ego magistram esse putem

---

26. *Est uotum templum a Bruto Callaico cos. 138/616; cf. Muenzer p. 327.*

---

1. nepost *codd. praet. B* primus *B* 3. luniense *B*
25, 6. potoris *B* 8. spinten *Ricc.* spisten *Voss.* 10. longitudine *uulg.*
26, 11. aedes *Bern.* 12. arcitecta *Bamb. a. corr.* ermodoro *Lugdun.* ermodro *Sangall.* ** lominio *Paris. I a. corr.* salamininio *Bamb.* solamino *Sang.*
1, 15. quem de *Reg. II* ipsius *Voss. Z* 17. primum *Par.* primam *cett. codd.*
1, 24. ego *om. Valent.*

uitae philosophiam beataeque uitae perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistros uiuendi, quam plerisque qui in ea disputanda uersantur. uideo enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore ⟨*et*⟩ continentia praecipiunt argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus uiuere.

DE INLVSTRIBVS VIRIS

1. *Charis. II p. 220 K.* 'Subinde' Nepos de inlustribus uiris II.

2. *Charis. I p. 141 K.* Partum. Caesar in analogicis harum 'partum', Cornelius Nepos inlustrium XV *.

3. *Charis. I p. 141 K.* Cornelius Nepos inlustrium uirorum libro XVI 'A fratre patruele' inquit, * rem necessitudinis, sed etiam personam ostendat.

4. *Diomed. I p. 410 K.* Prope, prope me est. — sed et datiuo casui idem Cicero dixit ad Atticum: 'Propius grammatico accessi', Nepos inlustri * *pro* * Sallustius: 'Proxima Carthagini loca.'

5*. *Nep. Dion. 9, 5* Hic [*in Dionis morte*], sicut ante saepe dictum est, quam inuisa sit singularis potentia et miseranda uita, qui se metui quam amari malunt, cuiuis facile intellectu fuit.

6*. *Plut. Pelop. et Marc. conp. 1* Ἀήττητος ὁ ἀνὴρ [*Αννί-βας*] δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκηπίωνος· ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, 216/588
Καίσαρι καὶ Νέπωτι καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι· μεγάλην δὲ αὗται ῥοπὴν οὐδεμίαν ἐποίησαν, ἀλλ' ἔοικε ψευδόπτωμά τι γενέσθαι περὶ τὸν Λίβυν ἐν ταῖς συμπλοκαῖς ἐκείναις.

---

5. *Dictum hoc esse in libro de regibus statuit Nipperdey p.* XXIII.
6. *Cf. Marc. 11* Κἀνταῦθα πρῶτον οἱ σὺν Ἀννίβᾳ ἐνέδωκαν ὠθούμενοι φόνῳ πολλῷ καὶ τραύμασι πρὸς τὸ στρατόπεδον· λέγονται γὰρ

---

1. uitae putem (*om.* esse) *Par. III Pal.* 2. existimem *om. Pal.* magistris *Bonon. Pal.* recte uiuendi *Pal.* 3. qui] quod *Par. I a. c.* 4. et *deest in codd.*

3, 12. ostendens *Lindemann, lacunam significauit Keil*

4, 15. inlustri *codd. Paris.* inlustris *Mon. aliquam formam cum* prope *cohaerentem datiuumque inde pendentem intercidisse adparet, potuit Diomedes citare Hann. 8, 3* propius Tiberi quam Thermopylis

5, 18. si qui *Fleckeisen*

208/546 7*. *Plut. Marc. 30* *Ἀννίβᾳ δὲ τῶν μὲν ἄλλων ἐλάχιστος ἦν λόγος, Μάρκελλον δὲ πεπτωκέναι πυθόμενος αὐτὸς ἐξέδραμεν ἐπὶ τὸν τόπον καὶ τῷ νεκρῷ παραστὰς καὶ πολὺν χρόνον τήν τε ῥώμην τοῦ σώματος καταμαθὼν καὶ τὸ εἶδος οὔτε φωνὴν ἀφῆκεν ὑπερήφανον οὔτε ἀπ' ὄψεως τὸ χαῖρον, ὡς ἄν τις ἐργώδη πολέμιον καὶ βαρὺν ἀπεκτονώς, ἐξέφηνεν, ἀλλ' ἐπιθαυμάσας τὸ παράλογον τῆς τελευτῆς τὸν μὲν δακτύλιον ἀφείλετο, τὸ δὲ σῶμα κοσμήσας πρέποντι κόσμῳ καὶ περιστείλας ἐντίμως ἔκαυσε καὶ τὰ λείψανα συνθεὶς εἰς κάλπιν ἀργυρᾶν καὶ χρυσοῦν ἐμβαλὼν στέφανον ἀπέστειλε πρὸς τὸν υἱόν. τῶν δὲ Νομάδων τινὲς περιτυχόντες τοῖς κομίζουσιν ὥρμησαν ἀφαιρεῖσθαι τὸ τεῦχος, ἀντιλαμβανομένων δ' ἐκείνων ἐκβιαζόμενοι καὶ μαχόμενοι διέρριψαν τὰ ὀστᾶ. πυθόμενος δὲ Ἀννίβας καὶ πρὸς τοὺς παρόντας εἰπὼν 'Οὐδὲν ἄρα δυνατὸν γενέσθαι ἄκοντος θεοῦ' τοῖς μὲν Νομάσιν ἐπέθηκεν δίκην, οὐκέτι δὲ κομιδῆς ἢ συλλογῆς τῶν λειψάνων ἐφρόντισεν, ὡς δή κατὰ θεόν τινα καὶ τῆς τελευτῆς καὶ τῆς ἀταφίας παραλόγως οὕτω τῷ Μαρκέλλῳ γενομένης. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱστορήκασιν.*

8. *Seru. ad Verg. Aen. I 368* Carthago enim antea speciem habuit duplicis oppidi, quasi aliud alterum amplecteretur, cuius interior pars Byrsa dicebatur, exterior Magalia. huius rei testis est Cornelius Nepos in eo libro, qui uita illustrium inscribitur.

ὑπὲρ πεντακισχιλίους ἀποθανεῖν, ἀποκτεῖναι δὲ Ῥωμαίων οὐ πλείονας ἢ πεντακοσίους. ὁ δὲ Λίβιος οὕτω μὲν οὐ διαβεβαιοῦται γενέσθαι μεγάλην ἧτταν κτλ. et de alia eiusdem ad Nolam uictoria c. 12 Διὸ καὶ δοκοῦσι τότε δεῖξαι τὰ νῶτα Ῥωμαίοις ὅσοι συνέβαλον καὶ φυγὴν ἀποφράσιστον φυγεῖν ἀποβαλόντες ἐξ ἑαυτῶν νεκροὺς μὲν γενομένους πεντακισχιλίους καὶ τῶν ἐλεφάντων τέσσαρας μὲν πεσόντας, δύο δὲ ζωοὺς ἁλόντας κτλ. Liu. XXIII 16. 46 XXIV 17. Quod Nepos in uita Hannibalis contrarium praedicauerat (*1, 2* quotiescumque cum eo [*populo Romano*] congressus est in Italia, semper discessit superior, *6, 1* hinc inuictus patriam defensum reuocatus, *5, 4* quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo aduersus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit), *ex nimio laudationis eius quem tractat ducis studio satis explicatur; uid. p. xxxxiii. Die Quellen des Plut. p. 75 sqq.*

7. *Sequitur Liui testimonium Caesarisque, sed nec hoc cum ipso Liuio concinit (XXVII 28) nec Valerii Maximi (V 1 ext. 6); uid. Die Quellen des Plut. p. 75 sq.*

8. *Vid. Meltzer, Carth. hist. I p. 442.*

8, 21. *Hoc fr. deest in ceteris Thilonis codd., soli exhibent Dresd. et Guelferb. I*

9*. *Plut. Tib. Gracch. 21* Θυγατὴρ γὰρ αὐτοῦ [*P. Crassi*] Λικιννία Γαΐῳ Γράγχῳ συνῴκει· καίτοι Νέπως ὁ Κορνήλιος φησὶν οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ τοῦ θριαμβεύσαντος ἀπὸ Λυσιτανῶν θυγατέρα γῆμαι Γάιον· ἀλλὰ οἱ πλείους ὡς ἡμεῖς γράφομεν ἱστοροῦσιν.

10*. *Plut. Luc. 43* Καὶ πρό γε τῆς τελευτῆς λέγεται 56/698
νοσῆσαι τὴν διάνοιαν αὐτῷ κατὰ μικρὸν ἀπομαραινομένην. Νέπως δὲ Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως φησὶν οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον, ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθένους διαφθαρέντα· τὰ δὲ φάρμακα δοθῆναι μέν, ὡς ἀγαπῷτο μᾶλλον ὁ Καλλισθένης ὑπ' αὐτοῦ, τοιαύτην ἔχειν δοκοῦντα τὴν δύναμιν, ἐκστῆσαι δὲ καὶ κατακλύσαι τὸν λογισμόν, ὥστ' ἔτι ζῶντος αὐτοῦ τὴν οὐσίαν διοικεῖν τὸν ἀδελφόν.

11*. *Sueton. de poet. 6, 1* Hic [*Terentius*] cum multis nobilibus familiariter uixit, sed maxime cum Scipione Africano et C. Laelio, quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur. quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque maiorem natu fuisse. fr. 9.
quamuis et Nepos aequales omnes fuisse tradat.

12*. *Sueton. de poet. 6, 3* Nepos auctore certo comperisse se ait C. Laelium quondam in Puteolano kalendis Martiis admonitum ab uxore, temperius ut discumberet, petisse ab ea ne ⟨*se*⟩ interpellaret, seroque tandem ingressum triclinium dixisse non

---

9. *Cf. Ampel. 19, 4* D. Brutus Callaicus, qui C. Gracchum generum — cum Opimio consule oppressit.

10. *Cf. Plin. n. h. 25, 25* ego nec abortiua dico ac ne amatoria quidem, memor Lucullum imperatorem clarissimum amatorio perisse. *[Aur. Vict.] de uir. ill. 74, 8* Post cum alienata mente desipere coepit, tutela eius M. Lucullo fratri permissa est.

12. *Cf. Ritschelii comment. apud Reifferscheid. p. 513 sqq. = Opusc. III 250 sqq.*

10, 12. 13. κατακλύσαι *Reiske* καταλύσαι *uolg.* καταλῦσαι *Schaefer*

11, 19. et] *Regin. Neap.* ex *Par. A* cor. *Par. B Leid. Dresd.* cornelius *Vrb. ed. pr.*

12, 20. a reorecio *Neap.* a reore cerio *Leid. Dresd.* a reore cer**io *B* auctore cerio (io *in ras. alt. man.*) *Regin.* 21. quōdam *B* quodam *Vrb.* inputet lano *A* martis *A* 22. temparius *B*[1] *Leid. Dresd.* temporius *Reg.*[1] se *add. Ritschl* 23. interpellaret *A* interpollaretur *Reg.* interpellaretur *cett. codd.* seroque *A* seruius *B* seruis *Leid. Dresd.* serius *cett. codd.* in-

saepe in scribendo magis sibi successisse. deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronuntiasse uersus, qui sunt in Heauton timorumeno:

723 'Satis pol proterue me Syri promissa huc induxerunt'.

13. *Corn. Nep. Dion. 3, 2* Eodemque tempore [*quo Platonem Dionysius*] Philistum historicum Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno quam tyrannidi, sed de hoc in eo libro plura sunt exposita, qui de historicis Graecis conscriptus est.

14. *Gell. XI 8* Iuste uenusteque admodum reprehendisse dicitur Aulum Albinum M. Cato. Albinus, qui cum L. Lucullo consul fuit, res Romanas oratione Graeca scriptitauit. in eius
fr. 1. historiae principio scribtum est ad hanc sententiam: neminem suscensere sibi conuenire, si quid in his libris parum composite aut minus eleganter tum scriptum foret. 'Nam sum', inquit, 'homo Romanus, natus in Latio. Graeca oratio a nobis alienissima est', ideoque ueniam gratiamque malae existimationis, si quid esset erratum, postulauit. Ea cum legisset M. Cato: 'Ne tu', inquit, 'Aule, nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari quam culpa uacare. nam petere ueniam solemus, aut cum inprudentes errauimus aut cum compulsi peccauimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur'. Scriptum hoc est in libro Corneli Nepotis de inlustribus uiris XIII.

15. *Libri mss. Corn. Nep. in fine* Verba ex epistula Corneliae Gracchorum matris ex libro Cornelii Nepotis de Latinis †

---

14. *Ex Gellio Macrob. sat. praef. 14 (—ignosceretur).*
15. *De fide harum epistularum uid. s. p. XXXXV.*

---

gressum *A* ingressus *cett. codd.* 1. deinde rogatus *B Neap. (Leid. Dresd.)* 2. 3. Heauton timorumeno *uarie in codd. corruptum* 4. hic *B Leid. Dresd.* hunc *Vrb. Neap.*

13, 7. tyrannis *libri* tyrannidi *Ascensius* in eo *cod. Dan. et Parc.* in eo meo *cett. codd.* 8. Graecis *om. Mon.*

14, 9. *De scriptura u. 10—17 uid. ad Alb. fr. 1* 17. ea *Macr.* eam *codd. Gellii* 20. aut cum noxam imperio compellentis admisimus *Macr.* te *Macr.* Tu tibi *(sc. ueniam petis) Th. Vogel* Dic ci. *Hosius* 22. cornelii *Bern. Voss. Z* 23. uiris *Magl.*[2] *Reg. II* libris *cett. codd.* XIIII *Voss. X om. Par. Q Voss. Z*

15, 24. *Inscriptio est codicis Gif(anii)* 25. gracorum matris ex eodem libro Cornelii Nepotis excerpta *(cod.) G(udianus)*

historicis excerpta: Dices pulchrum esse inimicos ulcisci. id neque maius neque pulchrius cuiquam atque mihi esse uidetur, sed si liceat re publica salua ea persequi. sed quatenus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt atque, uti nunc sunt, erunt potius quam res publica profligetur atque pereat.

Eadem alio loco: Verbis conceptis deierare ausim, praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris, quantum te ob has res, mihi tradidisse: quem oportebat omnium eorum, quos antehac habui liberos, partis [eorum] tolerare atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem, utique, quaecunque ageres, ea uelles maxime mihi placere, atque uti nefas haberes rerum maiorum aduersum meam sententiam quicquam facere, praesertim mihi, cui parua pars uitae superest. ne id quidem tam breue spatium potest opitulari, quin et mihi aduersere et rem publicam profliges? denique quae pausa erit? ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et praebentes molestiis insistere? ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda re publica? Sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero, petito tribunatum: per me facito quod lubebit, cum ego non sentiam. ubi mortua ero, parentabis mihi et inuocabis deum parentem. in eo tempore non pudet te eorum deum preces expetere, quos uiuos atque praesentes relictos atque desertos habueris? ne ille sirit Iuppiter te ea perseuerare, nec tibi tantam dementiam uenire in animum! et si

---

Verba Corneliae Gracchorum matris ex cornelii nepotis libro excerpta *R(omanus)* 1. historicis] oratoribus *Nipperdey op. p. 99* 4. malo temperes *Bergk Phil. XVI 627* multis partibus *explicare studet Nipperdey p. 116* multisque aetatibus *Petauius forsitan* multis artibus 7. Verba eiusdem alio loco ad C. Gracchum filium *R* 8. inimicum *om. Gif. t. Petauio* tantae mol. *G* 9. ob eas res *R* 10. eorum] meorum *Roth* eorum *om. ed. Sauaronis an* coram? 12. agens *G* 15. superest *om. G* 16. aduersere *Gif.* aduersēs *G* aduerses *R* 17. qua pausa *G* ecquando *Gif. G* et quando *R* 19. insistere *Nipperdey* desistere *codd.* desipere *Rutgersius* 21. 22. per me *Gif. G om. R* 23. deum parentem] *uid. Jordan Herm. XV p. 530 sqq.* 24. pudebit *Haupt in Nipperd. op. p. 119* paces (*uel* pacem) *Bergk l. s.* 25. sinat *R*

perseueras, uereor, ne in omnem uitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis.

16*. *Suet. de gramm. et rhet. 27 (3) p. 124 Rf.* Primus [*L. Voltacilius Pitholaus*] omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam ad id tempus.

17. *Anon. Gud. cod. 278* Cornelius Nepos in libro de historicis Latinis de laude Ciceronis: Non ignorare debes unum hoc genus Latinarum litterarum adhuc non modo non respondere Graeciae sed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum. ille enim fuit unus, qui potuerit et etiam debuerit historiam digna uoce pronuntiare, quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a maioribus acceptam perpoliuerit, philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformarit oratione. ex quo dubito, interitu eius utrum res publica an historia magis doleat. — Idem: Locuples ac diuina natura, quo maiorem sui pareret admirationem ponderatioraque sua essent beneficia, neque uni omnia dare nec rursus cuiquam omnia uoluit negare.

18*. *Suet. de gramm. et rhet. 4 p. 103 Rf.* Cornelius Nepos libello, quo distinguit litteratum ab erudito, litteratos uulgo quidem appellari ait eos, qui diligenter aliquid et acute scienterque possint aut dicere aut scribere, ceterum proprie sic appellandos poetarum interpretes, qui a Graecis grammatici nominentur.

EX LIBRIS INCERTIS

1. *Charis. I p. 101 K.* Largitudo nusquam inuenitur nisi apud Nepotem.

2. *De dub. nom. V p. 576 K.* Culmum generis neutri, ut Nepos uult.

---

16. *Vid. I p.* CCCLIIII.
18. *Ex praefatione libri de grammaticis, ut uidetur. Leo Biogr. p. 193 hunc libellum ab illustribus uiris secernit.*

---

2. in *delet Halm*

16, 4. Voltacilius *Roth ex indice et Hieronymo* oltacilius *uel* octacilius *uel* otacilius *libri* Pitholaus *Herts mus. Rhen. XLIII p. 312* pilutus *libri* Plotus *Hieronymus*

17, 14. conformauit orationē *cod. em. Heusinger* 16. locuplex *cod. em. Heusinger*

2, 26. Culmus *et* nepus *codd. Keilii*

C. ATEI PHILOLOGI

BREVIARIVM RERVM OMNIVM ROMANARVM

1*. *Seru. auctus ad Verg. Aen. I 273* Ateius adserit Romam ante aduentum Euandri diu Valentiam uocitatam, sed post Graeco nomine Romen uocitatam.

C. SVLPICI GALBAE HISTORIA

1. *Plut. Rom. 17* Ἑάλω δὲ καὶ [*cum filia Tarpeia*] Ταρπήϊος προδοσίας ὑπὸ Ῥωμύλου διωχθείς, ὡς Ἰόβας φησὶ Γάλβαν Σουλπίκιον ἱστορεῖν.

2. *Oros. V 23, 6* Pompeius contracto apud Palantiam exercitu Lauronem ciuitatem, quam tunc Sertorius oppugnabat, frustra 76/678 conatus defendere uictus aufugit. — fuisse tunc Pompeio triginta milia peditum, mille equites Galba scribit, Sertorium autem sexaginta milia peditum octo milia equitum habuisse commemorat.

L. ARRVNTI HISTORIAE BELLI PVNICI

1—7. *Senec. epist. XIX 5 (114), 17* Haec uitia unus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est, ceteri imitantur et alter alteri tradunt. sic Sallustio uigente anputatae sententiae et uerba ante exspectatum cadentia et obscura breuitas fuere pro cultu.

1, 1. *Cf. Solin. 1, 1 (ex auctore ignoto)* Sunt qui uideri uelint Romae uocabulum ab Euandro primum datum, cum oppidum ibi offendisset, quod extructum antea Valentiam dixerat iuuentus Latina, seruataque significatione inpositi prius nominis, Romam Graece Valentiam nominatam. quam Arcades quoniam habitassent in excelsa parte montis, deriuatum deinceps, ut tutissima urbium arces uocarentur. *Festus s. u. Roma p. 266* Historiae Cumanae compositor [*Hyperochus?*] Athenis quosdam profectos Sicyonem Thespiasque, ex quibus porro ciuitatibus ob inopiam domiciliorum compluris profectos in exteras regiones delatos in Italiam eosque multo errore nominatos Aborigines [*scr.* Aberrigines, *cf. Paul. p. 19*], quorum subiecti qui fuerint Caci improbi uiri, unicarumque uirium imperio montem Palatium, in quo frequentissimi consederint, appellauisse a uiribus regentis Valentiam, quod nomen aduentu Euandri Aeneaeque in Italiam cum magna Graece loquentium copia interpretatum dici coeptum Romen.

1, 1. Ateius *Masuicius* Adeius *Fuld.*
2, 7. palentia *D(onauesch.)* 8. serturius *D*

L. Arruntius, uir rarae frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit, fuit Sallustianus et in illud genus nitens. est apud Sallustium: 'exercitum argento fecit', id est pecunia parauit: hoc Arruntius amare coepit, posuit illud omnibus paginis. 1. dicit quodam loco: 'Fugam nostris fecere', 2. alio loco: 'Hiero, rex Syracusanorum, bellum fecit', 3. et alio loco: 'Quae audita Panhormitanos dedere Romanis fecere.' gustum tibi dare uolui: totus his contexitur liber. quae apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt et paene continua, nec sine causa: ille enim in haec incidebat, at hic illa quaerebat. uides autem, quid sequatur, ubi alicui uitium pro exemplo est. 4. dixit Sallustius 'aquis hiemantibus': Arruntius in primo libro belli Punici ait 'Repente hiemauit tempestas', 5. et alio loco cum dicere uellet frigidum annum fuisse, ait 'Totus hiemauit annus', 6. et alio loco 'Inde sexaginta onerarias leues praeter militem et necessarios nautarum hiemante aquilone misit'. non desinit omnibus locis hoc uerbum infulcire. 7. quodam loco dicit Sallustius 'Inter arma ciuilia aequi bonique famas petit': Arruntius non temperauit, quo minus primo statim libro poneret: 'Ingentes esse famas de Regulo.'

MVNATI RVFI

LIBER DE CATONE VTICENSI

58/696 **1.** *Valer. Max. IIII 3, 2* Verum ut huius uiri [*Scipionis*] abstinentiae testis Hispania, ita M. Catonis Epiros, Achaia, Cyclades insulae, maritima pars Asiae, prouincia Cypros. unde cum pecuniae deportandae ministerium sustineret, tam auersum animum ab omni uenere quam a lucro habuit, in maxima utriusque intemperantiae materia uersatus. nam et regiae diuitiae potestate ipsius continebantur et fertilissimae deliciarum tot Graeciae urbes necessaria totius nauigationis deuerticula erant. atque id Munatius Rufus Cypriacae expeditionis fidus comes scriptis suis significat. cuius testimonium non amplector: proprio enim argumento laus ista nititur, quoniam ex eodem naturae utero et continentia nata est et Cato.

---

6. dedere *B(amb.) A(rgent.)* se dedere ς dedere se *Rossbach* 7. hic *Hense* 15. nessarios *A* 16. misit *A* mistit *B* 17. anma *A*

1, 21. in hispania *Paridis epitoma* 25. materia * *Bern.* 26. * graecia * *Bern.* graeciae *Bern.*[2] per Graeciam *coni. Halm*

2. *Plut. Cat. min. 36* Διὸ [*nimia diligentia in Ptolomaei hereditate diuendenda Cato*] τοῖς τε ἄλλοις φίλοις ὡς ἀπιστῶν προσέκρουσε καὶ τὸν συνηθέστατον ἁπάντων Μουνάτιον εἰς ὀργὴν ὀλίγου δεῖν ἀνήκεστον γενομένην ἐνέβαλεν, ὥστε καὶ Καίσαρι γράφοντι λόγον κατὰ τοῦ Κάτωνος πικροτάτην τοῦτο τὸ μέρος τῆς κατηγορίας διατριβὴν παρασχεῖν. (37.) Ὁ μέντοι Μουνάτιος οὐκ ἀπιστίᾳ τοῦ Κάτωνος, ἀλλ' ἐκείνου μὲν ὀλιγωρίᾳ πρὸς αὐτόν, αὐτοῦ δέ τινι ζηλοτυπίᾳ πρὸς τὸν Κανίδιον ἱστορεῖ γενέσθαι τὴν ὀργήν. καὶ γὰρ αὐτὸς σύγγραμμα περὶ τοῦ Κάτωνος ἐξέδωκεν, ᾧ μάλιστα Θρασέας ἐπηκολούθησε. Λέγει δὲ ὕστερος μὲν εἰς Κύπρον ἀφικέσθαι καὶ λαβεῖν παρημελημένην ξενίαν, ἐλθὼν δὲ ἐπὶ θύρας ἀπωσθῆναι σκευωρουμένου τι τοῦ Κάτωνος οἴκοι σὺν τῷ Κανιδίῳ, μεμψάμενος δὲ μετρίως οὐ μετρίας τυχεῖν ἀποκρίσεως, ὅτι κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν, ὥς φησι Θεόφραστος, αἴτιον τοῦ μισεῖν γίνεσθαι πολλάκις· ‘‘Ἐπεὶ καὶ σύ’, φάναι, ‘τῷ μάλιστα φιλεῖν ἧττον οἰόμενος ἢ προσήκει τιμᾶσθαι χαλεπαίνεις. Κανιδίῳ δὲ καὶ δι' ἐμπειρίαν χρῶμαι καὶ διὰ πίστιν ἑτέρων μᾶλλον, ἐξ ἀρχῆς μὲν ἀφιγμένῳ, καθαρῷ δὲ φαινομένῳ’. Ταῦτα μέντοι μόνον αὐτῷ μόνῳ διαλεχθέντα τὸν Κάτωνα πρὸς τὸν Κανίδιον ἐξενεγκεῖν. αἰσθόμενος οὖν αὐτὸς οὔτε ἐπὶ δεῖπνον ἔτι φοιτᾶν οὔτε σύμβουλος ὑπακούειν καλούμενος. ἀπειλοῦντος δὲ τοῦ Κάτωνος, ὥσπερ εἰώθασι τῶν ἀπειθούντων, ἐνέχυρα λήψεσθαι, μηδὲν φροντίσας ἐκπλεῦσαι καὶ πολὺν χρόνον ἐν ὀργῇ διατελεῖν· εἶτα τῆς Μαρκίας (ἔτι γὰρ συνῴκει τῷ Κάτωνι) διαλεχθείσης τυχεῖν μὲν ὑπὸ Βάρκα κεκλημένους ἐπὶ δεῖπνον, εἰσελθόντα δὲ ὕστερον τὸν Κάτωνα τῶν ἄλλων κατακειμένων ἐρωτᾶν, ὅπου κατακλιθείη. τοῦ δὲ Βάρκα κελεύσαντος, ὅπου βούλεται, περιβλεψάμενον εἰπεῖν, ὅτι παρὰ Μουνάτιον. καὶ περιελθόντα πλησίον αὐτοῦ κατακλιθῆναι, πλέον δὲ μηθὲν φιλοφρονήσασθαι παρὰ τὸ δεῖπνον. ἀλλὰ πάλιν τῆς Μαρκίας δεομένης τὸν μὲν Κάτωνα γράψαι πρὸς αὐτόν, ὡς ἐντυχεῖν τι βουλόμενον, αὐτὸς δὲ ἥκειν ἕωθεν εἰς τὴν οἰκίαν καὶ ὑπὸ τῆς Μαρκίας κατασχεθῆναι, μέχρι πάντες ἀπηλλάγησαν, οὕτω δὲ εἰσελθόντα τὸν Κάτωνα καὶ περιβαλόντα τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας ἀσπάσασθαι καὶ φιλοφρονεῖσθαι. 58/696

3. *Plut. Cat. min. 25* Εἶτα ἔγημε [*Cato L. Marcii*] θυγατέρα Φιλίππου Μαρκίαν, ἐπιεικῆ δοκοῦσαν εἶναι γυναῖκα,

---

3. *Res etiam in rhetorum ludis declamata est. Quintil. III 5, 11. X 5, 13; uid. Drumann III p. 107 sq.*

περὶ ἧς ὁ πλεῖστος λόγος, ⟨καὶ⟩ καθάπερ ἐν δράματι τῷ βίῳ τοῦτο τὸ μέρος προβληματῶδες γέγονε καὶ ἄπορον. Ἐπράχθη δὲ τοῦτον τὸν τρόπον, ὡς ἱστορεῖ Θρασέας εἰς Μουνάτιον, ἄνδρα Κάτωνος ἑταῖρον καὶ συμβιωτήν, ἀναφέρων τὴν πίστιν. Ἐν πολλοῖς ἐρασταῖς καὶ θαυμασταῖς τοῦ Κάτωνος ἦσαν ἑτέρων ἕτεροι μᾶλλον ἔκδηλοι καὶ διαφανεῖς, ὧν καὶ Κόιντος Ὁρτήσιος, ἀνὴρ ἀξιώματός τε λαμπροῦ καὶ τὸν τρόπον ἐπιεικής. ἐπιθυμῶν οὖν τῷ Κάτωνι μὴ συνήθης εἶναι μηδὲ ἑταῖρος μόνον, ἀλλ' ἁμῶς γέ πως εἰς οἰκειότητα καταμῖξαι καὶ κοινωνίαν πάντα τὸν οἶκον καὶ τὸ γένος ἐπεχείρησε συμπείθειν, ὅπως τὴν θυγατέρα Πορκίαν Βύβλῳ συνοικοῦσαν καὶ πεποιημένην ἐκείνῳ δύο παῖδας αὐτῷ πάλιν ὥσπερ εὐγενῆ χώραν ἐντεκνώσασθαι παράσχῃ. δόξῃ μὲν γὰρ ἀνθρώπων ἄτοπον εἶναι τὸ τοιοῦτον, φύσει δὲ καλὸν καὶ πολιτικόν, ἐν ὥρᾳ καὶ ἀκμῇ γυναῖκα μήτε ἀργεῖν τὸ γόνιμον ἀποσβέσασαν μήτε πλείονα τῶν ἱκανῶν ἐπιτίκτουσαν ἐνοχλεῖν καὶ καταπτωχεύειν οὐδὲν δεόμενον, κοινουμένους δὲ τὰς διαδοχὰς ἀξίοις ἀνδράσι τήν τε ἀρετὴν ἄφθονον ποιεῖν καὶ πολύχυτον τοῖς γένεσι καὶ τὴν πόλιν αὐτὴν πρὸς αὐτὴν ἀνακεραννύναι ταῖς οἰκειότησιν. εἰ δὲ πάντως περιέχοιτο τῆς γυναικὸς ὁ Βύβλος, ἀποδώσειν εὐθὺς τεκοῦσαν οἰκειότερος αὐτῷ τε Βύβλῳ καὶ Κάτωνι κοινωνίᾳ παίδων γενόμενος. ἀποκριναμένου δὲ τοῦ Κάτωνος, ὡς Ὁρτήσιον μὲν ἀγαπᾷ καὶ δοκιμάζει κοινωνὸν οἰκειότητος, ἄτοπον δὲ ἡγεῖται ποιεῖσθαι λόγον περὶ γάμου θυγατρὸς ἑτέρῳ δεδομένης, μεταβαλὼν ἐκεῖνος οὐκ ὤκνησεν ἀποκαλυψάμενος αἰτεῖν τὴν αὐτοῦ γυναῖκα Κάτωνος, νέαν μὲν οὖσαν ἔτι πρὸς τὸ τίκτειν, ἔχοντος δὲ τοῦ Κάτωνος ἀποχρῶσαν διαδοχήν. καὶ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, ὡς ταῦτα ἔπραττεν εἰδὼς οὐ προσέχοντα τῇ Μαρκίᾳ τὸν Κάτωνα· κύουσαν γὰρ αὐτὴν τότε τυγχάνειν λέγουσιν. ὁ δ' οὖν Κάτων ὁρῶν τὴν τοῦ Ὁρτησίου σπουδὴν καὶ προθυμίαν οὐκ ἀντεῖπεν, ἀλλ' ἔφη δεῖν καὶ Φιλίππῳ ταῦτα συνδόξαι τῷ πατρὶ τῆς Μαρκίας. ὡς οὖν ὁ Φίλιππος ἐντευχθεὶς ἔγνω τὴν συγχώρησιν, οὐκ ἄλλως ἐνεγγύησε τὴν Μαρκίαν ἢ παρόντος τοῦ Κάτωνος αὐτοῦ καὶ συνεγγυῶντος. Ταῦτα μὲν οὖν, εἰ καὶ χρόνοις ὕστερον ἐπράχθη, μνησθέντι μοι τὸ τῶν γυναικῶν προλαβεῖν ἔδοξεν.

1. καὶ *add. Coraes.*

T. AMPIVS BALBVS

1. *Suet. Caes. 77* Nec minoris inpotentiae uoces propalam edebat [*Caesar*], ut Titus Ampius scribit: nihil esse rem publicam, appellationem modo sine corpore ac specie. Sullam nescisse litteras, qui dictaturam deposuerit. debere homines consideratius iam loqui secum ac pro legibus habere, quae dicat. eoque arrogantiae progressus est, ut haruspice tristia et sine corde exta quondam nuntiante futura diceret laetiora, cum uellet, nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset.

M. ACTORIVS NASO

1. *Suet. Caes. 9* Idem Curio sed et M. Actorius Naso auc- 66/688
tores sunt conspirasse eum [*Caesarem*] etiam cum Gnaeo Pisone adulescente, cui ob suspicionem urbanae coniurationis prouincia Hispania ultro extra ordinem data sit, pactumque, ut simul foris ille, ipse Romae ad res nouas consurgerent, per Ambranos et Transpadanos; destitutum utriusque consilium morte Pisonis.

2. *Suet. Caes. 52* Dilexit [*Caesar*] et reginas, inter quas Eunoen Mauram Bogudis uxorem, cui maritoque eius plurima et immensa tribuit, ut Naso scripsit, sed maxime Cleopatram.

L. AVRVNCVLEIVS COTTA

1. *Athen. VI 105 p. 273*[b] Ἰούλιος δὲ Καῖσαρ, ὁ πρῶτος 55/699
πάντων ἀνθρώπων περαιωθεὶς ἐπὶ τὰς Βρεττανίδας νήσους uel
μετὰ χιλίων σκαφῶν, τρεῖς οἰκέτας τοὺς πάντας συνεπήγετο, 54/700
ὡς Κόττας ἱστορεῖ ὁ τότε ὑποστρατηγῶν αὐτῷ ἐν τῷ περὶ τῆς

1, 9. *Curio pater in orationibus modo citatus. Antea sermo fuerat de coniuratione cum M. Crasso P. Sulla L. Autronio inita. Cf. Tanus. Gem. fr. 1. De Pisone ab equitibus Hispanis interfecto uid. Sallust. Cat. 19. Ascon. p. 83 K. Cass. Dion. XXXVI 44 sq.*

1, 18. *Loquitur Larensis Romanus, M. Terentio Varrone oriundus.*

1, 2. Ampius *Vatic.* Amprius *Memm.* 3. speciem *Salmasius* ac sine corpore speciem *Graeuius*

1, 13. Ambronas *Oudendorp* Aruernos *Mommsen*

2, 17. Naso *Mancinellus* uasa *libri*

Ῥωμαίων πολιτείας συγγράμματι, ὃ τῇ πατρίῳ ἡμῶν γέγραπται φωνῇ.

L. CORNELIVS BALBVS

44/710 **1.** *Suet. Caes. 81* Sed Caesari futura caedes euidentibus prodigiis denuntiata est. paucos ante menses, cum in colonia Capua deducti lege Iulia coloni ad extruendas uillas uetustissima sepulchra disicerent idque eo studiosius facerent, quod aliquantum uasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula aenea in monimento, in quo dicebatur Capys conditor Capuae sepultus, inuenta est, conscripta litteris uerbisque Graecis hac sententia: quandoque ossa Capyis detecta essent, fore ut Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur magnisque mox Italiae cladibus uindicaretur. cuius rei, ne quis fabulosam aut commenticiam putet, auctor est Cornelius Balbus, familiarissimus Caesaris.

C. OPPI

DE VITA PRIORIS AFRICANI

fr. 4 **1.** *Charis. I p. 147 K.* Oppius —, idem de uita prioris Africani: 'Opinante *uulgu*'.

2. *Gell. VI 1, 1* Quod de Olympiade, Philippi regis uxore, Alexandri matre, in historia Graeca scriptum est, id de P. quoque Scipionis matre, qui prior Africanus appellatus est, memoriae fr. 4 datum est. nam et C. Oppius et Iulius Hyginus aliique, qui de uita et rebus Africani scripserunt, matrem eius [*Africani*] diu sterilem existimatam tradunt, P. quoque Scipionem, cum quo nupta

---

1, 8. *Cf. Seru. auctus ad Verg. Aen. II 35* Alii hunc Capyn adfinem Aeneae tradunt, et ideo ei ab Aenea dari recti consilii principatum. hic est qui Capuam condidit. sed hoc post multa saecula claruit. nam his temporibus, quibus Caesar occidi habuit, Capuae iuuencae aeneae dicitur inscriptum fuisse isdem temporibus unum de genere conditoris periturum.

2, 8. *Eandem famam secutus est Liuius XXVI 19* Fuit enim Scipio non ueris tantum uirtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab iuuenta in ostentationem earum compositus, pleraque apud multitudinem aut per nocturnas uisas species aut uelut diuinitus mente monita agens, siue et ipse capti quadam superstitione animi, siue ut imperia consiliaque uelut sorte oraculi missa sine cunctatione exsequerentur. ad hoc iam inde ab initio praeparans animos, ex quo togam uirilem

---

1, 15. uulgu *om. cod. add. Bondamus*

erat, liberos desperauisse. postea in cubiculo atque in lecto mulieris, cum absente marito cubans sola condormisset, uisum repente esse iuxta eam cubare ingentem anguem eumque his qui uiderant territis et clamantibus elapsum inueniri non quisse. id ipsum P. Scipionem ad aruspices retulisse, eos sacrificio facto respondisse fore ut liberi gignerentur, neque multis diebus, postquam ille anguis in lecto uisus est, mulierem coepisse concepti fetus signa atque sensum pati. exinde mense decimo peperisse natumque esse hunc P. Africanum, qui Hannibalem et Carthaginienses in Africa bello Poenico secundo uicit. sed et eum inpendio magis ex rebus gestis, quam ex illo ostento uirum esse uirtutis diuinae creditum est.

3. Id etiam dicere haut piget, quod idem illi, quos supra nominaui, litteris mandauerint, Scipionem hunc Africanum solitauisse noctis extremo, priusquam dilucularet, in Capitolium uentitare ac iubere aperiri cellam Iouis atque ibi solum diu demorari quasi consultantem de re p. cum Ioue, aeditumosque eius templi saepe esse demiratos, quod solum id temporis in Capitolium ingredientem canes semper in alios saeuientes neque latrarent eum neque incurrerent.

Has uolgi de Scipione opiniones confirmare atque approbare uidebantur dicta factaque eius pleraque admiranda. ex quibus est unum huiuscemodi. Assidebat oppugnabatque oppidum in Hispania, situ, moenibus, defensoribus ualidum et munitum, re etiam cibaria

---

sumpsit, nullo die prius ullam publicam priuatamque rem egit, quam in Capitolium iret, ingressusque aedem consideret et plerumque solus in secreto ibi tempus tereret. hic mos, quem per omnem uitam seruabat, seu consulto seu temere uulgatae opinioni fidem apud quosdam fecit, ut stirpis eum diuinae uirum esse crederent, rettulitque famam in Alexandro magno prius uulgatam, et uanitate et fabula parem, anguis immanis concubitu conceptum, et in cubiculo matris eius uisam persaepe prodigii eius speciem interuentuque hominum euolutam repente atque ex oculis elapsam. his miraculis numquam ab ipso elusa fides est, quin potius aucta arte quadam nec abnuendi tale quicquam nec palam adfirmandi, multa alia eiusdem generis, alia uera, alia adsimulata, admirationis humanae in eo iuuene excesserant modum; quibus freta tunc ciuitas aetati haudquaquam maturae tantam rerum molem tantumque imperium permisit. *Cf. c. 20, 5. Val. Max. I 2, 1. Appian. Hisp. 23. Cass. Dio fr. 57, 38. Frustra igitur oblocutus est Polybius X 2; 9.*

---

4. et cl.] exclamantibus *R(ottend).* uideri *R* non posse *R*[1] non potuisse *R*[2] 7. cepisse *codd.* 11. ostenso *R*

3, 16. iuberet sed aperiri *R* 17. consuletem (an *s. lin.*) *R* 24. situm *codd.*

copiosum, nullaque eius potiundi spes erat, et quodam die ius in castris sedens dicebat atque ex eo loco id oppidum procul uisebatur. tum e militibus qui in iure apud eum stabant, interrogauit quispiam ex more, in quem diem locumque uadimonium promitti iuberet, et Scipio manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem protendens 'Perendie', inquit, 'sese sistant illo in loco'. atque ita factum: die tertio, in quem uadari iusserat, oppidum captum est eodemque eo die in arce eius oppidi ius dixit.

DE VITA CASSII

4. *Charis. I 147* Vulgu, *ab* hoc uulgu Oppius de uita Cassii.

DE VITA CAESARIS

(81/673?) **5*.** *Plut. Pomp. 10* *Γάιος δὲ Ὄππιος ὁ Καίσαρος ἑταῖρος ἀπανθρώπως φησὶ καὶ Κοΐντῳ Οὐαλλερίῳ χρήσασθαι τὸν Πομπήιον. ἐπιστάμενον γάρ, ὡς ἔστι φιλολόγος ἀνὴρ καὶ φιλομαθὴς ἐν ὀλίγοις ὁ Οὐαλλέριος, ὡς ἤχθη πρὸς αὐτόν, ἐπισπασάμενον καὶ συμπεριπατήσαντα καὶ πυθόμενον ὧν ἔχρῃζε καὶ μαθόντα, προστάξαι τοῖς ὑπηρέταις εὐθύς, ἀνελεῖν ἀπαγαγόντας. ἀλλ' Ὀππίῳ μέν, ὅταν περὶ τοῦ Καίσαρος πολεμίων ἢ φίλων διαλέγηται, σφόδρα δεῖ πιστεύειν μετὰ εὐλαβείας.*

58/696 **6*.** *Plut. Caes. 17* *Συντόνως δὲ ἤλαυνεν οὕτως* [*Caesar*], *ὥστε τὴν πρώτην ἔξοδον ἀπὸ Ῥώμης ποιησάμενος ὀγδοαῖος ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν ἐλθεῖν· τὸ μὲν οὖν ἱππεύειν ἐκ παιδὸς αὐτῷ ἦν ῥάδιον. — ἐν ἐκείνῃ δὲ τῇ στρατείᾳ προσεξήσκησεν ἱππαζόμενος τὰς ἐπιστολὰς ὑπαγορεύειν καὶ δυσὶν ὁμοῦ γράφουσιν ἐξαρκεῖν, ὡς δὲ Ὄππιός φησι, καὶ πλείοσιν.*

7*. *Suet. Caes. 53* Nam circa uictum [*Caesarem*] C. Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hospite conditum oleum pro uiridi adpositum aspernantibus ceteris solum etiam largius appetisse scribat, ne hospitem aut neglegentiae aut rusticitatis uideretur arguere.

---

5. *Q. Valerii Sorani, 'litteratissimi omnium togatorum' (Cic. de or. III 11, 43) miseram mortem conmemorat Plut. q. Rom. 61.*

6. *Animi uigorem Caesaris in epistulis dictandis admiratur etiam Plinius n. h. VII 91.*

7. *Cf. Plut. Caes. 17 (modo Oppium laudauerat, fr. 6)* Τῆς δὲ περὶ τὴν δίαιταν εὐκολίας κἀκεῖνο ποιοῦνται σημεῖον, ὅτι τοῦ δειπνίζοντος

4, 9. ab *om. cod.* *an* Caesaris? *uid. supra p.* LXIII.

5, 11. χρῆσθαι *Seitenst.* 12. ἐπιστάμενος *Seitenst.*

8*. *Plin. n. h. XI 252* Varices in cruribus uiro tantum, mulieri raro. C. Marium, qui septiens consul fuit, stanti sibi extrahi passum unum hominum Oppius auctor est.

TANVSI GEMINI

HISTORIA

1*. *Strab. XVII 3, 8 p. 829 Καὶ Τανύσιος δὲ ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς οὐκ ἀπέχεται τῆς τερατολογίας τῆς περὶ τὴν Μαυρουσίαν· πρὸς γὰρ τῇ Λυγγὶ Ἀνταίου μνῆμα ἱστορεῖ καὶ σκελετὸν πηχῶν ἑξήκοντα, ὃν Σερτώριον γυμνῶσαι καὶ πάλιν*

αὐτὸν ἐν Μεδιολάνῳ ξένου Οὐαλλερίου Λέοντος παραθέντος ἀσπάραγον καὶ μύρον ἀντ' ἐλαίου καταχέαντος αὐτὸς μὲν ἀφελῶς ἔφαγε, τοῖς δὲ φίλοις δυσχεραίνουσιν ἐπέπληξεν. '"Ηρκει γὰρ', ἔφη, 'τὸ μὴ χρῆσθαι τοῖς ἀπαρέσκουσιν· ὁ δὲ τὴν τοιαύτην ἀγροικίαν ἐξελέγχων αὐτός ἐστιν ἄγροικος'. Ἐν ὁδῷ δέ ποτε συνελασθεὶς ὑπὸ χειμῶνος εἰς ἔπαυλιν ἀνθρώπου πένητος, ὡς οὐδὲν εὗρε πλέον οἰκήματος ἑνὸς γλίσχρως ἕνα δέξασθαι δυναμένου, πρὸς τοὺς φίλους εἰπών, ὡς τῶν μὲν ἐντίμων παραχωρητέον εἴη τοῖς κρατίστοις, τῶν δὲ ἀναγκαίων τοῖς ἀσθενεστάτοις, Ὄππιον ἐκέλευσεν ἀναπαύσασθαι· αὐτὸς δὲ μετὰ τῶν ἄλλων ὑπὸ τῷ προστεγίῳ τῆς θύρας ἐκάθευδεν. Nam etiam alteram fabulam addidi, quoniam ad Oppium ipsum pertinet eandemque refert Suet. c. 72 Amicos tanta semper facilitate indulgentiaque tractauit, ut Gaio Oppio comitanti se per siluestre iter correptoque subita ualitudine deuersoriolo eo, quod unum erat, cesserit et ipse humi ac sub diuo cubuerit.

8. *Cf. Plut. Mar. 6 Καῖσαρ — τὶ κατ' οἰκειότητα ζηλώσας Μάριον. — τῷ δὲ Μαρίῳ καὶ σωφροσύνην μαρτυροῦσι καὶ καρτερίαν, ἧς δεῖγμα κ. ὶ τὸ περὶ τὴν χειρουργίαν ἐστίν. ἰξιῶν γάρ, ὡς ἔοικε, μεγάλων ἀναπλέως ἄμφω τὰ σκέλη γεγονὼς καὶ τὴν ἀμορφίαν δυσχεραίνων ἔγνω παρασχεῖν ἑαυτὸν τῷ ἰατρῷ καὶ παρέσχεν ἄδετος θάτερον σκέλος οὔτε κινηθεὶς οὔτε στενάξας, ἀλλὰ καθεστῶτι τῷ προσώπῳ καὶ μετὰ σιωπῆς ὑπερβολάς τινας τῶν ἀλγηδόνων ἐν ταῖς τομαῖς ἀνασχόμενος. τοῦ δ' ἰατροῦ μετιόντος ἐπὶ θάτερον οὐκέτι παρέσχε φήσας ὁρᾶν τὸ ἐπανόρθωμα τῆς ἀλγηδόνος οὐκ ἄξιον.*

1. *Cf. Plut. Sert. 9 Ἐνταῦθα [ad Tingin] τὸν Ἀνταῖον οἱ Λίβυες ἱστοροῦσι κεῖσθαι καὶ τὸν τάφον αὐτοῦ Σερτώριος διέσκαψε τοῖς βαρβάροις ἀπιστῶν διὰ μέγεθος· ἐντυχὼν δὲ τῷ σώματι πηχῶν ἑξήκοντα μῆκος, ὥς φασι, κατεπλάγη καὶ σφάγιον ἐντεμὼν συνέχωσε τὸ μνῆμα καὶ τὴν περὶ*

8, 2. Martium *cod. Ricc.* c. mario *cod. Moneus Vat.* 2. intrahi *cod. Ricc.*

1, 4. *Γαβίνιος uulg. Τανύσιος ex optimo codice (Vaticano) restituit B. Niese m. Rhen. XXXVIII p. 600 sqq. Σαλλούστιος Buecheler in Fleckeis. ann. LXI p. 305* 5. *συγγραφέων codd.* 6. *λιγγὶ aliq. codd. Τιγγὶ Coraes*

ἐπιβαλεῖν γῆν. καὶ τὰ περὶ τῶν ἐλεφάντων μυθώδη. φησὶ γὰρ τἄλλα μὲν θηρία φεύγειν τὸ πῦρ, τοὺς δ' ἐλέφαντας πολεμεῖν καὶ ἀμύνεσθαι, διότι τὴν ὕλην φθείρει· πρὸς δὲ τοὺς ἀνθρώπους διαμάχεσθαι κατασκόπους προπέμποντας καὶ ὅταν ἴδωσιν ἐκείνους φεύγειν· καὶ αὐτοὺς ἐπειδὰν τραύματα λάβωσιν, ἱκετηρίαν προτείνειν κλάδους ἢ βοτάνην ἢ κόνιν.

66/688 2. *Suet. Caes. 9* Siquidem ante paucos dies, quam aedilitatem iniret [*Caesar*], uenit in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item P. Sulla et L. Autronio post designationem consulatus ambitus condemnatis, ut principio anni senatum adorirentur et trucidatis quos placitum esset, dictaturam Crassus inuaderet, ipse ab eo magister equitum diceretur constitutaque ad arbitrium republica Sullae et Autronio consulatus restitueretur. Meminerunt huius coniurationis Tanusius Geminus in historia, Marcus Bibulus in edictis, C. Curio pater in orationibus. — Tanusius adicit Crassum paenitentia uel metu diem caedi destinatum non obisse et idcirco ne Caesarem quidem signum, quod ab eo dari conuenerat, dedisse.

55/699 3*. *Plut. Caes. 22 Τανύσιος δὲ λέγει Κάτωνα τῆς βουλῆς ἐπὶ τῇ νίκῃ [Vsipetum Tencterorumque] ψηφιζομένης ἑορτὰς καὶ θυσίας ἀποφήνασθαι γνώμην, ὡς ἐκδοτέον ἐστὶ τὸν Καίσαρα τοῖς βαρβάροις ἀφοσιουμένους τὸ παρασπόνδημα ὑπὲρ τῆς πόλεως καὶ τὴν ἀρὰν εἰς τὸν αἴτιον τρέποντας.*

αὐτὸ [sic Niese, αὐτοῦ codd.] τιμήν τε καὶ φήμην συνηύξησε. Plin. n. h. V 2 Lixos uel fabulosissime antiquis narrata. ibi regia Antaei certamenque cum Hercule et Hesperidum horti. *(ex eo Solin. 24, 3.) Pomp. Mela I 5* Tinge oppidum peruetus et ab Antaeo, ut ferunt, conditum.

3. *Antecesserat Caesaris ipsius testimonium: ὁ μὲν Καῖσαρ ἐν ταῖς ἐφημερίσι. Cf. App. Celt. 18 p. 54 Mend. Οὐσιπέται, ἔθνος Γερμανικόν, καὶ Ταγχρέαι δοκοῦσι πρότεροι σφετέροις ἱππεῦσιν ὀκτακοσίοις τρέψασθαι τῶν Καίσαρος ἱππέων ἐς πεντακισχιλίους, ὁ δὲ Καῖσαρ αὐτοῖς πρεσβευομένοις ἐς αὐτὸν ἐπιθέσθαι, τοὺς πρέσβεις κατασχών, καὶ τὸ πάθος ἐκείνοις ἐς τέλος αἰφνίδιον οὕτω συνενεχθῆναι, ὡς τεσσαράκοντα μυριάδας τούτων συγκοπῆναι. Κάτωνά τε ἐν Ῥώμῃ τῶν τις συγγραφέων φησὶ γνώμην ἐσενεγκεῖν ἐκδοῦναι τοῖς βαρβάροις τὸν Καίσαρα ὡς ἐναγὲς ἔργον ἐς διαπρεσβευσαμένους ἐργασάμενον. ὁ δὲ Καῖσαρ ἐν ταῖς ἰδίαις ἀναγραφαῖς τῶν ἐφημέρων ἔργων φησὶ κτλ. Communem fontem fuisse coniecit Thouret (Stud. Lips. I p. 350 sqq.) C. Oppium, P. Otto (Strabonis ἱστορ. ὑπομνημ. fr. p. 285 sqq.) Strabonem. Pluribus hanc famam explicat Plutarchus Cat. min. 51, tangit comp. Nic. et Crassi 4, praeterea Suet. Caes. 24.*

---

5. *⟨φεύγοντας⟩ φεύγειν καὶ αὐτούς, ἐπειδὰν δὲ uulg. secutus sum cum Niesio codd.* 6. *ἱκετήριον libri*

[4*. *Macrob. sat. I 16, 33* Geminus ait diem nundinarum exactis iam regibus coepisse celebrari quia plerique de plebe repetita Seruii Tullii memoria parentarent ei nundinis, cui rei etiam Varro consentit.]

M. IVNIVS BRVTVS

1. *Cic. ad Att. XII 5, 3 [scr. a. 46. 708]* Et uide, quaeso, L. Libo, ille qui de Ser. Galba, Censorinone et Manilio an T. Quinctio M'. Acilio consulibus tribunus pl. fuerit. conturbat enim me epitome Bruti Fanniana (an Bruti epitoma Fannianorum?). scripsi quod erat in extremo, idque ego secutus hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Laelii; sed tu me *γεωμετρικῶς* refelleras, te autem nunc Brutus et Fannius. ego tamen de bono auctore, Hortensio, sic acceperam, ut apud Brutum est. hunc igitur locum expedies. de rep. I 12, 18 Brut. 26, 101

2. *Charis. II p. 220 K.* 'Subinde' Nepos de inlustribus uiris II. sed et Brutus et Coelius frequenter eo usi sunt.

L. CALPVRNI BIBVLI

CONMENTARII BRVTI

1. *Plut. Brut. 23* *Ἤδη δὲ τῶν μὲν ὡς Καίσαρα, τῶν δ' ὡς Ἀντώνιον διισταμένων — παντάπασι καταγνοὺς τῶν πραγμάτων* [*Brutus*] *ἔγνω καταλιπεῖν Ἰταλίαν καὶ πεζῇ διὰ Λευκανίας εἰς Ἐλέαν ἐπὶ θάλασσαν ἧκεν. Ὅθεν ἡ Πορκία μέλλουσα πάλιν εἰς Ῥώμην ἀποτραπέσθαι λανθάνειν μὲν ἐπειρᾶτο περιπαθῶς ἔχουσα· γραφὴ δέ τις αὐτὴν προὔδωκε τἆλλα γενναίαν* 44/710

4. *Num Tanusii, ut uoluit Meursius, sit, admodum dubium est, potius Cincii, qui a Macrobio Cingius (I 12, 12* in eo libro quem de fastis reliquit; *§ 18; 30) dicitur et cum Varrone coniungitur, ut ex hoc illius auctoritas manasse uideatur.*

1. *L. Scribonius Libo, 'qui de Ser. Galba' tr. pl. sc. rogationem tulit, nunc commemoratur in Bruto 23, 89*: L. Libone tribuno plebis populum incitante et rogationem in Galbam priuilegi similem ferente *(ubi tamen in codd.* T. *nominatur). de or. II 65, 263.*

1, 7. conturbo enim me et pito me Bruti *cod.* conturbat *Wesenberg.* epitome Bruti *uulg.* in Bruti *cod.* an *Orelli. ceterum ut in scriptura omnino incerta nihil mutaui, ne* enim *quidem cum Orellio in* etiam; *uid. Relliq. I p. 140*

οὖσαν. ἦν γὰρ ἐκ τῶν Ἑλληνικῶν διάθεσις, προπεμπόμενος Ἕκτωρ ὑπὸ Ἀνδρομάχης κομιζομένης παρ' αὐτοῦ τὸ παιδίον, ἐκείνῳ δὲ προσβλεπούσης. ταῦτα θεωμένην τὴν Πορκίαν ἡ τοῦ πάθους εἰκὼν ἐξέτηξεν εἰς δάκρυα· καὶ πολλάκις φοιτῶσα τῆς ἡμέρας ἔκλαιεν. Ἀκιλίου δέ τινος τῶν Βρούτου φίλων τὰ πρὸς Ἕκτορα τῆς Ἀνδρομάχης ἔπη διελθόντος

Z 429 '"Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοι ἐσσὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης',

μειδιάσας ὁ Βροῦτος '"Ἀλλ' οὐκ ἐμοί γ'" εἶπε 'πρὸς Πορκίαν
Z 491 ἔπεισι φάναι τὰ τοῦ Ἕκτορος:

"Ἱστόν τ' ἠλακάτην τε καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε'.

σώματος γὰρ ἀπολείπεται φύσει τῶν ἴσων ἀνδραγαθημάτων, γνώμῃ δ' ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ὥσπερ ἡμεῖς, ἀριστεύει'. Ταῦτα μὲν ὁ τῆς Πορκίας υἱὸς ἱστόρηκε Βύβλος.

P. VOLVMNI

CONMENTARII DE PVGNA PHILIPPENSI

42/712 **1***. *Plut. Brut.* 48 Ἐν ἐκείνῃ δὲ τῇ νυκτὶ [*ante pugnam Philippensem*] πάλιν φασὶν εἰς ὄψιν ἐλθεῖν τὸ φάσμα τῷ Βρούτῳ καὶ τὴν αὐτὴν ἐπιδειξάμενον ὄψιν οὐδὲν εἰπεῖν, ἀλλ' οἴχεσθαι. Πόπλιος δὲ Βολούμνιος, ἀνὴρ φιλόσοφος καὶ συνεστρατευμένος ἀπ' ἀρχῆς Βρούτῳ, τοῦτο μὲν οὐ λέγει τὸ σημεῖον, μελισσῶν δέ φησι τὸν πρῶτον ἀετὸν ἀνάπλεων γενέσθαι· καὶ τῶν ταξιάρχων τινὸς ἀπ' αὐτομάτου τὸν βραχίονα μύρον ῥόδινον ἐξανθεῖν καὶ πολλάκις ἐξαλείφοντας καὶ ἀπομάττοντας μηδὲν περαίνειν. Καὶ πρὸ τῆς μάχης αὐτῆς ἀετοὺς δύο συμπεσόντας ἀλλήλοις ἐν μεταιχμίῳ τῶν στρατοπέδων μάχεσθαι. καὶ σιγὴν ἄπιστον ἔχειν τὸ πεδίον θεωμένων ἁπάντων, εἶξαι δὲ καὶ φυγεῖν τὸν κατὰ Βροῦτον. ὁ δὲ Αἰθίοψ περιβόητος γέγονεν ὁ τῆς πύλης ἀνοιχθείσης ἀπαντήσας τῷ φέροντι τὸν ἀετὸν καὶ κατακοπεὶς ταῖς μαχαίραις ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν οἰωνισαμένων.

---

1. *Auspicium aquilarum enarrant etiam Appianus b. c. IV 128, 1 et Cass. Dio XLVII 48, 4.*

---

13. ἀριστεύσει *uulg.*
1, 18. βουλούμνιος *codd. quidam*

2*. *Plut. Brut.* 51 Βροῦτος δὲ [*fugiens post pugnam Philippensem*] διαβάς τι ῥεῖθρον ὑλῶδες καὶ παράκρημνον ἤδη σκότους ὄντος οὐ πολὺ προῆλθεν ἀλλ' ἐν τόπῳ κοίλῳ καὶ πέτραν ἔχοντι μεγάλην προκειμένην καθίσας, ὀλίγων περὶ αὐτὸν ἡγεμόνων καὶ φίλων ὄντων πρῶτα μὲν ἀποβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν ἀστέρων ὄντα μεστὸν ἀνεφθέγξατο δύο στίχους, ὧν τὸν ἕτερον Βολούμνιος ἀνέγραψε 42/712

'Ζεῦ, μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν'.

τοῦ δ' ἑτέρου φησὶν ἐπιλαθέσθαι. κτλ.

Q. DELLI

BELLVM PARTHICVM

1. *Strabo XI 13, 3 p.* 523 Βασίλειον δ' αὐτῶν [*Medorum Atropatiorum*] θερινὸν μὲν ἐν πεδίῳ ἱδρυμένον Γάζακα, ⟨χειμερινὸν δὲ⟩ ἐν φρουρίῳ ἐρυμνῷ Οὐέρα, ὅπερ Ἀντώνιος ἐπολιόρκησε κατὰ τὴν ἐπὶ Παρθυαίους στρατείαν· διέχει δὲ τοῦτο τοῦ Ἀράξου ποταμοῦ τοῦ ὁρίζοντος τήν τε Ἀρμενίαν καὶ τὴν Ἀτροπατηνὴν σταδίους δισχιλίους καὶ τετρακοσίους, ὥς φησιν ὁ Δέλλιος, ὁ τοῦ Ἀντωνίου φίλος, συγγράψας τὴν ἐπὶ Παρθυαίους αὐτοῦ στρατείαν, ἐν ᾗ παρῆν καὶ αὐτὸς ἡγεμονίαν ἔχων. 36/718

2*. *Plut. Anton.* 59 Πολλοὺς δὲ καὶ τῶν ἄλλων φίλων [*Antonii*] οἱ Κλεοπάτρας κόλακες ἐξέβαλον τὰς παροινίας καὶ

---

2. *Cf. App. b. c. IV 130* Ὁ δὲ Βροῦτος ἀναφεύγει μὲν ἐς τὰ ὄρη σὺν ἱκανῷ πλήθει, ὡς νυκτὸς ἐς τὸ στρατόπεδον ὑποστρέψων ἢ καταβησόμενος ἐπὶ τὴν θάλατταν· ἐπεὶ δὲ περιείληπτο πάντα φυλακαῖς, διενυκτέρευεν ἔνοπλος μετὰ πάντων, καί φασιν αὐτὸν ἐς τοὺς ἀστέρας ἀναβλέποντα εἰπεῖν· 'Ζεῦ, μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν' (*Eurip. Med.* 332), ἐνσημαινόμενον ἄρα τὸν Ἀντώνιον. *Hos solos uersus* (τοῦτο τὸ Ἡράκλειον) *eum exclamasse tradidit Cass. Dio XLVII 49:* Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ'· ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ (*Nauck Trag. gr. fr.*[2] *p.* 910).

1. *Cf. Liu. ep.* 130 uiginti et uno diebus trecenta milia fuga emensus. *Gardthausen August. I p.* 295 *sq. II* 153 *sq.* 156.

2, 7. βουλούμνιος *cod. quid.*

1, 10. χειμερινὸν δὲ *cum Meinekio inserui post* Γάζακα [*sic Groskurd* γάζα καὶ *codd.*]. Βασίλειον δ' αὐτῶν ⟨χειμερινὸν μὲν *** *nomen intercidit*⟩, θερινὸν δὲ ἐν πεδίῳ ἱδρυμένον Γάζακα σὺν φρουρίῳ ἐρυμνῷ Οὐέρᾳ *Fabricius l. s. p.* 228 *sq.* Οὐέρα] *sic Meineke* Οὔερα *uulg. ceterum Gazaca et Vera partes urbis Praasporum uel Phraartorum fuerunt* 16. ὁ Δέλλιος *em. Casaubonus* ἀδέλφιος *libri*

βωμολοχίας οὐχ ὑπομένοντας, ὧν καὶ Μάρκος ἦν Σιλανὸς καὶ Δέλλιος ὁ ἱστορικός. οὗτος δὲ καὶ δεῖσαί φησιν ἐπιβουλὴν ἐκ Κλεοπάτρας Γλαύκου τοῦ ἰατροῦ φράσαντος αὐτῷ. προσέκρουσε δὲ Κλεοπάτρᾳ παρὰ δεῖπνον εἰπὼν αὐτοῖς μὲν ὀξίνην ἐγχεῖσθαι, Σάρμεντον δὲ πίνειν ἐν Ῥώμῃ Φαλερῖνον. ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ὃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσιν.

IMPERATORIS AVGVSTI

DE VITA SVA

1*. *Suet. Aug. 2* Ipse Augustus nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit uetere ac locuplete et in qua primus senator pater suus fuerit.

2. *Tertull. de an. c. 46* Nouerunt et Romani ueritatis huius modi somnia. reformatorem imperii, puerulum adhuc et priuati loci et Iulium Octauium tantum et sibi ignotum, Marcus Tullius iam et Augustum et ciuilium turbinum sepultorem de somnio norat. in uitae illius commentariis conditum est.

---

1. *Cf. Vellei. II 59, 2* Fuit C. Octauius ut non patricia ita admodum speciosa equestri genitus familia, grauis, sanctus, innocens, diues. hic praetor inter nobilissimos uiros creatus primo loco, cum ei dignatio Iulia genitam Atiam conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus Macedoniam appellatusque in ea imperator, decedens ad petitionem consulatus obiit praetextato relicto filio. *Nicol. Dam. De Caes. inst. 2 Πατὴρ μὲν ἦν αὐτῷ Γάϊος Ὀκταούιος, ἀνὴρ τῶν ἐκ τῆς συγκλήτου. οἱ δ' αὐτοῦ πρόγονοι, κατά τε πλοῦτον καὶ ἐπιείκειαν ὀνομαστότατοι γενόμενοι κτλ.*

2. *Cf. Suet. Aug. 94* M. Cicero C. Caesarem in Capitolium prosecutus somnium pristinae noctis familiaribus forte narrabat: puerum facie liberali, demissum e caelo catena aurea, ad fores Capitoli constitisse, eique Iouem flagellum tradidisse; deinde repente Augusto uiso, quem ignotum plerisque adhuc auunculus Caesar ad sacrificandum acciuerat, affirmauit ipsum esse, cuius imago secundum quietem sibi obuersata sit. *Plut. Cic. 44 Ἐδόκει δὲ καὶ μείζων τις αἰτία γεγονέναι τοῦ τὸν Κικέρωνα δέξασθαι προθύμως τὴν Καίσαρος φιλίαν. ἔτι γάρ, ὡς ἔοικε, Πομπηίου ζῶντος καὶ Καίσαρος ἔδοξε κατὰ τοὺς ὕπνους ὁ Κι-*

---

5. 6. *σάρμετος codd. quidam*

2, 13. *alterum* et *om. A(gobardinus)* Octauianum *coni. Wissowa* 15. norant *Gelenii ed.* in Vitelliis comm. *A ed. Gangnei* (in Vitellii *coni. Rigaltius*) *emendauit G. Voss. ad Vell. II 59, 1; perperam* illius *Ed. Schwartz Herm. 33 p. 209 ad Ciceronem refert.*

3*. *Cass. Dion. XXXXIIII 35, 2* *Τῆς δὲ διαθήκης αὐτοῦ [Caesaris] μετὰ ταῦτα ἀναγνωσθείσης μαθὼν ὁ δῆμος ὅτι — καταλέλοιπε, καὶ προσέτι καὶ δωρεὰς ἄλλοις τέ τινας καὶ τῇ πόλει τούς τε κήπους τοὺς παρὰ τὸν Τίβεριν καὶ δραχμάς, ὡς μὲν αὐτὸς ὁ Ὀκταούιος γράφει, τριάκοντα, ὡς δὲ ἕτεροι, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἑκάστῳ σφῶν δοθῆναι κεκέλευκεν, ἐταράχθησαν.* 44/710

4*. *Plin. n. h. II 93* Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romae, admodum faustus diuo Augusto iudicatus ab ipso, qui incipiente eo apparuit ludis, quos faciebat Veneri Genetrici non multo post obitum patris Caesaris in collegio ab eo instituto. namque his uerbis in gaudium prodit: 'Iis ipsis ludorum meorum diebus sidus crinitum per septem dies in regione caeli quae sub septentrionibus est conspectum. id oriebatur circa undecimam horam diei clarumque et omnibus e terris conspicuum fuit. eo sidere significari uolgus credidit Caesaris animam inter deorum 44/710

κέρων καλεῖν τινας τοὺς τῶν συγκλητικῶν παῖδας εἰς τὸ Καπιτώλιον, ὡς μέλλοντος ἐξ αὐτῶν ἕνα τοῦ Διὸς ἀποδεικνύειν τῆς Ῥώμης ἡγεμόνα· τοὺς δὲ πολίτας ὑπὸ σπουδῆς θέοντας ἵστασθαι περὶ τὸν νεὼν καὶ τοὺς παῖδας ἐν τοῖς περιπορφύροις καθέζεσθαι σιωπὴν ἔχοντας. ἐξαίφνης δὲ τῶν θυρῶν ἀνοιχθεισῶν καθ' ἕνα τῶν παίδων ἀνισταμένων κύκλῳ περὶ τὸν θεὸν παραπορεύεσθαι, τὸν δὲ πάντας ἐπισκοπεῖν καὶ ἀποπέμπειν ἀχθομένους· ὡς δ' οὗτος ἦν προσιὼν κατ' αὐτόν, ἐκτεῖναι τὴν δεξιὰν καὶ εἰπεῖν· 'Ὦ Ῥωμαῖοι, πέρας ὑμῖν ἐμφυλίων πολέμων οὗτος ἡγεμὼν γενόμενος'. Τοιοῦτόν φασιν ἐνύπνιον ἰδόντα τὸν Κικέρωνα τὴν μὲν ἰδέαν τοῦ παιδὸς ἐκμεμάχθαι καὶ κατέχειν ἐναργῶς, αὐτὸν δ' οὐκ ἐπίστασθαι. μεθ' ἡμέραν δὲ καταβαίνοντος εἰς τὸ πεδίον τὸ Ἄρειον αὐτοῦ τοὺς παῖδας ἤδη γεγυμνασμένους ἀπέρχεσθαι κἀκεῖνον ὀφθῆναι τῷ Κικέρωνι πρῶτον, οἷος ὤφθη καθ' ὕπνον, ἐκπλαγέντα δὲ πυνθάνεσθαι, τίνων εἴη γονέων. ἦν δὲ πατρὸς Ὀκταουίου τῶν οὐκ ἄγαν ἐπιφανῶν, Ἀττίας δὲ μητρὸς ἀδελφιδῆς Καίσαρος. ὅθεν Καῖσαρ αὐτῷ παῖδας οὐκ ἔχων ἰδίους τὴν οὐσίαν ἑαυτοῦ καὶ τὸν οἶκον ἐν ταῖς διαθήκαις ἔδωκεν. Cass. Dio XLV 2, 1 Παιδίσκου τε αὐτοῦ ὄντος καὶ τὴν διατριβὴν ἐν Ῥώμῃ ποιουμένου ἔδοξέ ποτε ὁ Κικέρων ὄναρ ἁλύσεσί τε αὐτὸν χρυσαῖς ἐς τὸ Καπιτώλιον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καθιμῆσθαι καὶ μάστιγα παρὰ τοῦ Διὸς εἰληφέναι· καὶ (οὐ γὰρ ἠπίστατο ὅστις ἦν) περιέτυχέ τε αὐτῷ τῆς ὑστεραίας ἐν αὐτῷ τῷ Καπιτωλίῳ καὶ γνωρίσας αὐτὸν διηγήσατο τοῖς παροῦσι τὴν ὄψιν.

3. *Ex Dione Zonaras X 12. — De numero uid. mon. Ancyr. c. 15* Plebei Romanae uiritim ~~HS~~ trecenos numeraui ex testamento patris mei. *et Mommsen a. h. l.*[2] *p. 60. eundem sine auctore exhibent Nicol. Damasc. uit. Caes. c. 17 p. 436 Muell. Suet. Caes. 83. Plut. Ant. 16. Brut. 20. App. b. c. II 143. mutatio igitur numerorum apud Dionem uel eius auctorem subesse uidetur.*

3, 5. τριάκοντα] *uid. adn.*
4, 15. e *Leid. Ricc.*[2] *om. cet. codd.*

immortalium numina receptam, quo nomine id insigue simulacro capitis eius, quod mox in foro consecrauimus, adiectum est'.

44/710 **5.** *Seru. auctus ad Verg. buc. 9, 46* Cum Augustus Caesar ludos funebres patri celebraret, die medio stella apparuit: ille eam esse confirmauit parentis sui. — — Baebius Macer circa horam octauam stellam amplissimam, quasi lemniscis, radiis coronatam ortam dicit. quam quidam ad illustrandam gloriam Caesaris iuuenis pertinere existimabant, ipse animam patris sui esse uoluit eique in Capitolio statuam super caput auream stellam habentem posuit. inscriptum in basi fuit: '*Καίσαρι ἡμιθέῳ*'. sed Vulcatius aruspex in contione dixit cometen esse, qui significaret exitum noni saeculi et ingressum decimi. sed quod inuitis diis secreta rerum pronuntiaret, statim se esse moriturum, et nondum finita oratione in ipsa contione concidit. hoc etiam Augustus in libro secundo de memoria uitae suae complexus est.

44/710 **6.** *Plut. Dem. et Cic. compar. 3* ***Ἡ μὲν οὖν ἐν τῷ δημηγορεῖν καὶ πολιτεύεσθαι δύναμις ὁμαλῶς ἀμφοτέροις*** [*Demostheni et Ciceroni*] ***ὑπῆρξεν, ὥστε καὶ τοὺς τῶν ὅπλων καὶ στρατοπέδων κυρίους δεῖσθαι, Δημοσθένους μὲν Χάρητα καὶ Διοπείθην καὶ Λεωσθένην, Κικέρωνος δὲ Πομπήιον καὶ Καίσαρα τὸν νέον, ὡς αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἐν τοῖς πρὸς Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν ὑπομνήμασιν εἴρηκεν.***

43/711 **7.** *Plut. Cic. 45* ***Ἐπεὶ δ' Ἀντώνιος μὲν ἥττητο, τῶν δ' ὑπάτων ἀμφοτέρων ἀποθανόντων ἐκ τῆς μάχης πρὸς Καίσαρα συνέστησαν αἱ δυνάμεις, δείσασα δ' ἡ βουλὴ νέον ἄνδρα καὶ***

---

4. 5. *Ex Augusto Suet. Caes. 88:* in deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium sed et persuasione uolgi. si quidem ludis, quos primos consecrato ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem continuos dies fulsit, exoriens circa undecimam horam, creditumque est animam esse Caesaris in caelum recepti; et hac de causa simulacro eius in uertice additur stella. *Cf. Seneca nat. quaest. VII 17. Plut. Caes. 69. Dio XLV 7, 1. Obseq. 68* ludis Veneris Genetricis, quos pro collegio fecit, stella hora undecima crinita sub septentrionis sidere exorta conuertit omnium oculos. quod sidus quia ludis Veneris apparuit, diuo Iulio insigne capitis consecrari placuit. *Gardthausen Augustus II 1 p. 94 sq. Ipse de ea re egi mus. Rhen. 57 p. 243 sqq.*

5, 6. quasi lemniscis, radiis *uel* quasi lemniscis uel fasciis *Thilo* quasi lemnicas cactis *Lemon.* quasi lemniscatis *Daniel* quasi radiis lemniscatis *Heinsius* quasi lemniscis *Masuicius* 8. iuuenis *Lemon.* 10. Vulcatius *Masuicius* uulcanius *Lem.* 15. de memoria *Commelinus* moria *Lem.*[1] memoria *Lem.*[2]

τύχῃ λαμπρᾷ κεχρημένον ἐπειρᾶτο τιμαῖς καὶ δωρεαῖς ἀποκαλεῖν αὐτοῦ τὰ στρατεύματα καὶ περισπᾶν τὴν δύναμιν, ὡς μὴ δεομένη τῶν προπολεμούντων, Ἀντωνίου πεφευγότος οὕτως ὁ Καῖσαρ φοβηθεὶς ὑπέπεμπε τῷ Κικέρωνι τοὺς δεομένους καὶ πείθοντας ὑπατείαν μὲν ἀμφοτέροις ὁμοῦ πράττειν, χρῆσθαι δὲ τοῖς πράγμασιν, ὅπως αὐτὸς ἔγνωκε, παραλαμβάνοντα τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ μειράκιον διοικεῖν ὀνόματος καὶ δόξης γλιχόμενον. ὡμολόγει δὲ Καῖσαρ αὐτός, ὡς δεδιὼς κατάλυσιν καὶ κινδυνεύων ἔρημος γενέσθαι χρήσαιτο τῇ Κικέρωνος ἐν δέοντι φιλαρχίᾳ προτρεψάμενος αὐτὸν ὑπατείαν μετιέναι συμπράττοντος αὐτοῦ καὶ συναρχαιρεσιάζοντος. Ἐνταῦθα μέντοι μάλιστα Κικέρων ἐπαρθεὶς ὑπὸ νέου γέρων καὶ φενακισθεὶς καὶ συναρχαιρεσιάσας καὶ παρασχὼν αὐτῷ τὴν σύγκλητον κτλ.

8. *Plut. Brut.* 27 Μέλλοντι δ' αὐτῷ [*Bruto*] διαβαίνειν 43/711 εἰς τὴν Ἀσίαν ἧκεν ἀγγελία περὶ τῆς ἐν Ῥώμῃ μεταβολῆς· ὁ γὰρ νέος Καῖσαρ ηὐξήθη μὲν ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐπ' Ἀντώνιον, ἐκβαλὼν δὲ τῆς Ἰταλίας ἐκεῖνον αὐτὸς ἤδη φοβερὸς ἦν ὑπατείαν τε μνώμενος παρὰ νόμον καὶ στρατεύματα τρέφων μεγάλα τῆς πόλεως οὐδὲν δεομένης. ὁρῶν δὲ καὶ ταῦτα τὴν βουλὴν βαρυνομένην καὶ πρὸς τὸν Βροῦτον ἀφορῶσαν ἔξω καὶ ψηφιζομένην ἐκείνῳ καὶ βεβαιοῦσαν τὰς ἐπαρχίας ἔδεισε. καὶ τὸν μὲν Ἀντώνιον πέμπων εἰς φιλίαν προὐκαλεῖτο, τὰς δὲ δυνάμεις τῇ πόλει περιστήσας ὑπατείαν ἔλαβεν οὔπω πάνυ μειράκιον ὤν, ἀλλ' εἰκοστὸν ἄγων ἔτος, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν εἴρηκεν.

9*. *Suet. Aug.* 27 Q. Gallium praetorem in officio saluta- 43/711 tionis tabellas duplices ueste tectas tenentem suspicatus gladium occulere nec quidquam statim, ne aliud inueniretur, ausus inquirere, paulo post per centuriones et milites raptum e tribunali

---

7. *E. Schwartz (Herm. 33 p. 218) hoc ex sermonibus Augusti ductum esse censet. — Cf. App. b. c. III 82* μετῄει δὲ καὶ ὁ Καῖσαρ, οὐκ ἐς τὴν βουλὴν ἔτι πέμπων ἀλλ' ἐς τὸν Κικέρωνα ἰδίᾳ, καὶ αὐτὸν παρεκάλει καὶ συνάρξαι, ὡς Κικέρωνα μὲν τὴν ἀρχὴν διοικήσοντα πρεσβύτερόν τε καὶ ἐμπειρότερον ὄντα, αὐτὸς δὲ τὴν ἐπωνυμίαν καρπωσόμενος μόνον ἐς ἀπόθεσιν τῶν ὅπλων εὐπρεπῆ, οὗ δὴ καὶ πρώην ἕνεκα τὸν θρίαμβον αἰτῆσαι. Κικέρων μὲν δὴ τούτοις ἐπαρθεὶς διὰ φιλαρχίαν ἔλεγεν κτλ. *Dio 46, 42, 2. Drumann H. R. I 329 sq.*

8. *Cf. Vellei. II 65* Consulatum iniit Caesar pridie, quam uiginti annos expleret, x kal. Octobres cum collega Q. Pedio, post urbem conditam DCCXI. *c. 61, 4* bellum — ab eo annum agente uicesimum fortissime circa Mutinam administratum. *Liu. ep. 119* C. Caesar — cum annos XVIIII haberet, consul creatus est. *Drumann H. R. I p. 336. IV 246.*

seruilem in modum torsit ac fatentem nihil iussit occidi, prius oculis eius sua manu effossis. quem tamen scribit conloquio petito insidiatum sibi coniectumque a se in custodiam, deinde urbe interdicta dimissum naufragio uel latronum insidiis perisse.

42/712 **10.** *Plutarch. Brut. 41* *Γενομένης δὲ δι' ἀταξίαν ταύτην ἀνωμαλίας καὶ διασπασμοῦ τῶν ταγμάτων τὸ Μεσσάλα πρῶτον, εἶτα τὰ συνεξευγμένα παρήλλαττε τὸ Καίσαρος ἀριστερόν· καὶ βραχέα τῶν ἐσχάτων θιγόντες καὶ καταβαλόντες οὐ πολλοὺς ἀλλ' ὑπερκεράσαντες ἐμπίπτουσιν εἰς τὸ στρατόπεδον. καὶ Καῖσαρ μέν, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἱστορεῖ, τῶν φίλων τινὸς Ἀρτωρίου Μάρκου καθ' ὕπνον ἰδόντος ὄψιν κελεύουσαν ἐκστῆναι Καίσαρα καὶ μετελθεῖν ἐκ τοῦ χάρακος, ἔφθασε μικρὸν ὑπεκκομισθεὶς ἔδοξέ τε τεθνάναι. τὸ γὰρ φορεῖον κενὸν ἀκοντίοις καὶ ὑσσοῖς βάλλοντες διήλασαν.*

---

9. *Cf. App. b. c. III 95 ἔδοξε δὲ ταῖσδε ταῖς ἡμέραις [i. e. consulatus Octauiani] Κόιντος Γάλλιος, ἀδελφὸς Μάρκου Γαλλίου συνόντος Ἀντωνίῳ, τὴν πολιτικὴν στρατηγίαν ἄρχων τῆς Λιβύης καὶ οὕτω τυχὼν [ἐντυχὼν Schweighaeuser. οὐ τυχὼν Mendelssohn] ἐπιβουλεῦσαι τῷ Καίσαρι. καὶ αὐτοῦ τὴν μὲν στρατηγίαν περιεῖλον οἱ σύναρχοι, τὴν δ' οἰκίαν διήρπασεν ὁ δῆμος, ἡ δὲ βουλὴ κατεγίγνωσκε θάνατον. ὁ δὲ Καῖσαρ ἐς τὸν ἀδελφὸν ἐκέλευσε χωρεῖν, καὶ δοκεῖ νεὼς ἐπιβὰς οὐδαμοῦ ἔτι φανῆναι.*

10. *Hoc in priore pugna Philippensi accidisse ipse Plutarchus in uita Antonii 22 refert: Τῇ μέν γε προτέρᾳ μάχῃ [Philippensi] Καῖσαρ ὑπὸ Βρούτου κατὰ κράτος ἡττηθεὶς ἀπέβαλε τὸ στρατόπεδον καὶ μικρὸν ἔφθη τοὺς διώκοντας ὑπεκφυγών, ὡς δὲ αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασι γέγραφε, τῶν φίλων τινὸς ὄναρ ἰδόντος ἀνεχώρησε πρὸ τῆς μάχης. Consentit App. b. c. IV 110 Ἀρξάμενοι δ' ἅπαξ ἔργου [milites Bruti] καὶ τῷ Καίσαρος στρατῷ τεταγμένῳ μάλιστα κατὰ σφᾶς ἐπέδραμον καὶ τρέψαντες ἐδίωκον, μέχρι καὶ τὸ στρατόπεδον ἐξεῖλον, ὃ κοινὸν ἦν Ἀντωνίῳ τι καὶ Καίσαρι, Καίσαρος αὐτοῦ δι' ἐνύπνιον ἔνδον οὐκ ὄντος, ἀλλὰ φυλαξαμένου τὴν ἡμέραν, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἔγραψεν. Idem tangit Suetonius c. 13* Philippense bellum, quamquam iuualidus atque aeger, duplici proelio transegit, quorum priore castris exutus uix ad Antoni cornu fuga euaserat, *pluribus narrat* c. 91 Philippensi acie quamuis statuisset non egredi tabernaculo propter ualitudinem, egressus est tamen amici somnio monitus; cessitque res prospere, quando captis castris lectica eius, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est. *Quaedam exornando addit Valer. Max. I 7, 1* Medico [*Augusti*] Artorio somnium capienti nocte, quam dies insecutus est, quo in campis Philippiis Romani inter se exercitus concurrerent, Mineruae species oborta praecepit, ut illum graui morbo implicitum moneret, ne propter aduersam ualitudinem proximo proelio non interesset. quod cum Caesar audisset, lectica se in aciem deferri iussit; ubi dum supra uires corporis pro

---

10, 8. *καταβάλλοντες uulg. em. Schaefer* 11. *σερτωρίου codd. quidam*

11. *App. b. c. V 42* Ὡς δὲ ἐπὶ τὴν τάφρον [*circumuallationis Lucius Antonius bello Perusino uictus et Augustus*] ἀφίκοντο, 40/714 προσηγόρευσάν τε ἀλλήλους, καὶ ὁ Λεύκιος ἔφη· Εἰ μὲν ξένος ὢν ἐπολέμησα, ὦ Καῖσαρ, αἰσχρὰν ἂν τὴν τοιαύτην ἧσσαν ἡγούμην καὶ αἰσχίονα ἔτι τὴν παράδοσιν, καὶ τῆσδε τῆς αἰσχύνης εἶχον ἀπαλλαγὴν εὔκολον παρ' ἐμαυτοῦ. ἐπεὶ δὲ πολίτῃ διηνέχθην καὶ ὁμοτίμῳ καὶ ὑπὲρ τῆς πατρίδος, οὐκ αἰσχρὸν ἡγοῦμαι μετὰ τοιᾶσδε προφάσεως ὑπὸ τοιοῦδε ἡσσηθῆναι. καὶ τάδε λέγω οὐ παραιτούμενος παθεῖν ὅτι θέλοις (διὰ γάρ σοι τοῦτο ἐς τὸ στρατόπεδον τὸ σὸν ἄνευ σπονδῶν ἱέμην), ἀλλ' ἵνα τοῖς ἄλλοις αἰτήσω συγγνώμην δικαίαν τε καὶ τοῖς σοῖς πράγμασι συμφέρουσαν. δεῖ δέ με τοῦτο ἐπιδεικνύντα διελεῖν τὸν λόγον ὑπέρ τε ἐκείνων καὶ ὑπὲρ ἐμαυτοῦ, ἵνα μόνον ἐμὲ τῶν γεγονότων αἴτιον ἐπιγνοὺς ἐς ἐμὲ τὴν ὀργὴν συναγάγῃς. μὴ νομίσῃς δὲ ἐλεγχθήσεσθαι μετὰ παρρησίας (ἄκαιρον γὰρ) ἀλλὰ μετ' ἀληθείας, ἧς οὐκ ἔνι μοι χωρὶς εἰπεῖν. *(43.)* Ἐγὼ τὸν πρὸς σὲ πόλεμον ἠράμην, οὐχ ἵνα σε καθελὼν διαδέξωμαι τὴν ἡγεμονίαν, ἀλλ' ἵνα τὴν ἀριστοκρατίαν ἀναλάβω τῇ πατρίδι, λελυμένην ὑπὸ τῆς τῶν τριῶν ἀρχῆς, ὡς οὐδ' ἂν αὐτὸς ἀντείποις. καὶ γὰρ ὅτε συνίστασθε αὐτήν, ὁμολογοῦντες εἶναι παράνομον, ὡς ἀναγκαίαν καὶ πρόσκαιρον ἐτίθεσθε, Κασσίου καὶ Βρούτου περιόντων ἔτι καὶ ὑμῶν ἐκείνοις οὐ δυναμένων συναλλαγῆναι. ἀποθανόντων δὲ ἐκείνων, οἳ τὸ τῆς στάσεως κεφάλαιον ἦσαν, καὶ τῶν ὑπολοίπων, εἴ τινα λείψανα ἔστιν, οὐ τῇ πολιτείᾳ πολεμούντων ἀλλ' ὑμᾶς δεδιότων, ἐπὶ δὲ τούτῳ καὶ τῆς πενταετίας παριούσης, ἀνακῦψαι τὰς ἀρχὰς ἐπὶ τὰ πάτρια ἠξίουν, οὐ προτιμῶν οὐδὲ τὸν ἀδελφὸν τῆς πατρίδος, ἀλλ' ἐλπίζων

---

adipiscenda uictoria excubat, castra eius a Bruto capta sunt. *Cf. Lact. diu. inst. II 7. Vell. II 70, 1* ipse Caesar, etiamsi infirmissimus ualetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, ne in castris remaneret, manifesta denuntiatione quietis territo. *Flor. II 17, 9. Cass. Dio 47, 41, 3. Ceterum frustra laborat Weichert p. 219 sqq., ut haec testimonia inter duo proelia Philippensia diuidat, id quod per se a uerisimilitudine abhorret.*

11. *Caesaris nomen ut auctoris commentariorum Appianus non adiecit; per se hoc intellegi arbitrabatur. itaque non probo E. Schwartzium (Pauly-Wissowa II 232 sq. Hermes 33 p. 209) ex commentariis publicis hoc fr. desumptum esse statuentem. uid. s. p.* LXXIIII.

11, 3. *Εἰ μέν σοι ξένῳ ὄντι Mendelssohn coni.* 10. σοι] τοι *Vat.* ς 15. ὁρμὴν *Monac.*

μὲν ἐπανελθόντα πείσειν ἑκόντα, ἐπειγόμενος δὲ ἐπὶ τῆς ἐμῆς ἀρχῆς γενέσθαι. καὶ εἰ κατῆρξας σύ, μόνος ἂν καὶ τὴν δόξαν εἶχες. ἐπεὶ δὲ δή σε οὐκ ἔπειθον, ᾤμην ἐλθὼν ἐπὶ Ῥώμην καὶ ἀναγκάσαι, πολίτης τε ὢν καὶ γνώριμος καὶ ὕπατος. αἱ μὲν αἰτίαι δι' ἃς ἐπολέμησα, αὗται μόναι, καὶ οὔτε ὁ ἀδελφὸς οὔτε Μάνιος οὔτε Φουλουία οὔτε ἡ κληρουχία τῶν ἐν Φιλίπποις πεπολεμηκότων οὔτε ἔλεος τῶν γεωργῶν τὰ κτήματα ἀφαιρουμένων, ἐπεὶ κἀγὼ τοῖς τοῦ ἀδελφοῦ τέλεσιν οἰκιστὰς ἔδωκα, οἳ τὰ τῶν γεωργῶν ἀφαιρούμενοι τοῖς στρατευσαμένοις διένεμον. ἀλλά με σὺ τήνδε τὴν διαβολὴν αὐτοῖς διέβαλλες, τὴν αἰτίαν τοῦ πολέμου μεταφέρων ἐπὶ τὴν κληρουχίαν ἀπὸ σαυτοῦ, καὶ τῷδε μάλιστα αὐτοὺς ἑλὼν ἐμοῦ κεκράτηκας. ἀνεπείσθησαν γὰρ πολεμεῖσθαί τε ὑπ' ἐμοῦ καὶ ἀμύνεσθαί με ἀδικοῦντα. τεχνάζειν μὲν δή σε ἔδει πολεμοῦντα· νικήσαντα δέ, εἰ μὲν ἐχθρὸς εἶ τῆς πατρίδος, κἀμὲ ἡγεῖσθαι πολέμιον, ἃ ἔδοξα συνοίσειν αὐτῇ βουληθέντα μέν, οὐ δυνηθέντα δὲ διὰ λιμόν. (44.) Λέγω δὲ ταῦτα ἐγὼ ἐγχειρίζων μὲν ἐμαυτόν σοι, καθάπερ εἶπον, ἐς ὅ τι θέλοις, ὑποδεικνὺς δὲ οἷα καὶ πρότερον καὶ νῦν ἐφρόνησα περὶ σοῦ καὶ φρονῶν ἔτι μόνος ἀφικόμην. καὶ περὶ μὲν ἐμοῦ τοσαῦτα, περὶ δὲ τῶν φίλων καὶ τοῦ στρατοῦ παντός, εἰ μὲν οὐχ ὑποπτεύσεις με λέγοντα, συμβουλεύω τὰ σοὶ μάλιστα ὠφελιμώτατα, μηδὲν δεινὸν αὐτοὺς ἐργάσασθαι διὰ τὴν ἐμὴν καὶ [τὴν] σὴν φιλονεικίαν, μηδὲ ἄνθρωπον ὄντα καὶ τύχῃ χρώμενον, οὐ βεβαίῳ πράγματι, κωλῦσαι τοὺς κινδυνεύειν ἐν τύχαις ἢ χρείαις ἐθελήσοντάς ποτε ὑπὲρ σοῦ, μαθόντας ἐκ τοῦδε τοῦ σοῦ νόμου δυσέλπιστον σώζεσθαι μὴ κατορθοῦσιν. εἰ δὲ ὕποπτος ἢ ἄπιστος ἐχθροῦ πᾶσα συμβουλή, οὐκ ὀκνῶ καὶ παρακαλεῖν σε μὴ τοὺς φίλους τίνυσθαι τῆς ἐμῆς ἁμαρτίας καὶ τύχης ἀλλ' ἐς ἐμὲ συναγαγεῖν πάντα, τὸν πάντων αἴτιον· ἀφ' ἧς δὴ γνώμης αὐτοὺς ὑπελιπόμην, ἵνα μὴ δόξαιμι

2. ⟨ταῦτα⟩ γενέσθαι coni. Mendelssohn 3. ῥώμην Musgrauius 4. κἂν ἀν. uel καὶ ἀναγκάσειν Mendelss. 7. ⟨τῶν⟩ τὰ Nauck 11. διέβαλες Vat. 13. κεκρατήκασιν ϛ 14. με⟨δεῖν⟩ Stephanus 15. νικῆσαι ϛ lacunis haec corrupta esse Nauck statuit 16. μὲν οὐ δυνηθέντα om. ϛ 19. πρότερον ἐφρόνησα περὶ σοῦ καὶ νῦν φρονῶν ἔτι Nauck 22. συμβουλεύσω codd. meliores 24. τὴν om. ϛ 26. ἐθελήσαντάς ποτε ϛ 27. τὸ σώζεσθαι coni. Mendelss.

σοὶ τάδε λέγων ἐκείνων ἀκουόντων ὑπὲρ ἐμαυτοῦ τεχνάζων εἰπεῖν’.

(45.) Τοιαῦτα δὲ εἰπόντος τοῦ Λευκίου καὶ σιωπήσαντος ὁ Καῖσαρ ἔλεξεν· ‘Ἄσπονδον μέν σε κατιόντα πρὸς ἐμὲ ὁρῶν, ὦ Λεύκιε, ὑπήντησα τῶν ἐμῶν ἐρυμάτων ἔτι ἐκτὸς ὄντι κατὰ σπουδήν, ἵνα ἔτι κύριος ὢν σεαυτοῦ βουλεύοιο καὶ λέγοις καὶ πράττοις ἃ νομίζεις σοι συνοίσειν. ἐπεὶ δ’, ὅπερ ἐστὶ τῶν ἀδικεῖν ὁμολογούντων, σαυτὸν ἡμῖν ἐπιτρέπεις, οὐδὲν ἔτι δέομαι διελέγχειν, ὅσα σὺν τέχνῃ μου διεψεύσω. ἐξ ἀρχῆς δέ με βλάψαι ἑλόμενος καὶ νῦν ἔβλαψας. σπονδὰς γάρ μοι τιθέμενος ἔτυχες ἂν ἠδικημένου καὶ νενικηκότος· ἄσπονδον δὲ σαυτόν τε καὶ τοὺς φίλους ἐπιτρέπων ἡμῖν καὶ τὸν στρατὸν ἀφαιρῇ μὲν πᾶσαν ὀργήν, ἀφαιρῇ δὲ καὶ τὴν ἐξουσίαν, ἣν σπενδόμενος ἂν ἔδωκας ὑπ’ ἀνάγκης. συμπέπλεκται γὰρ οἷς ἄξιον ὑμᾶς παθεῖν τὸ προσῆκον ὧν ἐμὲ δίκαιόν ἐστι ποιεῖν. ὃ δὴ προτιμήσω διά τε τοὺς θεοὺς καὶ δι’ ἐμαυτὸν καὶ διὰ σέ, ὦ Λεύκιε, καὶ οὐ ψεύσω σε τῆς προσδοκίας, ἣν ἔχων περὶ ἐμοῦ κατελήλυθας’.

Ταῦτα μὲν ἔλεξαν ἀλλήλοις, ὡς ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ἦν ἐς τὸ δυνατὸν τῇσδε τῆς φωνῆς μεταβαλεῖν τεκμαιρομένῳ τῆς γνώμης τῶν λελεγμένων. καὶ διεκρίθησαν, ὁ μὲν Καῖσαρ ἐν ἐπαίνῳ καὶ θαύματι τὸν Λεύκιον ἔχων, οὐδὲν ὡς ἐν συμφοραῖς ἀγεννὲς οὐδ’ ἀσύνετον εἰπόντα, ὁ δὲ Λεύκιος τὸν Καίσαρα τοῦ τε ἤθους καὶ βραχυλογίας.

12*. *Suet. Aug. 62* Cum hac [*Scribonia*] quoque diuortium fecit, pertaesus, ut scribit, morum peruersitatem eius, ac statim Liuiam Drusillam matrimonio Tiberi Neronis et quidem praegnantem abduxit. 87/717

13. *App. Illyr. 14 p. 358 Mend.* *Ἐν δὲ τοῖς ὑπομνήμασι τοῦ δευτέρου Καίσαρος τοῦ κληθέντος καὶ Σεβαστοῦ παλαιότερον μὲν οὐδὲν οὐδ’ ἐν τοῖσδε περὶ Παιόνων ηὗρον, Ἰλλυριῶν δέ μοι φαίνεται χωρὶς τῶν εἰρημένων ἐθνῶν καὶ ἕτερα Ῥωμαίων προϋπακοῦσαι. καὶ ὅπως μὲν οὐκ ἔγνων (οὐ γὰρ ἀλλοτρίας πράξεις ὁ Σεβαστός, ἀλλὰ τὰς ἑαυτοῦ συνέγραψεν), ὡς δ’* 35/719

5. *ὄντα libri em. Schweighaeuser* 10. *βλάψαι Mendelss. βλάψειν libri* 11. *μοι om. Mon. Vat.* 14. *ἔδωκα libri em. Schweigh.* 15. *προσῆκον del. Musgr.* 18. *ἐμαυτοῦ libri em. Nauck* 19. *τῶν ὑπομνημάτων ⟨τῶν Καίσαρος⟩ Mendelss.*

13, 34. *συγγέγραφεν coni. Mendelss.* *ὡς δὴ uel ὡς καὶ uel ὃς καὶ Schweigh.*

ἀποστάντας ἐς τοὺς φόρους ἐπανήγαγε καὶ ἑτέρους ὡς ἀρχῆθεν ἔτι ὄντας αὐτονόμους εἷλε καὶ πάντας ἐκρατύνατο ὅσοι τὰς κορυφὰς οἰκοῦσι τῶν Ἄλπεων, βάρβαρα καὶ μάχιμα ἔθνη καὶ κλοπεύοντα τὴν Ἰταλίαν ὡς γείτονα. — (c. 16) Ὁ δὲ Σεβαστὸς πάντα ἐχειρώσατο ἐντελῶς καὶ ἐν παραβολῇ τῆς ἀπραξίας Ἀντωνίου κατελογίσατο τῇ βουλῇ τὴν Ἰταλίαν ἡμερῶσαι δυσμάχων ἐθνῶν θαμινὰ ἐνοχλούντων. κτλ.

14. *Seru. auctus ad Verg. Aen. VIII 696* **Et Augustus in commemoratione uitae suae refert Antonium iussisse, ut legiones suae apud Cleopatram excubarent eiusque nutu et iussu parerent.**

31/723 **15*.** *Plut. Ant. 68* ***Ἐν Ἀκτίῳ δὲ πολὺν ὁ στόλος** [Antonii] **ἀντισχὼν Καίσαρι χρόνον καὶ μέγιστον βλαβεὶς ὑπὸ τοῦ κλύδωνος ὑψηλοῦ κατὰ πρῴραν ἱσταμένου μόλις ὥρας δεκάτης ἀπεῖπε. καὶ νεκροὶ μὲν οὐ πλείους ἐγένοντο πεντακισχιλίων, ἑάλωσαν δὲ τριακόσιαι νῆες, ὡς αὐτὸς ἀνέγραψε Καῖσαρ.***

16*. *Suet. Aug. 42* **Magna uero quondam sterilitate ac difficili remedio, cum uenalicias et lanistarum familias peregrinosque omnes exceptis medicis et praeceptoribus partimque seruitiorum urbe expulisset, ut tandem annona conualuit, impetum se cepisse scribit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret, neque tamen perseuerasse, quia certum haberet post se per ambitionem quandoque restitui. atque ita posthac rem temperauit, ut non minorem aratorum ac negotiantium quam populi rationem deduceret.**

17. *Digest. XXXXVIII 24, 1* **Vlpianus libro nono de officio proconsulis: Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt, et id se obseruasse etiam diuus Augustus libro decimo de uita sua scribit.**

18. *Pseud. Plin. de medic. I 18 (p. 21 ed. Basil.)* **Ad caligines oculorum et ad uitia uetustissima et ad scabritudines et ob-**

---

14. *Cf. Seru. ad Aen. VIII 678.*

15. *Ad Actium duodecim milia militum Antonii cecidisse, sex uulnerata esse ex eisque post mille defecisse refert Orosius VI 19, 12.*

16. *Plew 'Quellenuntersuch. zur Gesch. d. Kaisers Hadrian' p. 109 hoc Suetonium ex breuiario totius imperio hausisse censet, cum pertineat ad sterilitatem a. 6/759.*

18. *De auctoritate huius fr. uid. s. p. LXXV sq.*

---

1. ὡς *aut transponit aut delet Mendelss.*

14, 9. legione *Bern.* 10. Cleopatram *Daniel* decoratum *Floriac.* decorarum *Bern.* excuberant *Flor.* iussus *Flor.*

16, 22. post se] *cod. Basil. Vindob. I,* posse *alii codd.*

scuritatem et ad eos qui iam prope nihil uident et quibus medicamentorum praesidia nulla inueniri possunt, hoc remedium expertum usitabis et efficies, ut uideant clarissime, sine omni uetusto uitio: Piperis albi denarios duos, croci duos, balsami duos, fellis uituli seu uulturis siue pulli pugnacis duos, mellis Attici uncias duas, uini ueteris boni cyathos tres, succi foeniculi unum, et ita compones. piper et crocum teres diligentissime ut bene leue sit, deinde uinum admiscebis et succum foeniculi per partes dimidias et quicquid superauerit, iterum fundes; cum ita feceris, iterum teres bene, deinde si quid uini aut succi superauerit, adicies et teres diutissime, cumque totum medicamentum tritum et leuigatum fuerit, ut collyrium, oportet transponi illud in pyxide Cyprina et repositum seruabis. cumque uolueris uti, ex eo unges et inuenies esse potentissimum remedium, quo multi luminibus de obscuritate restituti sunt. haec compositio ex commentariis Caesaris Augusti descripta est, qua et libentissime utebatur et omnibus illam laudabat. Si cui autem acrior esse uideatur, collyrium lene admisceat, et non nocebit.

19*. *Suet. Aug. 74* Valerius Messalla tradit neminem um- fr. 5
quam libertinorum adhibitum ab eo cenae excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem post proditam S. Pompei classem. ipse scribit inuitasse se quendam, in cuius uilla maneret, qui speculator suus olim fuisset.

20*. *Plin. n. h. II 24* Diuos Augustus prodidit laeuom sibi calceum praepostere inductum, quo die seditione militari prope afflictus est.

[**21.*** *Suet. Caes. 55* Orationes aliquas reliquit [*Caesar*], 62/692
inter quas temere quaedam feruntur. 'Pro Quinto Marcello' non immerito Augustus existimat magis ab actuaris exceptam male subsequentibus uerba dicentis, quam ab ipso editam. — **22*.** 'Apud milites' quoque 'in Hispania' idem Augustus uix ipsius putat, 45/709
quae tamen duplex fertur, una quasi priore habita proelio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem contionandi habuisse eum dicit subita hostium incursione.

20. *Cf. Sueton. Aug. 92* Auspicia et omina quaedam pro certissimis obseruabat. si mane sibi calceus perperam ac sinister pro dextro induceretur, ut dirum; si terra marique ingrediente se longinquam profectionem forte rorasset, ut laetum maturique et prosperi reditus.

3. uisitabis *(ed.) B(at.)*   7. ut] et *B*   admisces *B*
9. teris *B*   14. quod *B*

23*. *Suet. de gram. 16 p. 112 Rf.* Q. Caecilius Epirota Tusculi natus libertus Attici, — cum filiam patroni nuptam M. Agrippae doceret, suspectus in ea et ob hoc remotus, ad Cornelium Gallum se contulit uixitque una familiarissime, quod ipsi Gallo inter grauissima crimina ab Augusto obicitur.

24*. *Isidor. de nat. rer. 44, 4* Et Augustus inquit: Nos uenimus Neapolim fluctu quidem caeco.]

M. VIPSANI AGRIPPAE

DE VITA SVA

42 **1*.** *Plin. n. h. VII 147* In diuo quoque Augusto — magna
712 sortis humanae reperiantur uolumina: — Philippensi proelio morbidi fuga et triduo in palude aegroti et, ut fatentur Agrippa ac Maecenas, aqua subter cutem fusa turgidi latebra.

37 **2.** *Seru. auct. ad Verg. georg. II 162* Agrippa in secundo
717 uitae suae dicit excogitasse se, ut ex Lucrino lacu portum faceret. uerum huius gloria Augusto cessit.

3*. *Plin. XXXVI 121* Sed dicantur uera aestimatione inuicta miracula. Q. Marcius Rex iussus a senatu aquarum Appiae, Anienis, Tepulae ductus reficere nouam a nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra praeturae suae tempus adduxit; Agrippa uero in aedilitate adiecta Virgine aqua ceterisque conriuatis atque emendatis lacus septingentos fecit, praeterea salientes quingentos, castella centum triginta, complura et cultu magnifica, operibus iis signa trecenta aerea aut marmorea inposuit, columnas e marmore quadringentas, eaque omnia annuo spatio. adicit ipse

---

24. *Hoc fr. sumptum ex Suetonii prat. de nat. rer. p. 244 Rf.*
1. *Aliud Augustus in sua uita rettulerat, cf. fr. 10 cum adn.*
2. Ἔργον μεγαλοπρεπὲς *ab Agrippa et excogitatum et aedificatum esse pluribus narrauit Dio Cass. 48, 49—51.*

23, 2. satti *uel* sacti *uel* sati *libri* Attici *Beroaldus*
1, 9. morbidi *Jan* morbi *codd.* 10. agrippae *cod.* $R(icc.)^1$ —pam R^2 ac Maecenas *om. R.*
2, 13. lacum *Vat.* 14. operis *post* huius *add. Thilo* gloriam *Burmann*
3, 20. salientes *Budaeus* psallentes *cod. Bamb.* sapient. *Riccard. Leid.*

aedilitatis suae conmemoratione et ludos diebus undesexaginta factos et gratuita praebita balinea centum septuaginta, quae nunc Romae ad infinitum auxere numerum. 38/721

M. VALERI MESSALLAE RVFI

DE FAMILIIS ROMANIS

1. *Plin. n. h. XXXV 8* **Exstat Messalae oratoris indignatio, quae prohibuit inseri genti suae Laeuinorum alienam imaginem. similis causa Messalae seni expressit uolumina illa, quae de familiis condidit, cum Scipionis Pomponiani transisset atrium uidissetque adoptione testamentaria Saluittones (hoc enim fuerat cognomen) Africanorum dedecori inrepentes Scipionum nomini.**

2*. *Plin. n. h. XXXIV 137* **Verba ipsa de ea re Messallae senis ponam: 'Seruiliorum familia habet trientem sacrum, cui summa cum cura magnificentiaque sacra quotannis faciunt, quem ferunt alias creuisse alias decreuisse uideri et ex eo aut honorem aut deminutionem familiae significari'.**

3*. *Plin. n. h. VII 173* **Nam C. Aelium Tuberonem praetura functum a rogo relatum Messala Rufus et plerique tradunt.**

M. VALERI MESSALLAE CORVINI

CONMENTARII DE BELLO CIVILI

1*. *Plut. Brut. 40 Κάσσιον δὲ Μεσσάλας φησὶ δειπνεῖν* [*ante pugnam Philippensem*] *τε καθ' ἑαυτὸν ὀλίγους τῶν συνήθων παραλαβόντα καὶ σύννουν ὁρᾶσθαι καὶ σιωπηλόν, οὐ* 42/712

---

1. *Cf. App. de b. c. IV 113 Κασσίῳ μὲν δὴ τέλος ἦν τοῦ βίου κατὰ τὴν αὐτοῦ Κασσίου γενέθλιον ἡμέραν, ᾧδε τῆς μάχης γενέσθαι συμπεσούσης, καὶ Τιτίνιος ὡς βραδύνας ἑαυτὸν ἀπέκτεινεν.*

1, 5. Laeuinorum *Barbarus* bleu. *B(amb.)*^{1} pleb. B^2 belu. *R(icc.)* blaenior. *V(oss.)*^{1} blaeuin. V^2 8. Saluittones *Oudendorp.* Saluittonis *V* saeuittonis *B* saluitionis *R (Saluitto mimus fuit, Plin. n. h. VII 54.)* 9. inrepentes *Tolet.* inrepente *cett. codd.*

2, 10. mesallae B^1 messalae B^2 messalis *alii codd.* 12. quodannis $B^1 V^1$ 14 deminutione *V* diminutionem B^2 significaret *B* significare *Sillig*

3, 16. Messala, Rufus *Hard. uulg. uid. supra p.* LXXVIII

φύσει τοιοῦτον ὄντα· παυσαμένου δὲ τοῦ δείπνου λαβόμενον τῆς χειρὸς αὐτοῦ σφόδρα τοσοῦτον εἰπεῖν, ὥσπερ εἰώθει φιλοφρονούμενος, Ἑλληνικῇ φωνῇ 'Μαρτύρομαί σε, Μεσσάλα, ταὐτὰ Πομπηίῳ Μάγνῳ πάσχειν ἀναγκαζόμενος διὰ μιᾶς μάχης ἀναρρῖψαι τὸν περὶ τῆς πατρίδος κύβον. ἀγαθὴν μέντοι ψυχὴν ἔχωμεν εἰς τὴν τύχην ἀφορῶντες, ᾗ, κἂν βουλευσώμεθα κακῶς, ἀπιστεῖν οὐ δίκαιον'. Ταῦτα εἰπόντα φησὶν ὁ Μεσσάλας τελευταῖα πρὸς αὐτὸν ἀσπάσασθαι τὸν Κάσσιον· εἶναι δὲ κεκλημένος εἰς τὴν ὑστεραίαν ἐπὶ δεῖπνον ὑπ' αὐτοῦ γενέθλιον οὖσαν.

42 / 712 **2***. *Plut. Brut. 42 Οἱ δὲ [Bruti milites in pugna Philippensi priore] μὴ κυκλωσάμενοι τοὺς Καίσαρος ἀλλὰ συμπεσόντες ῥᾳδίως μὲν ἀπετρέψαντο τεταραγμένους καὶ διέφθειραν ἐν χερσὶν τρία τάγματα καὶ συνεισέπεσον εἰς τὸ στρατόπεδον τοῖς φεύγουσιν ὑπὸ ῥύμης τοῦ κρατεῖν συνενεχθέντες μεθ' ἑαυτῶν ἔχοντες τὸν Βροῦτον. — Ἤδη δὲ τὸ μέσον ἐξεώκει φόνῳ πολλῷ τοὺς ἀντιτεταγμένους καὶ παντελῶς ἐδόκει κρατεῖν ὁ Βροῦτος, ὥσπερ ὁ Κάσσιος κρατεῖσθαι. καὶ τοῦτο μόνον αὐτῶν διέφθειρε τὰ πράγματα, τοῦ μὲν ὡς νικῶντι Κασσίῳ μὴ βοηθήσαντος, τοῦ δὲ Βροῦτον ὡς ἀπολωλότα μὴ περιμείναντος· ἐπεὶ τῆς γε νίκης ὅρον ὁ Μεσσάλας τίθεται τὸ τρεῖς ἀετοὺς καὶ πολλὰ σημεῖα λαβεῖν τῶν πολεμίων, ἐκείνους δὲ μηδέν.*

42 / 712 **3***. *Plut. Brut. 45 Ἔπεσον δὲ τούτων μὲν [militum Cassii priore pugna Philippensi] ὀκτακισχίλιοι σὺν τοῖς στρατευομένοις οἰκέταις, οὓς Βρίγας ὁ Βροῦτος ὠνόμαζε· τῶν δ' ἐναντίων Μεσσάλας φησὶν οἴεσθαι πλείους ἢ διπλασίους.*

4*. *Tac. ann. IV 34* Messalla Coruinus imperatorem suum Cassium praedicabat.

5*. *Suet. Aug. 74* Conuiuabatur [*Augustus*] assidue nec umquam nisi recta, non sine magno ordinum hominumque dilectu. Valerius Messala tradit neminem umquam libertinorum adhibitum

---

3. *Cf. App. b. c. IV 112 Τὸν δ' ἀριθμὸν τῶν ἀποθανόντων εἰκάζουσι τῶν μὲν ἀμφὶ τὸν Κάσσιον ἐς ὀκτακισχιλίους σὺν τοῖς παρασπίζουσι θεράπουσι γενέσθαι, τῶν δ' ἀμφὶ τὸν Καίσαρα διπλασίονα.*

---

1. *λαβόμενος* ς 4. *ταῦτα libri corr.* ς *παρασχεῖν libri corr.* ς 5. *ὑπὲρ* ς 6. *ἔχομεν uulg. em. Coraes* 7. *εἰπὼν libri* 9. *κεκλημένον uulg. em. Sintenis* **2**, 14. *χερσὶ Sintenis*

3, 26. *Βρύγας uulg. (cf. Oberhummer ap. Pauly-Wiss. III c. 920 sq.) ὀνομάζει Schaefer*

ab eo cenae excepto Mena sed asserto in ingenuitatem post proditam Sexti Pompei classem.

6*. *Senec. suas. 1, 7* Bellissimam tamen rem Dellius dixit, quem Messala Coruinus desultorem bellorum ciuilium uocat, quia ab Dolabella ad Cassium transiturus salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset; a Cassio deinde transit ad Antonium, nouissime ab Antonio transfugit ad Caesarem.

7*. *Charis. I p. 104 K.:* M. Messala de Antonii statuis: Armenii regis spolia gausapae.

8*. *Charis. I p. 129 K.:* Messala contra Antonii litteras: angustiae fretus.

9*. *Charis. I p. 146 K.:* uectigalium Messala: de uectigalium Asiae constitutione.

10*. *Plin. nat. hist. XXXIII 50* Messalla orator prodidit Antonium triumuirum aureis usum uasis in omnibus obscenis desideriis, pudendo crimine etiam Cleopatrae.

C. ASINI POLLIONIS

HISTORIAE

1. *Valer. Max. VIII 13 ext. 4* Arganthonius Gaditanus tam diu regnauit, quam diu etiam ad satietatem uixisse abunde foret. LXXX enim annis patriam suam rexit, cum ad imperium quadraginta annos natus accessisset. cuius rei certi sunt auctores. Asinius etiam Pollio, non minima pars Romani stili, in tertio historiarum suarum libro centum illum et triginta annos explesse commemorat, et ipse neruosae uiuacitatis haud paruum exemplum.

6—10. *Cf. supra p. LXXX sq.*

1. *Vulgo centum et uiginti (sic Herodotus I 163) aut quinquaginta annos. mentionem eius fecisse uidetur As. in oppugnatione Gadium (a. 49. 705).*

6, 3. deillius *codd.* 4. Messala] esse sala *A(ntu.) B(ruxell.)* uocat] loca *A* quia] qui *Gertz* 5. transiturus *T(olet.) corr.* transiturum *A B Vat.* transituro *Brux. II* sibi *T corr.* tibi *A B Vat.* si *Brux. II* 6. accidisset *A* cassiu B^1 transiit *Brux. II*

7, 9. spullia *cod.* spolia *ed. pr.* gausape *ed. pr.*

8, 10. antonini *cod.* Antonii *ed. pr.*

10, 14. Messalla *cod. Bamb. a. c.* Messala *uulg.*

48/706 **2*.** *Plut. Caes. 46* (*a*) Ὁ δὲ Καῖσαρ, ὡς ἐν τῷ χάρακι τοῦ Πομπηίου γενόμενος [*post pugnam Pharsaliam*] τούς τε κειμένους νεκροὺς ἤδη τῶν πολεμίων εἶδε καὶ τοὺς ἔτι κτεινομένους, εἶπεν ἄρα στενάξας· 'Τοῦτο ἐβουλήθησαν, εἰς τοῦτό με ἀνάγκης ὑπηγάγοντο, ἵνα Γάιος Καῖσαρ ὁ μεγίστους πολέμους κατορθώσας, εἰ προηκάμην τὰ στρατεύματα, κἂν κατεδικάσθην'. Ταῦτά φησι Πολλίων Ἀσίννιος τὰ ῥήματα Ῥωμαϊστὶ μὲν ἀναφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τὸν τότε καιρόν, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι. (*b*) Τῶν δ' ἀποθανόντων τοὺς πλείστους οἰκέτας γενέσθαι περὶ τὴν κατάληψιν τοῦ χάρακος ἀναιρεθέντας, στρατιώτας δὲ [*Pompei*] μὴ πλείους ἑξακισχιλίων πεσεῖν.

45/709 **3*.** *Suet. Caes. 55* 'Apud milites' quoque 'in Hispania'
fr. 22 [*orationem Caesaris*] idem Augustus uix ipsius putat, quae tamen duplex fertur: una quasi priore habita proelio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem contionandi habuisse eum dicit subita hostium incursione.

4*. *Suet. Caes. 56* Pollio Asinius parum diligenter parumque integra ueritate compositos putat [*commentarios Caesaris*], cum Caesar pleraque et quae per alios erant gesta, temere crediderit et quae per se, uel consulto uel etiam memoria lapsus perperam ediderit, existimatque rescripturum et correcturum fuisse.

2a. *Sueton. Caes. 30* Quod probabilius facit Asinius Pollio, Pharsalica acie caesos profligatosque aduersarios prospicientem haec eum [*Caesarem*] ad uerbum dixisse referens: 'Hoc uoluerunt: tantis rebus gestis Gaius Caesar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem'. *Cf. Caes. b. ciu. I 13* Docent [*senatores urbium Italicarum Attium Varum*] sui iudicii rem non esse; neque se neque reliquos municipes pati posse C. Caesarem imperatorem bene de re p. meritum tantis rebus gestis oppido moenibusque prohiberi. *Cic. pro Ligar. 6, 18.*

2b. *Plut. Pomp. 72* Ἔφυγε δὲ καὶ τὰ λοιπὰ τάγματα, καὶ φόνος ἐν τῷ στρατοπέδῳ πολὺς ἐγένετο σκηνοφυλάκων καὶ θεραπόντων· στρατιώτας δὲ μόνους ἑξακισχιλίους πεσεῖν φησιν Ἀσίννιος Πολλίων μεμαχημένος ἐκείνην τὴν μάχην μετὰ Καίσαρος. = *App. b. c. II 82* Ἀπέθανον δὲ — ἐκ δὲ τῶν Πομπηίου βουλευταὶ μὲν δέκα, — τῶν δὲ καλουμένων ἱππέων ἀμφὶ τεσσαράκοντα τῶν ἐπιφανῶν· ἐκ δὲ τῆς ἄλλης στρατιᾶς οἱ μὲν ἐπαίροντές φασι δισμυρίους ἐπὶ πεντακισχιλίοις, Ἀσίνιος δὲ Πολλίων, ὑπὸ Καίσαρι τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν, ἑξακισχιλίους ἀναγράφει νεκροὺς εὑρεθῆναι τῶν Πομπηίου. *Contra Caesar b. ciu. III 99, 4* Ex Pompeiano exercitu circiter milia XV cecidisse uidebantur (*cum eo Oros. VI 15, 27*).

2, 3. *ἔτι κτεινομένους Hase ἐπικτεινομένους uulg.* 4. *εἰς — ὑπηγάγοντο del. Casaubonus, etiam ἵνα Schaefer* 7. *Ῥωμαϊστί et Ἑλληνιστί inter se transponenda esse supra p.* LXXXXII *sq. docui.*

5. *Senec. suas. 6, 14* Quoniam in hanc suasoriam incidimus, non alienum puto indicare, quomodo quisque se ex historicis aduersus memoriam Ciceronis gesserit. nam quin Cicero nec tam timidus fuerit, ut rogaret Antonium, nec tam stultus, ut exorari posse *eum* speraret, nemo dubitat excepto Asinio Pollione, qui infestissimus famae Ciceronis permansit. — adieceratque his [*in oratione pro Lamia*] alia sordidiora multo, ut cuilibet facile liqueret hoc totum adeo falsum esse, ut ne ipse quidem Pollio in historiis suis ponere ausus sit. — *(24.)* Pollio quoque Asinius, 43/711 qui Verrem Ciceronis reum fortissime morientem tradidit, Ciceronis mortem solus ex omnibus maligne narrat, testimonium tamen quamuis inuitus plenum ei reddidit. Asini Pollionis: Huius ergo uiri tot tantisque operibus mansuri in omne aeuum praedicare de ingenio atque industria superua*cuum est.* natura autem atque fortuna pariter obsecuta est ei, si quidem facies decora ad senectutem prosperaque permansit ualetudo, tum pax diutina, cuius instructus erat artibus, contigit. namque ad priscam seueritatem iudiciis exactis maxima noxiorum multitudo prouenit, quos obstrictos patrocinio incolumes plerosque habebat. iam felicissima consulatus ei sors petendi et gerendi (magna munera deum!) consilio industriaque: utinam moderatius secundas res et fortius aduersas ferre potuisset! namque utraeque cum euenerant ei,

---

5. *Appianus b. ciu. II 15 hoc Asinii iudicio ducitur.*

5, 3. quin] *Gronou.* que *codd.* 5. posse eum] *Kiessling* possem *A(ntu.) B(rux.)*^{1} posse *A*^{2} *B*^{2} *V(at.) Brux. II* polione *A B V (corr. ex* pilione *in A)* qui] qu *A B*^{1} 6. infestisimus *A* adieceratque *G. Mueller* ceteraque *codd.* 7. ut tibi *codd.* ut cuilibet *G. Mueller* ut ibi *H. Mueller* 11. malignae *A B* 12. inuitos *A* reddidit *Kiessling* redidit *A* reddit *B V(at.) Brux. II* polionis *A* 13. mansuris *codd. em. Bursian* 14. superuacuum est] *Schott* superba *codd.* 15. si *add. Brux. II om. A B V* cui *Burs.* 16. ualitudo *A V Brux. II* tunc *codd.* 17. namque] per eamque *Schultingh* in qua *Gertz* a prisca seueritate iudicis exacti maximorum nox. *codd. em. Gronou.* prisca seueritate e iudiciis exacta *coni. Kiessling* 20. *scripturam codd. retinui sed exclamationis signum posui.* magno munere deum *ante* consulatus *transposuit O. Ribbeck,* magna munera deum *post* industriaque *Eussner* magno, munere *H. Mueller* 21. situndas *B*^{1} 22. utraque *A* euenerant *G. Mueller* uenerant *codd.*

mutari eas non posse rebatur. inde sunt inuidiae tempestates coortae graues in eum certiorque inimicis adgrediendi fiducia; maiore enim simultates adpetebat animo quam gerebat. sed quando mortalium nulli uirtus perfecta contigit, qua maior pars uitae atque ingenii stetit, ea iudicandum de homine est. atque ego ne miserandi quidem exitus eum fuisse iudicarem, nisi ipse tam miseram mortem putasset.

6. *Tac. ann. IV 34* Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem [*Cassii et Bruti*] memoriam tradunt.

7*. *Strab. IV 3, 3 p. 193ª* Φησὶ τὸ μῆκος αὐτοῦ [*Rheni*] σταδίων ἑξακισχιλίων Ἀσίνιος· — φησὶ δὲ καὶ δίστομον εἶναι μεμψάμενος τοὺς πλείω λέγοντας.

8*. *Prisc. VIII 19 p. 386 H.* Asinius: Cuius experta uirtus bello Germaniae traducta ad custodiam Illyrici est.

IVLIVS MARATHVS

63/691 **1.** *Suet. Aug. 94* Auctor est Iulius Marathus ante paucos quam nasceretur [*Augustus*] menses prodigium Romae factum publice, quo denuntiabatur regem populi Romani naturam parturire; senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur, eos qui grauidas uxores haberent, quod ad se quisque spem traheret, curasse ne senatus consultum ad aerarium deferretur.

2. *Suet. Aug. 79* Habuit [*Augustus*] — staturam breuem (quam tamen Iulius Marathus, libertus † etiam memoriam eius, quinque pedum et dodrantis fuisse tradit) sed quae commoditate

---

6. *Vide supra p.* LXXXVII.
7. τοὺς πλείω λέγοντας] *ut Caesarem b. g. IV 10. cf. Gardthausen Aug. II p. 683.*
8. *Caue hoc fr. Suet. Tib. 16 usus* (Nuntiata Illyrici defectione transiit ad curam noui belli et q. s.) *ad Tiberium Caesarem referas, qui a. 7. 760 eo missus est.*
1. *Cf. Augusti fr. 4. 5 c. adn.*

---

1. inde secutae inuidiae⟨et⟩ temp. *Mommsen* 2. cohortae *AB* graues in eo *codd.* grauissimae, eo *Kiessling* 3. maiores *codd.*
8, 13. asinius *Par.*[2] asinnius *uel* assinius *codd.* 14. yllirici *uel* illirici *uel* ilirici *codd.*
2, 23. et a memoria *Lipsius*

et aequitate membrorum occuleretur, ut non nisi ex comparatione astantis alicuius procerioris intellegi posset.

C. DRVSVS

1. *Suet. Aug. 94* Infans adhuc [*Augustus*], ut scriptum apud C. Drusum exstat, repositus uespere in cunas a nutricula loco plano, postera luce non comparuit diuque quaesitus tandem in altissima turri repertus est iacens contra solis exortum.

IVLIVS SATVRNINVS

1. *Suet. Aug. 27* Iulius Saturninus hoc amplius tradit, cum 43/711
peracta proscriptione M. Lepidus in senatu excusasset praeterita et spem clementiae in posterum fecisset, quoniam satis poenarum exactum esset, hunc [*Augustum*] e diuerso professum ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia sibi reliquerit libera.

AQVILIVS NIGER

1. *Suet. Aug. 11* Hoc bello [*Mutinensi*] cum Hirtius in acie, 43/711
Pansa paulo post ex uulnere perissent, rumor increbruit ambos opera eius [*Augusti*] occisos, ut Antonio fugato, re p. consulibus orbata solus uictores exercitus occuparet. Pansae quidem adeo suspecta mors fuit, ut Glyco medicus custoditus sit, quasi uenenum uulneri indidisset. adicit his Aquilius Niger alterum e consulibus Hirtium in pugnae tumultu ab ipso interemptum.

BAEBIVS MACER

1. *Seru. auctus ad Verg. ecl. 9, 47* Cum Augustus Caesar 44/711
ludos funebres patri celebraret, die medio stella apparuit. ille eam esse confirmauit patris sui. — Baebius Macer circa horam octauam stellam amplissimam, quasi lemniscis, radiis coronatam

---

1, 12. *Cf. App. b. c. III 71* *Ἵρτιος δὲ καὶ ἐς τὸ στρατόπεδον ἐνήλατο τοῦ Ἀντωνίου καὶ περὶ τὴν στρατηγίδα σκηνὴν μαχόμενος ἔπεσε. καὶ αὐτοῦ τό τε σῶμα ὁ Καῖσαρ ἐσδραμὼν ἀνείλετο καὶ τοῦ στρατοπέδου κατέσχεν.*

1, 3. apud Caesarem Drusum *Mueller ap. Baumgarten-Crusium*
1, 7. Iulius *Memm.* Iunius *uulg.*

ortam dicit, quam quidam ad inlustrandam gloriam Caesaris iuuenis pertinere existimabant.

2. *Seru. ad Aen. V 556* Baebius tamen Macer dicit a Caesare Augusto pueris, qui luserant Troiam, donatas esse galeas et bina hastilia.

C. IVLI HYGINI
EXEMPLA

1. *Gell. X 18,* Id monumentum Artemisia cum dis manibus sacris Mausoli dicaret, agona, id est certamen laudibus eius dicundis, facit ponitque praemia pecuniae aliarumque rerum bonarum amplissima. ad eas laudes decertandas uenisse dicuntur uiri nobiles ingenio atque lingua praestabili, Theopompus, Theodectes, Naucrates. — Sed eo certamine uicisse Theopompum iudicatum est. — Exstat nunc quoque Theodecti tragoedia, quae inscribitur Mausolus, in qua eum magis quam in prosa placuisse Hyginus in exemplis refert.

DE VITA REBVSQVE INLVSTRIVM VIRORVM

fr. 17 **2.** *Ascon. in Pison. p. 12 K.-S.* Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio, cuius exitus, quo magis insignis esset, in publicum uersus declinaretur, hoc est extra priuatum aperiretur. Varronem autem tradere M. Valerio, quia saepius uicerat, aedes in Palatio tributas Iulius Hyginus dicit in libro priore de uiris claris, P. Valerio Volesi filio Publicolae aedium pub*lice lo*cum sub Veliis, ubi nunc aedis Victoriae est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse.

2, 15. *Vid. adnot. ad Val. Ant. fr. 17. — Muenzer Font. Plin. p. 169 sq.*

2, 19. saepius] Sabinos *Schwegler h. R. II p. 89 Buecheler. cf. Plut. Popl. 20 et Plin. n. h. 36, 112* qui bis in eodem magistratu Sabinos deuicerat. 20. L. hyginius *(apogr.) S(ozom.)* higinius *(ap.) P(ogg.) corr. Popma* et *ante* P. *add. Garatoni* 21. aedilium *S* repul . . . cum *S* repul . . . . cum *P expleuit Rinkes Mnemos. X p. 202 coll. Cic. de harusp. resp. 8, 16* uelis *cod. Sang.* tibi *apogr. Montep.*

3. *Gell. I 14* Iulius Hyginus in libro de uita rebusque inlustrium uirorum sexto legatos dicit a Samnitibus ad C. Fabricium, imperatorem populi Romani, uenisse et memoratis multis magnisque rebus, quae bene ac beniuole post redditam pacem Samnitibus fecisset, optulisse dono grandem pecuniam orasseque, uti acciperet utereturque, atque id facere Samnites dixisse, quod uiderent multa ad splendorem domus atque uictus defieri neque pro amplitudine dignitateque lautum paratum esse. tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos et infra deinceps ad nares et ad os et ad gulam atque inde porro ad uentrem imum deduxisse et legatis ita respondisse: dum illis omnibus membris, quae attigisset, opsistere atque imperare posset, numquam quicquam defuturum; propterea se pecuniam, qua nihil sibi esset usus, ab his, quibus eam sciret usui esse, non accipere.

4. *Gell. VI 1, 2* Nam et C. Oppius et Iulius Hyginus aliique, qui de uita et rebus Africani scripserunt, et q. s. *uid. Opp. fr. 2 p. 46.*

VRBES ITALICAE

5*. *Seru. ad Aen. I 530* Ceterum Italia Hesperia dicitur a fratre Atlantis, qui pulsus a germano Italiam tenuit eique nomen pristinae regionis inposuit, ut Hyginus docet.

6*. *Macrob. sat. I 7, 19* Regionem istam, quae nunc uocatur Italia, regno Ianus optinuit, qui, ut Hyginus Protarchum Trallianum secutus tradit, cum Camese aeque indigena terram hanc ita participata potentia possidebant, ut regio Camasene, oppidum

---

3. *Cf. Val. Max. IV 3, 6* Idem sensit Fabricius Luscinus, honoribus et auctoritate omni ciuitate temporibus suis maior. censu par unicuique pauperrimo, qui a Samnitibus, quos uniuersos in clientela habebat, decem *milia* aeris et quinque pondo argenti et decem seruos sibi missos in Samnium remisit, continentiae suae beneficio sine pecunia praediues, sine usu familiae abunde comitatus, quia locupletem illum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare. *Ceterum res est saepe declamata.*

5. *Hesperus frater Atlantis dicitur etiam in fabula Diodori IV 27, quae tamen ipsa alia est.*

6. *Ex Macrobio Cynthius in Verg. Aen. I 294. — Fabula e Protarcho hausta, de quo nihil accepimus, hoc solo loco inuenitur; quae sequuntur de Iano Saturnoque uulgata sunt (Roscher Lexic. I c. 848. II c. 22 sq.), forsitan a Varrone.*

3, 1. industrium *cod. Paris.* 8. paratum] ς patum *R(otterd.)* paratumque *Vat. Paris.* et tum *R* 9. et *om. R*

6, 21. higinus *P(aris.)* 22. camesę *P* 23. camesene *uulg.* Camasene *etiam Seru. in Verg. Aen. VIII 330. Ioan. Lyd. de mens. IV 2 p. 66 W.*

Ianiculum uocitaretur. post ad Ianum solum regnum redactum est, qui creditur geminam faciem praetulisse, ut quae ante quaeque post tergum essent, intueretur. quod procul dubio ad prudentiam regis sollertiamque referendum est, qui et praeterita nosset et futura prospiceret, sicut Anteuorta et Postuorta, diuinitatis scilicet aptissimae comites, apud Romanos coluntur. hic igitur Ianus, cum Saturnum classe peruectum excepisset hospitio et ab eo edoctus peritiam ruris ferum illum et rudem ante fruges cognitas uictum in melius redegisset, regni eum societate munerauit. cum primus quoque aera signaret, seruauit et in hoc Saturni reuerentiam, ut, quoniam ille naui fuerat aduectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera uero nauis exprimeretur, quo Saturni memoriam in posteros propagaret. — Cum inter haec subito Saturnus non comparuisset, excogitauit Ianus honorum eius augmenta. ac primum terram omnem dicioni suae parentem Saturniam nominauit, aram deinde cum sacris tamquam deo condidit, quae Saturnalia nominauit.

7*. *Seru. auctus in Aen. VIII 600* Hi [*Pelasgi*] primi Italiam tenuisse perhibentur. — Hyginus dicit Pelasgos esse qui Tyrrheni sunt: hoc etiam Varro commemorat.

8. *Macrob. sat. V 18, 15* In qua quidem re mirari est poetae huius [*Vergilii*] occultissimam diligentiam, qui cum legisset Hernicos, quorum est Anagnia, a Pelasgis oriundos appellatosque ita a quodam Pelasgo duce suo, qui Hernicus nominabatur, morem quem de Aetolia legerat, Hernicis adsignauit, qui sunt uetus colonia Pelasgorum. et Hernicum quidem hominem Pelasgum ducem Hernicis fuisse Iulius Hyginus in libro secundo urbium non paucis uerbis probat.

9. *Seru. auctus in Aen. VIII 638* Aut 'seueris' disciplina aut rem hoc uerbo reconditam dixit [*Vergilius*], quia Sabini a

---

7. *Cf. Dion. I 25 ἐκαλοῦντο δὲ ὑπὸ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων τῆς τε χώρας ἐπικλήσει ἀφ' ἧς ἐξανέστησαν καὶ τοῦ παλαιοῦ γένους μνήμῃ οἱ αὐτοὶ Τυρρηνοὶ καὶ Πελασγοί. ὧν ἐγὼ λόγον ἐποιησάμην τοῦ μή τινα θαῦμα ποιεῖσθαι, ἐπειδὰν ποιητῶν ἢ συγγραφέων ἀκούῃ τοὺς Πελασγοὺς καὶ Τυρρηνοὺς ὀνομαζόντων, πῶς ἀμφοτέρας ἔσχον τὰς ἐπωνυμίας οἱ αὐτοὶ κτλ. c. 28 Ἑλλάνικος ὁ Λέσβιος τοὺς Τυρρηνούς φησι Πελασγοὺς πρότερον καλουμένους, ἐπειδὴ κατῴκησαν ἐν Ἰταλίᾳ, παραλαβεῖν ἣν νῦν ἔχουσι προσηγορίαν κτλ. (Mueller FHG I 45). Schwegler H. R. I 156 sqq.*

9. *Vid. Cat. fr. 50. 51 c. adn. et Gell. fr. 10.*

7, 19. yginas *Flor.* 8, 27. ygi^{n}us *Paris.*

Lacedaemoniis originem ducunt, ut Hyginus ait de origine urbium Italicarum, a Sabo, qui de Perside Lacedaemonios transiens ad Italiam uenit et expulsis Siculis tenuit loca quae Sabini habent. nam et partem Persarum nomine Caspiros appellare coepisse, qui post corrupte Casperuli dicti sunt.

10. *Seru. in Aen. I 277* Vrbis enim illius [*Romae*] uerum nomen nemo uel in sacris enuntiat. denique tribunus plebei quidam Valerius Soranus, ut ait Varro et multi alii, hoc nomen ausus enuntiare, ut quidam dicunt, raptus a senatu et in crucem leuatus est. — hoc autem urbis nomen ne Hyginus quidem, cum de situ urbis loqueretur, expressit.

11. *Seru. in Aen. VII 412* Licet Hyginus in Italicis urbibus ab augurio auis ardeae [*Ardeam*] dictam uelit.

12. *Seru. in Aen. VIII 597* Agylla ciuitas est Tusciae a conditore *Agella* appellata, cui ex inscitia Romana aliud est inditum nomen. nam cum Romani euntes per Tusciam interrogarent Agyllinos, quae diceretur ciuitas, illi, utpote Graeci, quid audirent, ignorantes et optimum ducentes, si prius eos salutarent,

---

11. *Hyginum amicum auctorem esse secutus uidetur Ouidius met. XIV 573 sqq.:* cadit Ardea, Turno sospite dicta potens; quem postquam barbarus [*i. e. Troianus; errat Seru. ad Verg. l. l.*] ensis abstulit, et tepida latuerunt tecta fauilla, congerie e media tum primum cognita praepes subuolat et cineres plausis euerberat alis. — nomen quoque mansit in illa urbis, et ipsa suis deplangitur Ardea pennis.

12. *Cf. in X 183* Caere autem etiam Agylla dicitur *ἀπὸ τοῦ χαίρειν.* — hanc Pelasgi condiderunt et q. s. *Strabo V 2, 3 p. 220* *Ἄγυλλα γὰρ ὠνομάζετο τὸ πρότερον ἡ νῦν Καιρέα, καὶ λέγεται Πελασγῶν κτίσμα τῶν ἐκ Θετταλίας ἀφιγμένων· τῶν δὲ Λυδῶν, οἵπερ Τυρρηνοὶ μετωνομάσθησαν, ἐπιστρατευσάντων τοῖς Ἀγυλλαίοις προσιὼν τῷ τείχει τις ἐπυνθάνετο τοὔνομα τῆς πόλεως, τῶν δ' ἀπὸ τοῦ τείχους Θετταλῶν τινος ἀντὶ τοῦ ἀποκρίνασθαι προσαγορεύσαντος αὐτὸν 'χαῖρε' δεξάμενοι τὸν οἰωνὸν οἱ Τυρρηνοὶ τοῦτον ἁλοῦσαν τὴν πόλιν μετωνόμασαν.*

---

1. dicunt *F(loriac.)* de origine in orbium italascim *F* Sabo *Daniel* sabone *F* 5. Casperuli *Daniel* casperin *F* dicti *Daniel* uicti *F*

10, 10. hoc autem urbis nomen *Fuld.* quod urbis *reliqui codd.* hycinus *Bern.* heginus *Lips.*[1] higinus *Fris. Lips.*[2] quidem] quoque *Fuld.*

11, 12. yginus *Carol. Hamb.* yginys *Sang.* iginius *Reg.* iginus *Lips. Fris.* igynus *Flor.* 13. ardeae *Car. Sang. Reg. Flor.* ardeam *Lips. Hamb. Fris.*

12, 18. audier̄ *Reg.* audierant *Lips.* audierent *Fris. a. c.* audierint *Fris. corr.* eos *om. Car. Sang.* salutauerint *Lips.*

dixerunt χαῖρε: quam salutationem Romani nomen ciuitatis esse putauerunt et detracta aspiratione eam Caere nominarunt, ut dicit Hyginus in urbibus Italicis.

13. *Seru. in Aen. III 553* Aulon mons est Calabriae —, in quo oppidum fuit a Locris conditum, quod secundum Hyginum, qui scripsit de situ urbium Italicarum, Caulon nunc est.

DE FAMILIIS TROIANIS

14. *Seru. in Aen. V 389* Sane sciendum hunc [*Entellum*] secundum Hyginum, qui de familiis Troianis scripsit, unum Troianorum fuisse, de quo Vergilius mutat historiam.

ALIA FRAGMENTA HISTORICA

fr. 2 **15.** *Seru. in Aen. II 15* De hoc equo [*Troiano*] uaria in historiis lecta sunt. ut Hyginus et Tubero dicunt, machinamentum bellicum fuit, quod equus appellatur, sicut aries, sicut testudo, quibus muri uel discuti uel subrui solent.

16. *Paulini carm. 32, 131 (p. 334 H.)* Cur dea, non deus est [*Vesta*]? cur ignis femina fertur? ista quidem mulier, sicut commendat Hyginus, stamine prima nouo uestem contexuit olim nomine de proprio dictam, quam tradidit ipsa Vulcano, qui tunc illi monstrarat opertos custodire focos; hic rursum munere

---

13. *Eandem falsam opinionem sequitur Strabo VI 1 p. 261 Μετὰ δὲ τὴν Σάγραν Ἀχαιῶν κτίσμα Καυλωνία, πρότερον δ' Αὐλωνία λεγομένη διὰ τὸν προκείμενον αὐλῶνα.*

14. *Nomen fictum ab urbe Entella Siciliae.*

---

1. *ΚΛΙΡΕ Reg. ΧΗΡΕ Lips. Χ||ΗΡΕ Fris.* Romani *om. Reg.* 2. cere *libri* 3. hyginus *Car. Sang.* ign̄ *Reg.* iginus *Lips. Hamb.* yginus *Fris. Flor.* in] de *Flor.*

13, 5. in quod *Flor.* quod *Fuld.* yginum *Flor. Fuld.* higinum *Hamb.* 6. qui scripsit *om. Fris.* olim non est *codd.* Aulon est *Masuicius* Aulon non est *Burmann* a coli (= '*cauli*') nominatum est *Fr. Schoell* Caulon nunc est *Samter Quaestt. Varr. p. 89.*

14. *Hoc fr. om. Flor.* 9. mutat] *an* mutuatur?

15, 11. ut enim *Fuld.* et Tubero, quod — solent *add. schol. Danielis* dicit *Lips. Hamb. Fris. Tegerns.*

16, 16. commentat *coni. Vonk* 17. nom̄ *A(mbros.)* nomen *M(onac.)* dicta *A M* 18. monstratat *A M em. Muratori* hinc *A M em. Mur.*

laetus obtulit hanc Soli, per quem deprehenderat ante Martis adulterium: nunc omnis credula turba suspendunt Soli per Vulcanalia uestes. utque notent Venerem, tunc et portatur Adonis, stercora tunc mittunt, ipsum pro stercore iactant.

17. *Non. s. u. picumnus p. 518* Hyginus: Est parra Vestae, picus Martis.

C. CLODI LICINI

LIBRI RERVM ROMANARVM

1. *Liu. XXVIIII 22, 10* Hunc Pleminium Clodius Licinus $\frac{194}{560}$ in libro tertio rerum Romanarum refert ludis uotiuis, quos Romae Africanus iterum consul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio corruperat, aliquot locis urbem incendere, ut effringendi carceris fugiendique haberet occasionem; patefacto dein scelere delegatum in Tullianum ex senatus consulto.

2*. *Suet. de gramm. 20 p. 115 Rf.* C. Iulius Hyginus — fuit familiarissimus Ouidio poetae et Clodio Licino consulari historico, qui eum admodum pauperem decessisse tradit et liberalitate sua, quoad uixerit, sustentatum.

---

1. *Hanc solam memoriam Liuius in paucis deflectens sequitur XXXIIII 44, 6:* Ver sacrum ludique Romani uotiui, quos uouerat Ser. Sulpicius Galba consul, facti. cum spectaculo eorum occupati animi hominum essent, Q. Pleminius, qui propter multa in deos hominesque scelera Locris admissa in carcerem coniectus fuerat, comparauerat homines, qui pluribus simul locis urbis nocte incendia facerent, ut in consternata nocturno tumultu ciuitate refringi carcer posset. ea res indicio consciorum palam facta delataque ad senatum est. Pleminius in inferiorem demissus carcerem est necatusque. *Alia de Pleminio antea narrauerat Liu. XXVIIII 22, 7, deinde Valer. Max. I 1, 21. Diod. XXVII 5 p. 106 D.*

---

1. deprenderat *Bursian* 4. ipsum proh! st. *Oehler.*

17, 5. hycynus *Lugd. I Harl.*[1] hycinus *B(amb.)* prara *B* ueste *codd. corr. Palmer* 6. picumnus *coni. L. Mueller*

1, 7. licinius *P(uteanus)* Licinus *A. Augustinus* 9. quos] quod *P* 10. fringendi P^1 frangendi P^2 effringendi *Weissenborn* refringendi *Luchs* 12. deiectum *Madvig Emend. Liu. p. 420 sq.*

2, 13. Hyginus *uel* Higinus *uel* hyginius *uel* iginius uel phyginus *libri* 14. Licino *Oudendorp* Licinio *libri*

3. *Non. s. u. patibulum p. 221* Licinus rerum Romanarum libro XXI: Deligata ad patibulos. deligantur et circumferuntur, cruci defiguntur.

4. *Non. s. u. pristis p. 535* Clodius rerum Romanarum libro duodecimo: Quinque pristis (nauigium ea forma a marina bellua dicta est).

M. VERRI FLACCI

ETRVSCARVM RERVM LIBRI

1. *Schol. Veron. in Verg. Aen. X 183 p. 444 Hag.* Flaccus primo Etruscarum: Agylla, inquit, ab Etruscis ⟨*conditoribus scili*⟩-cet nominata est Cisra, quod esset Tiberis Etruscis primus agris subiectus. omnem enim po....... lexa Ardea oppidum est Caere uocitatum.

---

3. *Ad tumultum aliquem seruilem forsitan pertineat.*

4. *Holzapfel Rivista di Storia antica I (1895) p. 64 sq. contulit Liu. XXXXIV 28, 1* Perseus [*a. 168/586*] post reditum ab Eumene Hierophontis ope deiectus Antenorem et Callippum praefectos classis cum quadraginta lembis (adiectae ad hunc numerum quinque pristis erant) Tenedum mittit, ut inde sparsi per Cycladas insulas naues Macedoniam cum frumento petentes tutarentur. *De Clodio tamen hic in usum uocato uehementer dubito.*

1. *Cf. Hygin. fr. 12 c. adn. p. 75.*

3, 1. licinius *codd.* (lucinius *Harl.*[1]) 2. deligata *Lugd. Harl.*[1] *Flor. Escur.* deligat *Wolf. Harl.*[2] deligati ad patibulos circumferuntur et cruci defiguntur *Cobet Mnemos. VIII 276* deligat ad patibulos. ⟨Serui condemnati ad patibulum⟩ deligantur et circumferuntur, ⟨tum⟩ cruci adfiguntur *Hertz de hist. Rom. p. 4, qui* Serui — adfiguntur *a Nonio explicandi causa add. censet.* patibulos adligatei circumferunt *L. Mueller* patibulos. ⟨ad patibulos⟩ *Onions. Ipse sic hunc locum constituerim:* 'Deligate [*sic Popma*] ad patibulos'. Deligantur et circumferunt, tum cruci defiguntur.

4, 4. claudius *libri* Clodius *Giesebrecht* 5. nauigium (nauium *Lugd.*[1] *Harl.*[1]) *genetiuum esse uidit L. Mueller a. h. l. uncos rotundos adscripsi* 6. dictum est *uulg. Hertz l. s. p. 5 sq.* nauigium — est *particulam alterius glossae Vergilianae cum fr. Clodii contaminatam esse opinatus est*

1, 8. Etrurscorum *cod.* Etruscorum *Herrmann* conditoribus scili *suppl. Keil.* 10. *post* po *quadraginta fere litterae euanuerunt; etiam* lexa Ar *lectio dubia est*

2. *Schol. Veron. in Verg. Aen. X 200 p. 445 H.* ⟨*Flacc*⟩us Etruscarum I: In Appenninum, inquit, transgressus Archon Mantuam condidit.

FENESTELLAE ANNALES

1. *Non. s. u. praesente p. 154* Fenestella annali lib. II: Et quaedam extra praesente †exuis, quaedam absente proiecissem.

2. *Non. s. u. reticulum gen. masc. p. 221* Fenestella annalium: Fascem pectoralis reticulus ....

3*. *Censor. de d. n. 20, 2* Annum uertentem Licinius quidem Macer et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensum fr. 3 fuisse scripserunt, sed magis Iunio Gracchano et Fuluio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensum putauerunt fuisse.

4*. *Digest. I 13* Vlpianus libro singulari de officio quaestoris: — A genere quaerendi quaestores initio dictos et Iunius et Trebatius et Fenestella scribunt.

5*. *Plut. q. Rom. 41* *Ἑτέρῳ δ' ἐχρήσαντο* [*Romani*] *νομίσματι βοῦν ἔχοντι καὶ πρόβατον καὶ ὗν παράσημον, εὐποροῦντες ἀπὸ τῶν θρεμμάτων μάλιστα καὶ τὴν περιουσίαν ἀπὸ τούτων ἔχοντες· διὸ καὶ τῶν ὀνομάτων πολλὰ τοῖς παλαιοῖς Συέλλιοι καὶ Βουβολκοὶ καὶ Πόρκιοι ἦσαν, ὡς Φαινεστέλλας εἴρηκεν.*

---

2. *Cf. Seru. auctum ad. h. l.* alii a Tarchone Tyrrheni fratre conditam dicunt; Mantuam autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua Mantum Ditem patrem appellant, cui cum ceteris urbibus et hanc consecrauit.

3. *Censorinus hos auctores forsitan ex Suetonio nouerit.*

4. *Haec ex Vlpiano petita Lydus de mag. I 24 ex Iunio Gracchano se adtulisse dicit. uid. ad fr. 8.*

5. *Cf. Popl. 11 Ἦν δὲ τιμὴ προβάτου μὲν ὀβολοὶ δέκα, βοὸς δὲ ἑκατόν, οὔπω νομίσματι χρωμένων πολλῷ τότε Ῥωμαίων ἀλλὰ προβατείαις καὶ κτηνοτροφίαις εὐθηνούντων. Διὸ καὶ τὰς οὐσίας ἄχρι νῦν ἀπὸ τῶν προβάτων πεκούλια καλοῦσι καὶ τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βοῦν ἐπεχάραττον ἢ πρόβατον ἢ σῦν. ἐτίθεντο δὲ καὶ παισὶν αὐτῶν Συίλλους καὶ Βουβούλκους καὶ Καπραρίους ὀνόματα καὶ Πορκίους.*

1, 5. exta *Palmer* exuis *uel* exsuis *libri* suis *ed. a. 1476* tuis *Lindsay* porrecissem *Palmer*. -ent *Quich. L. Mueller haec habet:* et quaedam exta praesente suis, quaedam absente porrecissent

2, 7. fasceam *Quicherat. L. Mueller hiatum post* annalium *significat* **5,** 20. *Συίλλιοι Bernardakis*

6*. *Seneca ep. XVIII 5 [108], 30* Cum ad hanc eandem lectionem [*Ciceronis de re p. libri*] philologus accessit, hoc subnotat: duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. nam de Serui matre dubitatur, Anci pater nullus, Numae nepotis, dicitur. praeterea notat eum, quem nos dictatorem dicimus et in historiis ita nominari legimus, apud antiquos magistrum populi uocatum hodieque id exstat in auguralibus libris et testimonium est, quod qui ab illo nominàtur, magister equitum est. aeque notat Romulum perisse solis defectione, prouocationem ad populum etiam a regibus fuisse: id ita in pontificalibus libris et alii putant et Fenestella.

7*. *Plin. n. h. XV 1* Fenestella uero omnino non fuisse [*oleam*] in Italia Hispaniaque aut Africa Tarquinio Prisco regnante ab annis populi Romani CLXXIII.

8*. *Ioann. Lyd. de mag. III 74 p. 167 W.* *Πρὸς Πεσινοῦντι, πόλει τῆς Γαλατίας (οὕτω δὲ τὸ χωρίον ὀνομασθῆναι συμβέβηκεν ἐκ τοῦ πεσεῖν ἀπείρους ἐκεῖ Γαλατῶν τῶν περὶ Ῥοδανὸν ἐπιπεσόντων τῇ χώρᾳ Βρέννου ἡγησαμένου καὶ τὴν ὁμώνυμον αὐτοῖς χώραν ἐκδικεῖν βιαζομένων, ὡς Φενεστέλλας* fr. 133 *καὶ Σισένας οἱ Ῥωμαῖοί φασιν, ὧν τὰς χρήσεις ὁ Βάρρων ἐπὶ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀνήγαγεν· ἐγὼ δὲ τὰς βίβλους οὔπω τεθέαμαι) ἐκεῖ τοίνυν τέμενος ἦν κτλ.*

9*. *Sueton. de poet. 6, 1 p. 26 Rf.* Quidam captum esse

---

6. *Quae philologus notauit legerat de re p. II 18, 33 (de duobus regibus), I 40, 63 (de magistro populi), I 16, 25. II 10, 17 (de Romuli morte, haec fuit narratio Enniana, Vahlen praef. Enn. p. CLXV), II 31, 54* (Prouocationem etiam a regibus fuisse declarant pontifici libri, significant nostri etiam augurales).

8. *Lydus uel eius auctor miscuit nomina, certe Varronis et Fenestellae.*

9. *Cf. Corn. Nep. de uir. ill. fr. 11 p. 37.*

6, 5. Numae nepotis, dic. *Buecheler* Numae nepotes dic. *B(amb.)* numenepotes dic. *A(rgent.)* 10. a *om. B A add.* ς 11. libris esse et *Windhaus* id ita inueniri *Hense* ẹṭ aliqui * qụị *B* aliqui putant *A* et alii putant *Pincianus* et alii argui putant *Maduig* et aliis scriptum esse antiqụi putant *Buecheler* alii quiqui *Hense*

7, 13. hispaniaque aut *cod. M(oneus) P(aris.) T(olet.)* -nia atque *uolg.* 14. CLXXIII *M P T* CLXXXIII ς

8. *Quae Fussius in cod. etiam legit, Wuenschius non agnouit, notare supersedi.* 15. *προσπεσεῖν οὖν τηι cod. corr. Fuss.* 20. *Σισέννας Wuensch*

existimant [*P. Terentium Afrum*], quod fieri nullo modo potuisse Fenestella docet, cum inter finem secundi Punici belli et initium tertii *et* natus sit et mortuus. nec si a Numidis aut Gaetulis captus sit, ad dominum Romanum peruenire potuisse, nullo commercio inter Italicos et Afros nisi post deletam Karthaginem coepto. hic cum multis nobilibus familiariter uixit, sed maxime cum Scipione Africano et C. Laelio, quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur. quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque maiorem natu fuisse.

10*. *Frontin. de aq. urb. Rom. I 7* Post annos centum 144/610 uiginti septem, id est anno ab urbe condita sexcentesimo octauo, Ser. Sulpicio Galba [cum] Lucio Aurelio Cotta consulibus, cum Appiae Anionisque ductus uetustate quassati priuatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est a senatu negotium Marcio, qui tum praetor inter ciues ius dicebat, eorum ductuum reficiendorum ac uindicandorum. et quoniam incrementum urbis exigere uidebatur ampliorem modum aquae, eidem mandatum a senatu est, ut curaret, quatinus alias aquas quas posset in urbem perduceret ..... *pri*ores ductus re*stituit*, tertiam illis uberiorem *in urbem per*duxit, cui ab auctore Marciae nomen est. legimus aput Fenestellam in haec opera Marcio decretum sestertium milies octingenties et, quoniam ad consummandum negotium non sufficiebat, spatium praeturae in annum alterum prorogatum.

9, 2. initio *(Par.) B Regin.* 3. natus est et *libri* et natus sit et *Ritschl* nec] *B Leid. Neap.* si animidis *Par. A* aut *Vrb. Reg.* geturis *A* 4. ad dominum *Iac. Gronouius* ad ducem *libri* adduci Romam ibique uenire *Schopen* adductum Romam uenire *Mommsen* 5. italiquos *A* italos *Regin. Neap.* 6. capto *Leid. Dresd.* caepto *Vrb.* nominibus *A ante corr.* 7. C.] *A om. Dresd.* cum *cett. codd.* etiam] et *B Leid. Dresd.* gratia *om. Leid. Dresd.* pulchritudine *B* 8. concilians *Vrb.* et] ex *A* arguit] docet *B* 9. natus *A*

10, 12. S. Sulpicius *cod.* cum *seclusit Buecheler* 14. datus ēst *cod.* marco *cod. em. Polenus.* Q. *add. Buech.* 16. ei *cod.* 19. rei ..... tertiam *cod.* restituit et *Buech.* illiobriorum .... dixī *cod.* illis uberiorem perduxit *Jordan Roem. Topogr. I 1 p. 465* 20. in urbem perd. *Schultzius* in Capitolium *add. Polenus* 21. mine octingente. Set *cod.* milies octingenties *Schultzius et Buech.* 23. statium *cod.*

114/640 **11*.** *Macrob. sat. I 10, 5* Masurius et alii uno die, id est quarto decimo kalendas Ianuarias fuisse Saturnalia crediderunt, quorum sententiam Fenestella confirmat, dicens Aemiliam uirginem XV kalendarum Ianuariarum esse damnatam. quo die si Saturnalia gererentur, nec causam omnino dixisset. deinde adicit: Sequebantur eum diem Saturnalia. mox ait: Postero autem die, qui fuit tertius decimus kalendarum Ianuariarum, Liciniam uirginem, ut causam diceret, iussam: ex quo ostendit XIII kalendarum profestum esse.

12*. *Plin. n. h. XXXIII 21* Ne tunc quidem omnes senatores habuere [*anulum aureum*], utpote cum memoria auorum multi praetura quoque functi in ferreo consenuerint, sicut Calpurnium et Manilium, qui legatus C. Marii fuerit Iugurthino bello, Fenestella tradit et multi L. Fufidium illum, ad quem Scaurus de uita sua scripsit.

99/655 **13*.** *Plin. n. h. VIII 19* Romae pugnasse [*elephantos*] Fenestella tradit primum omnium in circo Claudi Pulchri aedilitate curuli M. Antonio A. Postumio cos. anno urbis DCLV, item post annos uiginti Lucullorum aedilitate curuli aduersus tauros.

14*. *Plin. n. h. VIIII 123* Romae in promiscuum ac frequentem usum uenisse [*uniones*] Alexandrea in dicionem redacta, primum autem coepisse circa Sullana tempora minutas et uiles Fenestella tradit, manifesto errore, cum Aelius Stilo Iugurthino bello unionum nomen imponi cum maxime grandibus margaritis prodat.

85/669 **15*.** *Plut. Crass. 4* Τάχει δ' ὑπερβάλλοντι χρησάμενος εἰς 'Ιβηρίαν ἔφυγε [*Marium Cinnamque L. Crassus*] γεγονὼς

11. *Cf. Ascon. in Milon. § 32 p. 40 K.-S, Plut. q. R. 83.*

12. *Fortasse L. Calp. Piso Frugi praetor 112/642 (Pauly-Wissowa III c. 1395), legatus Marii A. Manlius (Sallust. b. Iug. 86, 1). Cf. Plin. XXXIII 11* Longo certe tempore ne senatum quidem Romanum habuisse aureos manifestum est, si quidem iis tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, anuli publice dabantur.

13. *Cf. Licin. p. 32 Fl.* Et Licinius et Terentius Luculli fratres aediles curules munere suo taurorum proelium aduersus elephantos dederunt. id ante Claudius aedilis in circo ludis circensibus exibuerat. *Vid. supra p. cx sq.*

11, 2. XIIII *B(amb.)* 4 XV *B* .XV. *P(aris.)* 7. lucinia *P* 9. profectum *B P em. ed. Veneta*

12, 13. manlium *cod. B(amb.)*[2] fuerat *Ricc. Parisini uulg.* 14. phenestella *B*

13, 18. CLVI *cod. Ricc* CLV *cett. codd.*

πάλαι στρατηγοῦντος τοῦ πατρὸς αὐτόθι καὶ φίλους πεποιημένος. εὑρὼν δὲ πάντας περιδεεῖς καὶ τὴν ὠμότητα τὴν Μαρίου καθάπερ ἐφεστῶτος αὐτοῖς τρέμοντας οὐδενὶ γενέσθαι φανερὸς ἐθάρρησεν, ἀλλ᾽ εἰς ἀγροὺς ἐμβαλὼν παραλίους Οὐιβίου Πακιακοῦ σπήλαιον ἔχοντας εὐμέγεθες ἔκρυψεν ἑαυτόν. πρὸς δὲ τὸν Οὐίβιον ἔπεμψεν ἕνα δοῦλον ἀποπειρώμενος ἤδη καὶ τῶν ἐφοδίων ἐπιλιπόντων. ὁ δὲ Οὐίβιος ἀκούσας ἥσθη τε σωζομένῳ καὶ πυθόμενος τὸ πλῆθος τῶν σὺν αὐτῷ καὶ τὸν τόπον αὐτὸς μὲν οὐκ ἦλθεν εἰς ὄψιν, τὸν δὲ τῶν χωρίων ἐπίτροπον προσαγαγὼν ἐγγὺς ἐκέλευσε καθ᾽ ἡμέραν δεῖπνον πεποιημένον κομίζειν καὶ τιθέντα παρὰ τὴν πέτραν ἀπέρχεσθαι σιωπῇ καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν μηδ᾽ ἐξετάζειν, προειπὼν πολυπραγμονοῦντι θάνατον, συμπράττοντι δὲ τοῦτο πιστῶς ἐλευθερίαν. — (5.) Ἐνταῦθα διατρίβοντι τῷ Κράσσῳ τὰ ἐπιτήδεια καθ᾽ ἡμέραν ἐφοίτα κομίζων ὁ ἄνθρωπος, αὐτὸς μὲν οὐχ ὁρῶν ἐκείνους οὐδὲ γινώσκων, ὑπ᾽ ἐκείνων δὲ καθορώμενος εἰδότων καὶ παραφυλαττόντων τὸν καιρόν. ἦν δ᾽ ἄφθονα καὶ πρὸς ἡδονήν, οὐ μόνον χρείαν ποιούμενα τὰ πρὸς τὸ δεῖπνον. ἐγνώκει γὰρ ὁ Οὐίβιος ἁπάσῃ φιλοφροσύνῃ θεραπεύειν τὸν Κράσσον, ᾧ γε καὶ τὸ τῆς ὥρας ἐν νῷ λαβεῖν ἐπῆλθεν, ὡς παντάπασι νεανίας εἴη καί τι καὶ ταῖς καθ᾽ ἡλικίαν ἡδοναῖς αὐτοῦ χαριστέον, ἐπεὶ τήν γε χρείαν ἀναγκαίως μᾶλλον ἢ προθύμως ὑπουργοῦντος εἶναι. δύο δὴ θεραπαινίδας εὐπρεπεῖς ἀναλαβὼν ἐβάδιζεν ἐπὶ τὴν θάλασσαν. ὡς δ᾽ ἦλθεν ἐπὶ τὸν τόπον δείξας τὴν ἄνοδον ἐκέλευεν εἴσω πορεύεσθαι καὶ θαρρεῖν. οἱ δὲ περὶ τὸν Κράσσον ἰδόντες προσερχομένας ἔδεισαν, μὴ καταφανὲς καὶ γνώριμον εἴη τὸ χωρίον· ἀνέκρινον οὖν αὐτάς, τί βούλονται καὶ τίνες εἰσίν· ὡς δ᾽ ἀπεκρίναντο δεδιδαγμέναι δεσπότην ζητεῖν ἐνταῦθα κρυπτόμενον, μαθὼν ὁ Κράσσος τοῦ Οὐιβίου τὴν πρὸς αὐτὸν παιδιὰν καὶ φιλοφροσύνην ἀνέλαβε τὰς παιδίσκας· καὶ συνῆσαν αὐτῷ τὸν λοιπὸν χρόνον ὧν ἐδεῖτο φράζουσαι καὶ διαγγέλλουσαι πρὸς τὸν Οὐίβιον. τούτων φησὶ τὴν ἑτέραν ἤδη πρεσβῦτιν οὖσαν ὁ Φαινεστέλλας ἰδεῖν αὐτὸς καὶ πολλάκις ἀκοῦσαι μεμνημένης ταῦτα καὶ διεξιούσης προθύμως.

16*. *Plut. Sull.* 28 *Μάριος δὲ* [*filius septiens consulis post pugnam ad Sacriportum commissam*] *φεύγων εἰς Πραινεστὸν* 82/672

5. L. Vibius Paciaecus *Caes. b. Hisp. 3. Cic. ad f. VI 18, 2. ad Att. XII 2, 1* 7. *ἀπολειπόντων Seitenst.* 19. *τὸν δεῖπνον Seitenst.* 29. *δεδιδαγμένα coni. Sintenis* 34. *φενεστέλλας libri*

ἤδη τὰς πύλας εὗρε κεκλειμένας· καλῳδίου δὲ ἄνωθεν ἀφεθέντος ἐνζώσας ἑαυτὸν ἀνελήφθη πρὸς τὸ τεῖχος. Ἔνιοι δέ φασιν, ὧν καὶ Φαινεστέλλας ἐστίν, οὐδὲ αἰσθέσθαι τῆς μάχης τὸν Μάριον ἀλλ' ἐξ ἀγρυπνιῶν καὶ κόπων ὑπὸ σκιᾷ τινι χαμαὶ κατακλινέντα τοῦ συνθήματος δοθέντος ἐνδοῦναι πρὸς ὕπνον, εἶτα μόλις ἐξεγείρεσθαι τῆς φυγῆς γενομένης.

80/674 **17*.** *Gell. XV 28, 4.* In qua re etiam Fenestellam errasse Pedianus Asconius animaduertit, quod eum [*Ciceronem*] scripserit sexto uicensimo aetatis anno pro S. Roscio dixisse. longior autem
fr. 1 Nepotis quam Fenestellae error est et q. s.

18*. *Lact. diu. inst. I 6, 14* Omnes igitur hae Sibyllae unum deum praedicant, maxime tamen Erythraea, quae celebrior inter ceteras ac nobilior habetur. si quidem Fenestella, diligentissimus
76/678 scriptor, de quindecim uiris dicens ait restituto Capitolio retulisse ad senatum C. Curionem cos., ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllae conquisita Romam deportarent; itaque missos esse P. Gabinium M. Otacilium L. Valerium, qui descriptos a priuatis uersus circa mille Romam deportarunt.

---

16. *Cf. Aur. Vict. de uiris ill. 68* In apparatu belli, quod contra Sullam parabatur, apud Sacriportum uigiliis et labore defessus sub diuo requieuit et absens uictus fugae, non pugnae interfuit.

17. *Eandem famam sequitur Quintil. XII 6, 4. Cf. Drumann V p. 410. Ex Suetonio caput Gellianum fluxisse opinatur Reifferscheid Suet. p. 424.*

18. *Cf. de ira dei 22* Sibyllas plurimi et maximi auctores tradiderunt, Graecorum Aristo Chius et Apollodorus Erythraeus, nostrorum Varro et Fenestella. hi omnes praecipuam et nobilem praeter ceteras Erythraeam fuisse commemorant. Apollodorus quidem ut de ciui ac populari sua gloriatur, Fenestella uero etiam legatos Erythras a senatu esse missos refert, ut huius Sibyllae carmina Romam deportarentur [deportarent *Jordan Topogr. Rom. I 2 p. 27*], et ea consules Curio et Octauius in Capitolio, quod tunc erat curante Q. Catulo restitutum, ponenda curarent [curarunt *Jordan l. s.*]. *Omnis haec de Sibyllis doctrina Varronis est. cf. supra p. 22 sq. nam pergit Lactantius in instit.:* Idem supra ostendimus dixisse Varronem *(i. e. a § 11)*; *cf. etiam Epit. inst. 5, 1 sq. Inst. IV 15, 26. Dion. Hal. IV 62. Seru. ad Aen. VI 36. De Erythraea haec addiderat: I 6, 9* Quintam Erythraeam, quam Apollodorus Erythraeus affirmat suam fuisse ciuem eamque Graiis Ilium petentibus uaticinatam et perituram esse Troiam et Homerum mendacia scripturum. — quorum [*Cumanae librorum*] postea numerus sit auctus Capitolio refecto, quod ex omnibus ciuitatibus et Italicis et Graecis et praecipue Erythraeis coacti allatique sint Romam, cuiuscumque Sibyllae nomine fuerint.

17, 8. inscripserit *Voss.*
18, 15. C. *om. Par. II* G. *Par. I Valent.*

19*. *Ascon. in Cic. Corn. p. 59 K.-S.* Possum dicere hominem summa prudentia spectatum C. Cottam de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum rettulisse.] — Videntur autem in rebus paruis fuisse leges illae [*C. Aurelii Cottae*], *quas* cum tulisset, rettulit de eis abrogandis ad senatum; nam neque apud Sallustium neque apud Liuium neque apud Fenestellam ullius alterius ab eo *legis est* mentio praeter eam quam in consulatu *tulit inuita* nobilitate magno populi studio, ut eis *qui tr. pl.* fuissent alios quoque magistratus *capere* liceret; quod lex ⟨*a*⟩ dictatore L. Sylla paucis *annis ante* lata prohibebat: neque eam Cottae legem abrogatam esse significat. 75/679

20*. *Ascon. in or. in tog. cand. p. 76 K.-S.* Ante annum quam haec dicerentur, Catilina cum redisset ex Africa, Torquato et Cotta coss. accusatus est repetundarum a P. Clodio adulescente, qui postea inimicus Ciceronis fuit. defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a Marco Cicerone. Quod ego ut addubitem et q. s. 65/689

21. *Non. s. u. rumor p. 385* Fenestella annali lib. XXII: Itaque ut magistratum tribuni inierunt, C. Cato, turbulentus adulescens et audax nec imparatus ad dicendum, contionibus assiduis inuidiam et Ptolomaeo simul, qui iam profectus ex urbe erat, et 57/697

---

19. *Huius legis de tribunatu plebis Licinius Macer apud Sallustium meminit hist. III 82, 8 Kr. III 48, 8 Maur.*
20. *Eodem spectat Asconius p. 77 K.-S.* Verum ut egerit Muci causam Cicero, sic ut Catilinae egisse eum uideri uult Fenestella, et q. s.
21. *Cf. Dio 39, 15 sq.*

19, 6. nō apud libium *(apogr.)M(ontep.)* apud .... fenestellam *M* 7. legis *M et P(ogg.)* .... *ap. S(ozom.)* est *add. Buecheler* in consulatu tulit inuita *Maduig* in contione .... *(in S 6 litt. spat.) cod. Sang.* 8. nobilitatē *M* eis qui tr. pl. *Manutius* his .... *S P* his *M* 9. magistratu *M* capere liceret *Manutius* .... aliter et *cod. Sang.* a *add. Manutius* dictatori *S* 10. annis ante *Manutius* .... *cod. Sang.* prohibebant *S M* perhibebant *P*

21, 17. annalium *L. Mueller* 18. C.] *om. B(ern.) I. II Geneu. H(arl.)*[1] *M(ontep.)* 19. imperatus *B I W(olf.) M* dicendum *Aldina* deicundum *L. Mueller* deiciendum *libri* contionibus *Mercerus* initionibus *libri* absiduis *B II Gen.* H^1 20. inuidiam] *Merc.* inuideat *libri* ptolomeo *L(eid.)* tholomeo H^2 plemeo *B Gen.* H^1 initionibus — Ptol. *om. B I Montep.* simul qui iam *Leid.* simul iam *B I II Gen.* H^1 *Mont.* qui iam H^2 *W*

Publio Lentulo consuli, paranti iam iter, cogitare secundo quidem populi rumore coepit.

22*. *Ascon. in Pis. p. 4 K.-S.* Ipsius Pisonis, contra quem haec oratio est, socerum Rutilium [Atilium] Nudum Fenestella tradit.

52/702 **23*.** *Ascon. arg. Mil. p. 27 K.-S.* A. d. XIII kal. Febr. (acta etenim magis sequenda et ipsam orationem, quae actis congruit, puto quam Fenestellam, qui a. d. XIIII kal. Febr. tradit) Milo Lanuuium, ex quo erat municipio et ubi tum dictator, profectus est ad flaminem prodendum postera die.

24*. *Plin. n. h. VIII 195* Togas rasas Phryxianasque diui Augusti nouissimis temporibus coepisse scribit Fenestella.

25*. *Plin. n. h. XXXIII 146* Repositoriis argentum addi sua memoria coeptum Fenestella, qui obiit nouissimo Tiberii Caesaris principatu, ait et testudinea tum in usum uenisse, ante se autem paulo lignea, rotunda, solida nec multo maiora quam mensas fuisse, se quidem puero quadrata et conpacta aut acere operta aut citro coepisse, mox additum argentum in angulos lineasque per commissuras, tympana uero se iuuene appellata, tum a stateris et lances, quas antiqui magides uocauerant.

26*. *Plin. n. h. IX 65* Nomen his [*mullis*] Fenestella a colore mulleorum calciamentorum datum putat.

27*. *Plin. n. h. XXXV 162* Atque ut e luxu quoque aliqua contingat auctoritas figlinis, tripatinium, inquit Fenestella, appella-

---

22. *Orationem a. 55/699 pro L. Calpurnio Pisone Cicero habuit.*
25. *Cf. Plin. XVI 231 sqq. Varro de l. l. V 120* magidam aut langulam alterum a magnitudine, alterum a latitudine finxerunt.

---

1. lentuloco *B II Gen.* H^1 parenti *libri praeter H(?)* iam *delet L. Mueller* concitare *scr. L. Mueller*

22, 3. ipsius *Maduig.* sepius *cod. Sang.* 4. Atilium *del. Perizonius* 5. tradi *apogr. Sozom. et Montep.*

24, 11. rasas] *cod. Par.* raxas *cett. codd.*

25, 13. Repositoriis — coeptum *Fenestellae tribuit Muenzer Font. Plin. p. 345 sqq. Vid. Corn. Nep. ex. fr. 22 p. 33* 15. ait et *cod. B(amb.)* sed et *uel* sed ς 16. mensa *cod. R(icc.)* fuissem equidem *B* (fuisse B^2) 18. aut citro *B* a citro ς coepisses *cod. V(indob.)* 19. appellata tum a *B* appellatum a *VR*

26, 22. mulleorum] *R* molliorum *cod. Par.* molleorum *cett. codd.* apellatum *cod. Voss.*

27, 24. tripatinium *B* tispatinium ς

batur summa cenarum lautitia: una erat murenarum, altera luporum, tertia mixti piscis, inclinatis iam scilicet moribus, ut tamen eos praeferre Graeciae etiam philosophis possimus, si quidem in Aristotelis heredum auctione septuaginta patinas uenisse traditur.

28. *Tertull. adu. Val. 34* Pudiciores alii — maluerunt nullum Bytho sexum deputare, et fortasse 'hoc deum' non 'hic deus' neutro genere pronuntiant. alii contra magis et masculum et feminam dicunt, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet annalium commentator Fenestella.

29*. *Prisc. VIII 20 p. 386 H.* Fenestella: Frustratus igitur a spe, deuictus in castra se recepit.

EPITOMAE

30. *Diom. p. 365 K.* * quae significatio apud Fenestellam 76/678
inuenitur in libro epitomarum secundo: Quem ad modum Caesar a piratis captus sit utque eos ipse postea ceperit et decollauerit.

A. CREMVTII CORDI ANNALES

1. *Senec. suas. 6, 19* Cremutius Cordus et ipse ait Cicero- 43/711
nem *se*cum cogitasse, utrumne Brutum an Cassium an Sex. Pompeium peteret, ⟨*set*⟩ omnia illi displicuisse praeter mortem: Cre-

---

28. *Vid. c. 7* Hunc [*Valentinianorum deum*] substantialiter quidam *Αἰῶνα Τέλειον* appellant, personaliter uero *Προαρχὴν* et *Τὴν ἀρχήν*, etiam Bython, quod in sublimibus habitanti minime congruebat. *Iren. I 5, 3* Quidam enim sine coniugatione dicunt eum neque masculum neque feminam neque omnino aliquid esse. alii autem et masculum et feminam eum dicunt esse, hermaphroditi genesim ei donant.

---

1. generum *B* genarum ς coenarum *uulg.*

28, 6. bythio *Vindob. Leid. ed. Gangnei Gelenii* ut — pronuncient *edd. quaedam* non] nec *Vindob.*

29, 10. finistella — recipit *Karolin. Sangall. Lugd.*

30, 12. *Intercidit explicatio uerbi decollandi* ('ueteres securi caesos dicebant') quae significatio apud F. aliter inuenitur *edd. interpol.* 13. epitomatum *edd.* 14. utque *Par. I Mon.* atque *Par. II* ipse *om. Par. II Mon.* caeperit *Mon.* coeperit *Par. I* et *om. Mon.*

1, 16. cum cogitasset *codd. em. G. Mueller* 17. set *add. G. Mueller* illa *A(ntu.) D*[1] *(i. e. Brux. II)*

muti Cordi: Quibus uisis laetus Antonius, cum peractam proscriptionem suam dixisset esse, quippe non satiatus modo caedendis ciuibus, sed differtus quoque, super rostra exponit. itaque quo saepius ille ingenti circumfusus turba processerat, quae paulo ante † coluerat piis contionibus, quibus multorum capita seruauerat, *eo* tum per artus sublatus aliter ac solitus erat a ciuibus suis conspectus est, praependenti capillo orique eius inspersa sanie, breui ante princeps senatus Romanique nominis titulus, tum pretium interfectoris sui. praecipue tamen soluit pectora omnium in lacrimas gemitusque uisa ad caput eius deligata manus dextera, diuinae eloquentiae ministra, ceterorumque caedes priuatos luctus excitauerunt, illa una communem.

2. *Senec. suas. 6, 23* Cordi Cremuti non est operae pretium referre redditam Ciceroni laudationem, nihil enim in ea Cicerone dignum est ac ne hoc quidem quod paene maxime tolerabile est. Cremuti Cordi: Proprias enim simultates deponendas interdum putabat, publicas numquam ui decernendas: ciuis non solum magnitudine uirtutum sed multitudine quoque conspiciendus.

25/778 **3.** *Tac. ann. IIII 34* Cornelio Cosso Asinio Agrippa consulibus Cremutius Cordus postulatur, nouo ac tunc primum audito

---

1. uisis] lusis *codd.* 2. suam] eius D^1 esset *V(at.) D* 3. difertus *A* defectus *V D* quoque] quod *A* quodque *B(rux.)* quotque *V D* super] *Haase* sitper *A B* sintper *V D* 4. saepius ille] saepissime *Kiessling* saepe uir ille *Gertz* saepissime ille *Schenkl* ⟨iterum ac⟩ saepius ille *H. Mueller* 5. conationibus *A* B^1 ante ⟨aures⟩ praebuerat piis c. *H. Mueller* *fort.* obedierat pie eius orationibus, ⟨in⟩ quibus *Schultingh* ⟨sub⟩ q. *Gertz* 6. eo *add. Gertz* artes *B a. corr.* sublatus *Gertz* suos latus *codd.* (s. allatus *B* laceratus *V* laetus D^2) singulos laceratus *G. Mueller* 7. praetendenti *codd.* (pecidenti *Tolet.*) praependenti *Bursian* praetenta *Schultingh* praecanenti *Haase* capillo *Gertz* capiti *codd.* inspersa *Haase* insponsa *A B* impensa *V D* 9. sui] serui *Kiessling* 10. caput] cat *A B* delicata *A B V* dxtera *A*

2, 13. esto *A B* pretium] *Kiessling G. Mueller* etiam *codd.* 14. referre *Schott* deferre *A B V* (deserere *D*) reddatam *B a. corr.* in ea] *Gertz* ipsea *A B V* ipso *D* in ipsa *Schott* ipso ac *Bursian* 15. paene *post* laudationem *transponit H. Mueller* 16. Cremuti Cordi *del. G. Mueller* 17. ui decernendas] *Buecheler* uides credendam *codd.* ui deserendas *Bursian* deserendas *Kiessling* auide (*uel* ui) exercendas *Gertz* magnitudinem *a. corr. B V* 18. uirtutem *codd.* multitudine $V^2 D$ multitudinem *cett. codd.* conspicientem D^1

crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Seiani clientes. id perniciabile reo, et Caesar truci uultu defensionem accipiens. quam Cremutius, relinquendae uitae certus, in hunc modum exorsus est: 'Verba mea, patres conscripti, arguuntur: adeo factorum innocens sum. — Brutum et Cassium laudauisse dicor, quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memorauit.'

4*. *Suet. Aug. 35* **Senatorum affluentem numerum deformi et incondita turba — ad modum pristinum et splendorem redegit duabus lectionibus: prima ipsorum arbitratu, quo uir uirum legit, secunda suo et Agrippae; quo tempore existimatur lorica sub** 18/736
ueste munitus ferroque cinctus praesedisse decem ualentissimis senatorii ordinis amicis sellam suam circumstantibus. Cordus Cremutius scribit ne admissum quidem tunc quemquam senatorum nisi solum et praetemptato sinu.

5*. *Plin. n. h. X 74* **Auctores sunt omnibus annis aduolare Ilium ex Aethiopia aues et confligere ad Memnonis tumulum,**

---

3. *Cf. Suet. Tib. 61* Obiectum et historico [*a Tiberio*], quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset. *Dio Cass. LVII 24* *Κρεμούτιος δὲ δὴ Κόρδος αὐτόχειρ ἑαυτοῦ γενέσθαι, ὅτι τῷ Σεϊανῷ προσέκρουσεν, ἠναγκάσθη· οὕτω γὰρ οὐδὲν ἔγκλημα ἐπαίτιον λαβεῖν ἠδυνήθη (καὶ γὰρ ἐν πύλαις ἤδη γήρως ἦν καὶ ἐπιεικέστατα ἐβεβιώκει) ὥστε ἐπὶ τῇ ἱστορίᾳ, ἣν πάλαι ποτὲ περὶ τῶν τῷ Αὐγούστῳ πραχθέντων συνετεθείκει καὶ ἣν αὐτὸς ἐκείνῳ* [*sic scripsi, ἐκεῖνος codd.*] *ἀνεγνώκει, κριθῆναι, ὅτι τόν τε Κάσσιον καὶ τὸν Βροῦτον ἐπῄνεσε, καὶ τοῦ δήμου τῆς τε βουλῆς καθήψατο, τόν τε Καίσαρα καὶ τὸν Αὔγουστον εἶπε μὲν κακὸν οὐδέν, οὐ μέντοι καὶ ὑπερεσέμνυνε. ταῦτά τε γὰρ ᾐτιάθη, καὶ διὰ ταῦτα αὐτός τε ἀπέθανε, καὶ τὰ συγγράμματα αὐτοῦ τότε μὲν ⟨τά τε⟩ ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων καὶ τὰ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἐκαύθη, ὕστερον δὲ ἐξεδόθη τε αὖθις, (ἄλλοι τε γὰρ καὶ μάλιστα ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ Μαρκία συνέκρυψεν αὐτά) καὶ πολὺ ἀξιοσπουδαστότερα ὑπ' αὐτῆς τῆς τοῦ Κόρδου συμφορᾶς ἐγένετο. Ceterum et Tacitus et Suetonius parum adcurate haec tradiderunt. haec enim Plutarchus Brut. 44 Βροῦτος δὲ τὴν μὲν ἧτταν ἐγνωκὼς τοῦ Κασσίου προσήλαυνε, τὸν δὲ θάνατον ἐγγὺς ἤδη τοῦ χάρακος ἤκουσε. καὶ τὸ μὲν σῶμα περικλαύσας καὶ προσαγορεύσας ἔσχατον ἄνδρα Ῥωμαίων τὸν Κάσσιον, ὡς οὐκ ἔτι τῇ πόλει τηλικούτου φρονήματος ἐγγενέσθαι δυναμένου, περιέστειλε καὶ ἀπέπεμψεν εἰς Θάσον. et cum eo consentiens Appianus b. c. IV 114 Βροῦτος δὲ Κασσίου τὸν νέκυν περικλαίων ἀνεκάλει τελευταῖον ἄνδρα Ῥωμαίων, ὡς οὔ τινος ἔτι τοιοῦδε ἐς ἀρετὴν ἐσομένου, ταχυεργίας τε αὐτῷ καὶ προπετείας ἐνεκάλει καὶ ἐμακάριζεν ὁμοῦ φροντίδων καὶ ἀνίας ἀπηλλαγμένον, αἳ Βροῦτον ἐς ποῖον ἄρα τέλος ὁδηγοῦσιν; παραδοὺς δὲ τὸ σῶμα τοῖς φίλοις κτλ.*

5. *Ex Plinio Solinus 40, 19 p. 169 M. Diuersas res miscuit Isidorus Orig. XII 7, 39. Vid. Holland in Roscheri Lex. myth. II c. 2668 sq.*

quas ob id Memnonidas uocant. hoc idem quinto quoque anno facere eas in Aethiopia circa regiam Memnonis exploratum sibi Cremutius tradit.

6*. *Plin. n. h. XVI 108* Cremutius auctor est numquam uirere arborem, ex qua Phyllis se suspenderit.

BRVTTEDII NIGRI HISTORIAE

48/711 **1.** *Senec. suas. 6, 20* Bruttedi Nigri: 'Elapsus interim altera parte uillae Cicero lectica per agros ferebatur; sed ut uidit adpropinquare notum sibi militem, Popillium nomine, memor defensum a se laetiore uultu aspexit. at ille uictoribus id ipsum imputaturus occupat facinus caputque decisum nihil in ultimo fine uitae facientis, quod alterutram in partem posset notari, Antonio portat oblitus se paulo ante defensum ab illo'. Et hic uoluit positi in rostris capitis miserabilem faciem describere, sed magnitudine rei obrutus est.

48/711 **2.** *Senec. suas. 6, 21* Bruttedi Nigri: Vt uero iussu Antonii inter duas manus positum in rostris caput conspectum est, quo totiens auditum erat loco, datae gemitu et fletu maximae uiro inferiae, nec ut solet uitam depositi in rostris corporis contio audiuit sed ipsa narrauit. nulla non pars fori aliquo actionis inclutae signata uestigio erat, nemo non aliquod eius in se meritum

---

6. *Alii (Seru. in Aen. ecl. 5, 10, Hygin. fab. 52) arborem foliis caruisse narrauerunt, dum Demophoon Athenis rediret arboremque amplecteretur.*

1. *Similiter declamat Valerius Max. V 3, 4. cf. Appian. b. c. IV 19 sq. Cass. Dio 47, 11, 1 sq. dexteram tamen tantum a Popillio Romam delatam esse referunt.*

1, 6. brotedi *A(ntu.) B(rux.) V(at.)* brotidi *D (= Bruxell. II)* nicri *A B* 8. popilium *codd.* 9. uicto uictoribus *A a. corr.* 13. magnitudines *A*

2, 15. Bruttedi Nigri *uncis circumscribunt Muelleri* brotedi *codd.* 16 quod *D* 17. datae] *Faber* dato *A B V* sedato *D* maximo uiro *Faber* uiri *codd.* 18. uitam] *Schultingh* ita *codd.* laudes *Gertz* 19. audiuit] aut diuidit *A B* claro gemitu et fletu maximo pias inferias non, ut solet, rite depositi in rostris corporis contio audiuit *Gronou.* ipse D^1 aliquo $B^2 V^2 D$ alique *A* aliquae B^1 aliqua *V* indute *A* inclitae $B^2 V D$

fatebatur: hoc certe publicum beneficium palam erat, illam miserrimi temporis seruitutem a Catilina dilatam in Antonium.

CN. CORNELIVS LENTVLVS GAETVLICVS

1*. *Suet. Calig. 8* Vbi natus sit [*Caesar*], incertum diuer- 12
sitas tradentium fecit. Cn. Lentulus Gaetulicus Tiburi genitum 765
scribit. — Gaetulicum refellit Plinius quasi mentitum per adula- fr. 2
tionem, ut ad laudes iuuenis gloriosique principis aliquid etiam ex urbe Herculi sacra sumeret, abusumque audentius mendacio, quod ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus et ipse C. Caesar.

L. ANNAEI SENECAE

HISTORIAE AB INITIO BELLORVM CIVILIVM

1*. *Lact. diu. inst. VII 15, 14* Non inscite Seneca Romanae urbis tempora distribuit in aetates: primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo et genita et quasi educata sit Roma. deinde pueritiam sub ceteris regibus, a quibus et aucta sit et disciplinis pluribus institutisque formata. at uero Tarquinio regnante cum iam quasi adulta esse coepisset, seruitium non tulisse et reiecto superbae dominationis iugo maluisse legibus obtemperare quam regibus. cumque esset adolescentia eius fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis uiribus coepisse iuuenescere. sublata enim Carthagine, quae diu aemula

1. *Cum Seneca consentit in ipsa conparatione Flor. I 1, 4 sqq.* Si quis ergo populum Romanum quasi unum hominem consideret totamque eius aetatem percenseat, ut coeperit utque adoleuerit, ut quasi ad quandam iuuentae frugem peruenerit, ut postea uelut consenuerit, quattuor gradus processusque eius inueniet. prima aetas sub regibus fuit prope per annos quadringentos [*numeri codicum sunt*], quibus circum urbem ipsam cum finitimis luctatus est. haec erit eius infantia. sequens a Bruto Collatinoque consulibus in Appium Claudium Quintum Fuluium consules [*hi fuerunt a. 212/542; Quintus confusus cum Marco F. cons. 264/490*] centum quinquaginta annos patet, quibus

2. a Catilina] *Rebling* ac alienam *codd.* ac lauienam *uulg.* delatam *D*

1, 12. ducata *Paris. I* pueritia *Par. III* 15. cum iam quasi cum *Par. III* 19. *in* iuuenescere *desinit apud Brandtium ipse Seneca* etenim *Par. III*

imperii fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit, donec regibus cunctis et nationibus imperio subiugatis cum iam bellorum materia deficeret, uiribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. haec fuit prima eius senectus, cum bellis lacerata ciuilibus atque intestino malo pressa rursus ad regimen singularis imperii reccidit quasi ad alteram infantiam reuoluta. amissa enim libertate, quam Bruto duce et auctore defenderat, ita consenuit, tamquam sustentare se ipsa non ualeret, nisi adminiculo regentium niteretur.

37/790 2*. *Suet. Tib. 73* Seneca eum [*Tiberium*] scribit intellecta defectione exemptum anulum quasi alicui traditurum parumper tenuisse, dein rursus aptasse digito et compressa sinistra manu iacuisse diu immobilem: subito uocatis ministris ac nemine respondente consurrexisse nec procul a lectulo deficientibus uiribus concidisse.

IMPERATORIS TIBERII CLAVDII NERONIS

DE VITA SVA COMMENTARIVS

31/784 1. *Suet. Tib. 61* Etsi commentario, quem de uita sua summatim breuiterque composuit, ausus est scribere Seianum se punisse, quod comperisset furere aduersus liberos Germanici filii sui.

IMPERATORIS TIBERII CLAVDII

HISTORIA

17/737 1. *Suet. Claud. 21* Fecit [*Claudius*] et saeculares, quasi anticipatos ab Augusto nec legitimo tempori reseruatos, quamuis

---

Italiam subegit. [*at cf. II 1, 1; 2. I 21.*] hoc fuit tempus uiris armis incitatissimum, ideoque quis adulescentiam dixerit. deinceps ad Caesarem Augustum centum et quinquaginta anni, quibus totum orbem pacauit. hic iam ipsa iuuentas imperii et quaedam quasi robusta maturitas. a Caesare Augusto in saeculum nostrum haut multo minus anni ducenti, quibus inertia Caesarum quasi consenuit atque decoxit et q. s. *V. supra* CXVIII *sq.*

1. *De Augusti ludis, quibus ueteres continuauit, et Claudii, cuius ratio eos ab origine urbis repetiuit, uid. Mus. Rhen. LVII p. 249 sqq.*

---

1. terrae *Par. I* 3. uterentur *Pal.* 4. et hac *Par. I a. c.* 5. in testimonio *Par. III* rursū *Par. III* 6. quasi adulteram *Pal.* 8. ipsam *Pal.* 9. recentium uteretur *Par. III*

ipse in historiis suis prodat intermissos eos Augustum multo post diligentissime annorum ratione subducta in ordinem redegisse.

2*. *Suet. Claud.* 2 Diu atque etiam post tutelam receptam alieni arbitrii et sub paedagogo fuit, quem barbarum et olim superiumentarium ex industria sibi appositum, ut se quibuscumque de causis quam saeuissime coerceret, ipse quodam libello conqueritur.

3. *Plin. n. h. XII 78* Peregrinos ipsa [*Arabia*] mire odores et ad exteros petit: tanta mortalibus suarum rerum satias est alienarumque auiditas. petunt igitur in Elymaeos arborem bratum cupresso fusae similem, exalbidis ramis, iucundi odoris accensam et cum miraculo historiis Claudi Caesaris praedicatam. folia eius inspergere potionibus Parthos tradit, odorem esse proxumum cedro fumumque eius contra ligna alia remedio.

4*. *Plin. n. h. V 63* Mareotis lacus a meridiana urbis parte euripo e Canopico ostio mittit ex mediterraneo commercia, insulas quoque plures amplexus, $\overline{\text{XXX}}$ traiectu, $\overline{\text{CCL}}$ ambitu, ut tradit Claudius Caesar.

5*. *Plin. n. h. VI 27* Vniuersae [*Armeniae maioris*] magnitudinem Aufidius quinquagiens centena milia prodidit, Claudius Caesar longitudinem a Dascusa ad confinium Caspii maris XIII p., latitudinem dimidium eius a Tigranocerta ad Hiberiam.

6*. *Plin. n. h. VI 31* Claudius Caesar a Cimmerio Bosporo ad Caspium mare $\overline{\text{CL}}$ prodidit, eaque perfodere cogitasse Nicatorem Seleucum, quo tempore sit ab Ptolomaeo Cerauno interfectus.

---

2. *Vid. s. p.* CXXII.
4. *Cf. Strabo XVII 1, 14 p. 799* Ἡ δὲ Μαρεία λίμνη παρατείνουσα μέχρι καὶ δεῦρο πλάτος μὲν ἔχει πλειόνων ἢ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν σταδίων, μῆκος δ' ἐλαττόνων ἢ τριακοσίων· ἔχει δ' ὀκτὼ νήσους καὶ τὰ κύκλῳ πάντ' οἰκούμενα καλῶς.
5. *Cf. Strabo XI 14, 11 p. 530* Μέγεθος δὲ τῆς χώρας [Ἀρμενίας] Θεοφάνης ἀποδίδωσιν εὖρος μὲν σχοίνων ἑκατόν, μῆκος δὲ διπλάσιον, τιθεὶς τὸν σχοῖνον τετταράκοντα σταδίων· πρὸς ὑπερβολὴν δ' εἴρηκεν· ἐγγυτέρω δ' ἐστὶ τῆς ἀληθείας μῆκος μὲν θέσθαι τὸ ὑπ' ἐκείνου λεχθέν, εὖρος δὲ τὸ ἥμισυ ἢ μικρῷ πλεῖον.
6. *Cf. Strabo XI 1, 5 p. 491.*

3, 12. fusae ς russae *(cod.) M(on.)* 15. alio *M*

4, 16. a *cod. Leid.*[2] *in ras.* ad ς 17. commercio *codd. em. Detlefsen* 18. CCL *Pintianus* CL *codd.*

7*. *Plin. n. h. VI 128* Tam uicinum Arsaniae fluere eum [*Tigridem*] in regione Archene Claudius Caesar auctor est, ut, cum intumuere, confluant nec tamen misceantur leuiorque Arsanias innatet MMMM ferme spatio, mox diuisus in Euphraten mergatur.

8*. *Plin. n. h. VII 35* Claudius Caesar scribit hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interisse, et nos principatu eius adlatum illi ex Aegypto in melle uidimus.

AGRIPPINAE CLAVDII COMMENTARII

26/779 **1.** *Tac. ann. IIII 53* At Agrippina peruicax irae et morbo corporis implicata, cum uiseret eam Caesar [*Tiberius*], profusis diu ac per silentium lacrimis mox inuidiam et preces orditur: subueniret solitudini, daret maritum, habilem adhuc iuuentam sibi, neque aliut probis quam ex matrimonio solacium; esse in ciuitate *qui* . . . . Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignarentur. sed Caesar non ignarus, quantum ex re publica peteretur, ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso quamquam instantem reliquit. id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae filiae.

37/790 **2*.** *Plin. n. h. VII 46* Neronem — principem — pedibus genitum scribit parens eius Agrippina.

CORNELII BOCCHI HISTORIA

1*. *Solin. 2, 18* Delphicam autem Sibyllam ante Troiana bella uaticinatam Bocchus autumat, cuius plurimos uersus operi suo Homerum inseruisse manifestat.

---

7. *Similia mirabilia de hac regione apud Strabonem XI 14, 8 p. 529.*
1, 21. *Rem excerpsit Isidorus orig. VIII 8, 3 Bocchi auctoritate omissa.*

7, 2. archeni *cod. Paris.*
1, 13. probris *Petersen* 14. qui diui Augusti neptem *suppleuit lacunam (14 fere litterarum) Crollius* qui diuo Augusto ortam *Haase* 15. ex re p.] ex se *Wurm* ea re *Maduig*
1, 22, boccis *Paris. M* perhibet *codd. class. III*

2*. *Solin. 1, 97* Polymestor Milesius puer, cum a matre locatus esset ad caprarios pastus, ludicro leporem consecutus est et ob id statim productus a gregis domino olympiade sexta et quadragesima, ut Bocchus auctor est, uictor in stadio meruit coronam.

3*. *Solin. 2, 11* A Zanclensibus Metaurum locatum, a Locrensibus Metapontum, quod nunc Vibo dicitur, Bocchus absoluit.

4*. *Plin. n. h. XVI 216* Memorabile et Vticae templum Apollinis, ubi cedro Numidica trabes durant ita, ut positae fuere prima urbis eius origine annis MCLXXVIII, et in Hispania Sagunti templum Dianae a Zacyntho aduectae cum conditoribus annis CC ante excidium Troiae, ut auctor est Bocchus (infra ipsum oppidum id habent, cui pepercit religione inductus Hannibal) iuniperi trabibus etiam nunc durantibus.

5*. *Plin. n. h. XXXVII 24* Auctor est — Cornelius Bocchus et in Lusitania [*crystallum effossum*] perquam mirandi ponderis in Ammaeensibus iugis, depressis ad libramentum aquae puteis.

6*. *Plin. n. h. XXXVII 127* Appellantur aliquae [*hyacinthi*] et chryselectroe, in colorem electri declinantes, matutino tamen tantum aspectu. Ponticas deprehendit leuitas. quaedam durae sunt ac rufae, quaedam molles, sordidae. Bocchus auctor est et in Hispania repertas *et* quo in loco crystallum dixit ad libramentum aquae puteis depressis erui chrysolithon XII pondo a se uisam.

7*. *Plin. n. h. XXXVII 97* Bocchus et in Olisiponensi erui scripsit magno labore ob argillam soli adusti [*carbunculos*].

2, 1. polimestor *Heidelb. Bern. S(angall.) Paris.* polimnestor *Basil.* locutus *Sangall. Paris. M*[1] 3. producatus *Sang.* 4. uochus *Vat. Casin.*[2] uocus *Cas.*[1]

3, 6. zanclesibus *codd. class. I* locrensilius *Sang.* 7. Metapontum] hypontum *Par.*[2] Hipponium *Salmasius* Vibo] uiuo *Vatic.* hiuibo *Par.*[2]

4, 12. est] erat *cod. Paris.* erit ς intra *coni. Mayhoff*

5, 17. in Ammaeensibus *Detlefsen coll. C. I. L. II 501* ammaeensibus *cod. B(amb.)* inmensis *uulg.* liberamentum *B*

6, 21. et *om. B* 22. repertam *B* repertas ς et *add. Mayhoff* 23. depressis *Harduin* defossis *B Leid.* erui *B* inde erutam ς erui etiam *Mayhoff*

7, 24. in] i *B* 25. sole adustis saltibus ς soli adusti *B* ς

AVFIDII BASSI HISTORIAE

43/711 **1*.** *Senec. suas. 6, 18* Bassus Aufidius et ipse nihil de animo Ciceronis dubitauit quin fortiter se morti non praebuerit tantum sed obtulerit. Aufidi Bassi: Cicero paulum remoto uelo postquam armatos uidit, 'Ego uero consisto' ait, 'accede, ueterane, et, si hoc saltim potes recte facere, incide ceruicem'. trementi deinde dubitantique 'Quid, si ad me', inquit, 'primum uenissetis?'.

43/711 **2*.** *Senec. suas. 6, 23* Aufidi Bassi: Sic M. Cicero decessit, uir natus ad rei publicae salutem, quae diu defensa et administrata in senectute demum e manibus eius elabitur, uno ipsius uitio laesa, quod nihil in salutem eius aliud illi quam si caruisset Antonio, placuit. Vixit sexaginta et tres annos ita, ut semper aut peteret alterum aut inuicem peteretur, nullamque rem rarius quam diem illum quo nullius interesset ipsum mori, uidit.

3*. *Cassiod. in fin. chron. p. 659 Momms.* A Bruto et Tarquinio usque ad consulatum uestrum, sicut ex Tito Liuio et Aufidio Basso et Paschali clarorum uirorum auctoritate firmato collegimus, anni sunt MXXXI.

p. 630 Mo. (746 a. u. c.) C. Asinius et C. Marcius.

(His conss. inter Albim et Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti. per Sextum Apuleium Pannonii subacti.)

(747) Ti. Nero et Cn. Piso.

(748) D. Laelius et C. Antistius.

(749) Augustus Caesar XI et L. Sylla.

(750) C. Caluisius et L. Passienus.

(751) C. Lentulus et M. Messala.

---

1. *Modo Liuium Seneca narrantem induxerat (§ 17):* satis constat seruos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam et quietos pati quod sors iniqua cogeret iussisse. prominenti ex lectica praebentique inmotam ceruicem caput praecisum est. *Cf. Quintil. XII 1, 17* quod probauit morte quoque ipsa, quam praestantissimo suscepit animo.

1, 6. quid? quasi *O. Jahn*

2, 9. elabitur] habitu *Antu. Brux. Vat.* labitur *Brux. II* uno *H. Mueller* non *codd.* hoc *Gertz* non ipsius uitio laesa ⟨nisi⟩ quod *Gronou.* 10. ⟨sed⟩ quod *Schultingh.* salute *codd.* 13. quo] quod *codd.*

3, 21. *om. M(onacensis)* 25. *om. M* lentus *P(arisinus)* messula *P*

(752) C. Augustus Caesar XII et M. Plautius.

(753) Cossus Lentulus et L. Piso.

(1 p. Chr.) C. Augustus Caesar XIII et L. Paulus.

(2) C. Vinicius et P. Alfenus.

(3) M. Seruilius et L. Lamia.

(4) Sex. Aelius et C. Sentius.

(5) Cn. Cinna et L. Valerius.

(His conss. per dies octo Tiberis impetu miseranda clades hominum domorumque fuit.)

(6) M. Lepidus et L. Arruntius.

(7) Q. Caecilius et A. Licinius.

(8) M. Furius et Sex. Nonius.

(9) Q. Sulpicius et C. Poppaeus.

(10) P. Dolabella et C. Silanus.

(11) M. Lepidus et T. Statilius.

(12) Ger. Caesar et C. Fonteius.

(13) L. Plancus et C. Silius.

(14) Sex. Pompeius et Sex. Apuleius.

(His conss. imp. Augustus obiit septuagesimo sexto anno aetatis suae, imperii autem quinquagesimo sexto semis. huic successit in imperium Tiberius Caesar, qui imperauit ann. XXIII. sub quo hi consules fuerunt:)

(15) Drusus Caesar et C. Norbanus.

(16) Sisenna Statilius et L. Scribonius.

(His conss. mathematici urbe pelluntur.)

(17) L. Pomponius et C. Caecilius.

(18) Ti. Caesar et Germanicus Caesar.

(19) M. Silanus et C. Norbanus.

(His conss. Germanicus Caesar in Syria mortuus est.)

(20) M. Valerius et M. Aurelius.

(21) Ti. Caesar et Drusus Caesar.

(22) D. Haterius et C. Sulpicius.

(23) C. Asinius et C. Antistius.

---

1. plaucius *M* 2. *om. M* 3 et 4. *om. M* 11. linicius *codd.* 12 et 13. *om. M* 15. stadius *M* 16. *om. M* 21. in *om M* 22. hic *M* 24. scribonus *M* 26. pompeius *M* 27. Caesar *om. M* germanias cesar *M* 29. est *om. P* 31. et drusus (*om.* Caesar) *M* 33. *om. M*

(His conss. Drusus Caesar publice funeratur.)
(24) S. Cornelius et L. Visellius.
(25) M. Asinius et Cossus Cornelius.
(26) C. Caluisius et Cn. Gaetulicus.
(27) L. Piso et M. Crassus.
(28) App. Silanus et P. Silius.
(29) C. Rubellius et C. Fufius.
(30) M. Vinicius et L. Cassius.
(31) Ti. Caesar v conss.

4*. *Plin. n. h. VI 27* Vniuersae [*Armeniae maioris*] magnitudinem Aufidius quinquagiens centena milia prodidit.

M. SERVILII NONIANI ANNALES

1. *Quintil. X 1, 102* Nam mihi egregie dixisse uidetur Seruilius Nonianus pares eos [*Sallustium Liuiumque*] magis quam similes.

L. ANNAEI SENECAE

DE VITA PATRIS

1*. *Ex. cod. Vatic. ed. Niebuhr. p. 103 sq. (p. XXIV sq. Studem.)* Incipit eiusdem Annaei Senecae de uita patris, feliciter scribente me Niciano die et loc(o) s(upra) s(criptis): 'Si quaecumque composuit pater meus et edi uoluit, iam in manus populi emisissem, ad claritatem nominis sui satis sibi ipse prospexerat. nam nisi me decipit pietas, cuius honestus etiam error est, inter eos haberetur, qui ingenio meruerunt, ut puris et inlustribus titulis nobiles essent. quisquis legisset eius historias ab initio bellorum ciuilium, unde primum ueritas retro abiit, paene usque ad mortis suae diem, magno aestimasset scire, quibus natus esset parentibus ille qui res Roman*as* ....

---

4. *Vid. supra p. 93. CXXVII.*

---

3 et 4. *om. M* 6—8. *om. M*

1, 17. *lectio* ciano *dubia est* 21. puris] p *aut* t *legit Studem.* *lectio litt.* et inlustrib. *dubia est (pro* e *potuit legi etiam* c, *pro litt. a tertia usque ad sextam*: orna *aut* opna *aut* equs, *pro* t : i, *pro* r : p, *pro* b. : LI)

P. CLODII THRASEAE PAETI

DE VITA CATONIS VTICENSIS

1. *Plut. Cat. 36* *Καὶ γὰρ αὐτὸς* [*Munatius*] *σύγγραμμα* 58/696 *περὶ τοῦ Κάτωνος ἐξέδωκεν, ᾧ μάλιστα Θρασέας ἐπηκολούθησε. λέγει δὲ κ. τ. λ. = Munat. fr. 2 p. 43.*

2. *Plut. Cat. 25* *Ὡς ἱστορεῖ Θρασέας εἰς Μουνάτιον, ἄνδρα Κάτωνος ἑταῖρον καὶ συμβιωτήν, ἀναφέρων τὴν πίστιν, κ. τ. λ. = Munat. fr. 3 p. 43 sq.*

CN. DOMITII CORBVLONIS COMMENTARII

1*. *Plin. n. h. II 180* Solis defectum Vipstano et Fonteio 59/812 cos. — factum pridie kalendas Maias Campania hora diei inter septimam et octauam sensit, Corbulo dux in Armenia inter horam diei decimam et undecimam prodidit, uisum circuitu globi alia aliis detegente et occultante.

2*. *Tacit. ann. XV 16* Ceterum obsessis [*Romanis ad* 62/815 *flumen Arsaniam Caesennio Paeto duce a Vologaese Parthisque*] adeo suppeditauisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem inicerent, contraque prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem, neque se plus tridui itinere afuisse. adicit iure iurando Paeti cautum apud signa

---

1. *Hic defectus solis a Tacito XIV 12 et Dione 61, 16, 4 inter prodigia eiusdem anni commemoratur, sed falso a plerisque cum eo confusum est (etiam ab Eglio* Feldzüge in Armenien *ap. Buedinger. I p. 235. 334) miraculum anno 58/811 Artaxatis obseruatum apud Tacitum XIII 41; rectius Nipperdey a. h. l.*

2. *Cf. Dio 62, 21* *Ὁ Οὐολόγαισος τοῖς Τιγρανοκέρτοις προσέμιξε καὶ τὸν Παῖτον ἐπιβοηθήσαντά σφισιν ἀπεώσατο, φεύγοντα δὲ αὐτὸν ἐπιδιώξας τήν τε ἐπὶ τοῦ Ταύρου καταλειφθεῖσαν ὑπ' αὐτοῦ φρουρὰν ἐξέκοψε καὶ ἐκεῖνον ἐς Ῥάνδειαν πρὸς τῷ Ἀρσανίᾳ ποταμῷ οὖσαν κατέκλεισε. κἂν ἀπανέστη μηδὲν περάνας, οὔτε γὰρ πελάσαι πῃ τῷ ἐρύματι ἅτε χωρὶς ὁπλιτῶν ὢν ἐδύνατο, οὔτε τῆς τροφῆς, ἄλλως τε καὶ πλήθει πολλῷ ἄνευ παρασκευῆς σιτίων ἀφιγμένος, εὐπόρει, εἰ μὴ ὁ Παῖτος τήν τε τοξείαν αὐτοῦ καὶ ἐς αὐτὸ τὸ στρατόπεδον ἀφικνουμένην καὶ τὴν ἵππον πανταχοῦ φαινομένην δείσας λόγους τε ὑπὲρ σπονδῶν αὐτῷ ἔπεμψε καὶ ὡμολόγησε καὶ ὤμοσεν αὐτός τε τὴν Ἀρμενίαν ἅπασαν ἐκλείψειν καὶ τὸν Νέρωνα τῷ Τιριδάτῃ αὐτὴν δώσειν. ἀγαπήσας γὰρ ἐπὶ τούτοις ὁ Πάρθος*

1, 7. Vipstano *Vrsinus* uipianio *codd.* (*praeter Ricc.*[2] uipiano)
2, 15. prodiderint *Med. a. c.* 17. affuisse *Med.*[1] aufuisse *corr.*

astantibus iis, quos testificando rex misisset, neminem Romanum Armeniam ingressurum, donec referrentur litterae Neronis, an paci annueret. quae ut augendae infamiae composita, sic reliqua non in obscuro habentur, una die quadraginta milium spatium emensum esse Paetum desertis passim sauciis, neque minus deformem illam fugientium trepidationem, quam si terga in acie uertissent.

3*. *Plin. n. h. V 83* Oritur [*Euphrates*] in praefectura Armeniae maioris Caranitide, ut prodidere ex iis, qui proxime uiderant,
fr. 7 Domitius Corbulo in monte Aga, Licinius Mucianus sub radicibus montis, quem Capoten appellat, supra Zimaram XII milia passuum, initio Pyxurates nominatus.

4*. *Plin. n. h. VI 23* Peracta est interior ora a Cio amne omnesque accolae, nunc reddatur ingens in mediterraneo sinus, in quo multa aliter ac ueteres proditurum me non eo infitias, anxia perquisita cura rebus nuper in eo situ gestis a Domitio Corbulone regibusque inde missis supplicibus aut regum liberis obsidibus. ordiemur autem a Cappadocum gente. — — — (39) A Cyro Caspium mare uocari incipit. accolunt Caspi. corrigendus est in hoc loco error multorum, etiam qui in Armenia res proxume cum Corbulone gessere. namque hi Caspias appel-

---

ὡς καὶ τὴν χώραν ἀπονητὶ ληψόμενος καὶ εὐεργεσίαν ἐς τοὺς Ῥωμαίους μεγάλην καταθησόμενος καὶ ἅμα καὶ τὸν Κορβούλωνα, ὃν ὁ Παῖτος πρὶν περιστοιχισθῆναι μετεπέμπετο, πλησιάζειν πυθόμενος ἀφῆκεν αὐτούς, προδιομολογησάμενος, ἵνα τὸν ποταμὸν αὐτῷ Ἀρσανίαν ζεύξωσιν, οὐχ ὅτι γεφύρας ἐδεῖτο, πεζῇ γὰρ αὐτὸν διεληλύθει, ἀλλ' ἵνα ἐνδείξηταί σφισιν, ὅτι κρείττων αὐτῶν ἦν. ἀμέλει οὐδὲ τότε διὰ τοῦ ζεύγματος ἀνεχώρησεν, ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἐπ' ἐλέφαντος, οἱ δὲ ἄλλοι ὥσπερ καὶ πρότερον. ἄρτι τε ἡ ὁμολογία ἐγεγόνει, καὶ ὁ Κορβούλων ἀμηχάνῳ τάχει πρὸς τὸν Εὐφράτην ἐλθὼν ἐνταῦθ' ὑπέμεινεν. Vid. supra p. CXXXVII. *B. W. Henderson, Controversies in Armenian topography II:* Rhandeia and the river Arsanias *(The Journal of Philology 65 [1903]).*

4. *Quae intercedit descriptio inter paragraphos 23 et 39, sine dubio multa continet ex Corbulone hausta, quem ipsum inde a § 23 adhibitum esse docet locus nominis in indice; contexta tamen sunt cum aliis scriptoribus; nominantur § 27 Aufidius, § 27 et 31 Claudius Caesar, § 31 Cornelius Nepos, § 36 Clitarchus, Eratosthenes, Artemidorus, § 37 et 39 Agrippa, § 38 M. Varro, tum § 31* aliqui, § 37 non desunt, qui — tradunt. — *De Caucasiis portis haec Plinius § 30*: Ab iis [*Diduris et*

3, 10. Aga] aba *cod. Paris.*[2] Abos *apud Strabonem XI p. 527; uid. Egli l. s. p. 321 sq.*

4, 13. interi ora choamnesque *codd. em. Sillig* (interior ora *Leid.*[2]) 21. caspias] *cod. Monac.* caspasias *cett. codd.*

lauere portas Hiberiae, quas Caucasias diximus uocari, situsque depicti et inde missi hoc nomen inscriptum habent. et Neronis principis comminatio ad Caspias portas tendere dicebatur, cum peteret illas, quae per Hiberiam in Sarmatas tendunt, uix ullo propter oppositos montis aditu ad Caspium mare. sunt autem aliae Caspiis gentibus iunctae, quod dinosci non potest nisi comitatu rerum Alexandri Magni.

C. SVETONII PAVLINI COMMENTARII

1*. *Plin. n. h. V 14* Suetonius Paulinus, quem consulem 42/795
uidimus, primus Romanorum ducum transgressus quoque Atlantem aliquot milium spatio prodidit de excelsitate quidem eius quae ceteri, imas radices densis altisque repletas siluis incognito genere arborum, proceritatem spectabilem esse enodi nitore, frondes cupressi similes praeterquam grauitate odoris, tenui eas obduci lanugine, quibus addita arte posse quales e bombyce uestes confici. uerticem altis etiam aestate operiri niuibus. decumis se eo peruenisse castris et ultra ad fluuium qui Ger uocetur per solitudines nigri pulueris, eminentibus interdum uelut exustis cautibus, loca inhabitabilia feruore quamquam hiberno tempore experto. qui proxumos inhabitent saltus refertos elephantorum ferarumque et serpentium omni genere, Canarios appellari; quippe uictum eius animalis promiscuum his esse et diuidua ferarum uiscera.

C. LICINIVS MVCIANVS

1. *Plin. n. h. II 231* Andro in insula, templo Liberi patris, fontem nonis Ianuariis semper uini sapore fluere Mucianus ter consul credit.

Sodiis] sunt portae Caucasiae magno errore multis Caspiae dictae, ingens naturae opus montibus interruptis repente, ubi fores obditae ferratis trabibus, subter medias amne diri odoris fluente citraque in rupe castello, quod uocatur Cumania, communito ad arcendas transitu gentes innumeras, ibi loci terrarum orbe portis discluso, ex aduerso maxime Hermasti oppidi Hiberum.

1. *Cf. Dio 60, 9, 1 Τῷ δὲ ἐχομένῳ οἱ αὐτοὶ αὖθις Μαῦροι πολεμήσαντες κατεστράφησαν. Σουητώνιος μὲν γὰρ Παυλῖνος, ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων ὤν, τὴν χώραν αὐτῶν μέχρι τοῦ Ἄτλαντος ἀντικατέδραμεν.*

1, 16. uocatur *codd. Leid. et Paris.*

1, 23. saporem *cod. R(iccard.) Parisini. Cf. fr. 27.*

2. *Plin. n. h. III 59* Aliud miraculum a Circeis palus Pomptina est, quem locum XXIIII urbium fuisse Mucianus ter consul prodidit.

3. *Plin. n. h. IV 66* Longe clarissima et Cycladum media ac templo Apollinis et mercatu celebrata Delos, quae diu fluctuata, ut proditur, sola motum terrae non sensit ad M. Varronis aetatem. Mucianus prodidit bis concussam.

4. *Plin. n. h. IV 67* Syros, quam circuitu patere XX mil. pass. prodiderunt ueteres, Mucianus CLX.

5. *Plin. n. h. IV 77* Circuitu uero totius Ponti uiciens
Ex. fr. 12 semel, ut auctor est Varro et fere ueteres. Nepos Cornelius CCCL milia adicit, Artemidorus |XXVIIII| XVIIII M facit, Agrippa |XXIII| LX mil., Mucianus |XXIIII| XXV M.

6. *Plin. V 50* Inter Arsinoiten autem ac Memphiten lacus fuit circuitu CCL M passuum aut, ut Mucianus tradit, CCCCL M et altitudinis L passuum, manu factus, a rege qui fecerat Moeridis appellatus.

7. *Plin. n. h. V 83* Et de Euphrate hoc in loco dixisse aptissimum fuerit. oritur in praefectura Armeniae maioris Carani-
fr. 3 tide, ut prodidere ex iis qui proxime uiderant Domitius Corbulo in monte Aga, Licinius Mucianus sub radicibus montis quem Capoten appellat, supra Zimaram XII M passuum, initio Pyxurates nominatus.

8. *Plin. n. h. V 128* In Phoenicio deinde mari est ante Iopen Paria, tota oppidum, in qua obiectam beluae Andromedam ferunt, et iam dicta Arados, inter quam et continentem L cubita alto mari, ut auctor est Mucianus, e fonte dulcis aqua tubo coriis facto usque a uado trahitur.

9. *Plin. n. h. V 132* Sed pulcherrima est libera Rhodos. — distat ab Alexandria Aegypti DLXXXIII M, ut Isidorus tradit, ut Eratosthenes CCCCLXVIII M, ut Mucianus D, a Cypro CLXXVI.

10. *Plin. n. h. VII 36* Ex feminis mutari in mares non est fabulosum. — Licinius Mucianus prodidit uisum a se Argis Arescontem, cui nomen Arescusae fuisse, nupsisse etiam, mox barbam et uirilitatem prouenisse uxoremque duxisse; eiusdem sortis et Zmyrnae puerum a se uisum.

---

7. *Vid. Corbul. fr. 3.*
8. *Cf. Strabo XVI 2, 13 p. 754.*

2, 1. pomtina *cod. Leid.* **10,** 33. aristontem *codd.*

11. *Plin. VII 159* In Tmoli montis cacumine quod uocant Tempsin CL annis uiuere Mucianus auctor est, totidem annis censum Claudi Caesaris censura T. Fullonium Bononiensem, idque collatis censibus, quos ante detulerat uitaeque argumentis (etenim curae principi id erat) uerum apparuit.

12. *Plin. n. h. VIII 6* Mucianus ter consul auctor est aliquem ex his [*elephantis*] et litterarum ductus Graecarum didicisse solitumque perscribere eius linguae uerbis: 'Ipse ego haec scripsi et spolia Celtica dicaui', itemque se uidente Puteolis, cum aduecti e naue egredi cogerentur, territos spatio pontis procul a continente porrecti, ut sese longinquitatis aestimatione fallerent, auersos retrorsus isse.

13. *Plin. n. h. VIII 201* Sollertiam eius animalis [*caprae*] Mucianus uisam sibi prodidit in ponte praetenui, duabus obuiis e diuerso cum circumactum angustiae non caperent nec reciprocationem longitudo in exilitate caeca, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse atque ita alteram proculcatae supergressam.

14. *Plin. n. h. VIII 215* Simiarum quoque genera hominis figurae proxima caudis inter se distinguuntur. mira sollertia. uisco inungui laqueisque calciari imitatione uenantium tradunt, Mucianus et latrunculis lusisse, fictas cera nuces uisu distinguere, luna caua tristes esse, quibus in eo genere cauda sit, nouam exultatione adorare.

15. *Plin. n. h. VIIII 33* Quae de eodem genere piscandi in Iasio sinu Mucianus tradit, hoc differunt, quod ultro neque inclamati [*delphini*] praesto sint partesque e manibus accipiant et suum quaeque cumba e delphinis socium habeat quamuis noctu et ad facies.

11, 2. annos *codd.* annis *uel* annorum *Mayhoff* censum] *cod. Leid.* centum *codd. Vatic. R(icc.) P(aris.)* 3. claudi *R P* CL *cett. codd.* 5. principi id *Detlefsen* principio *codd.*

12, 6. ter] IIII *R P*

13, 16. caecam *coni. Mayhoff*

14, 22. factis *R*[2] nuces uisu *R*[2] *Leid.*[2] cones ius *cett. codd.* icones usu *Harduin* distinguere *Leid.*[2] -uente *R P uulg.* -ue *cett. codd.*

15, 26. Iasio *Barbar.* latio *codd.* ultro *P* ultra *cett. codd.* 28. cumba *Paris.*[2] cuma *Par.*[1] cumha *Vat. Leid.* cum /// *R*

16. *Plin. n. h. VIIII 68* Mullum LXXX librarum in mari rubro captum Licinius Mucianus prodidit.

17. *Plin. n. h. VIIII 79* Est paruus admodum piscis adsuetus petris echeneis appellatus. hoc carinis adhaerente naues tardius ire creduntur inde nomine inposito, quam ob causam amatoriis quoque ueneficiis infamis est. — Pedes eum habere arbitrantur, Aristoteles ita posita pinnarum similitudine. *(80)* Mucianus muricem esse latiorem purpura neque aspero neque rotundo ore neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha utroque latere sese colligente, quibus inhaerentibus plenam uentis stetisse nauem portantem nuntios a Periandro ut castrarentur nobiles pueri, conchasque quae id praestiterint apud Cnidiorum Venerem coli.

18. *Plin. n. h. VIIII 94* Nauigeram similitudinem et aliam in Propontide uisam sibi prodidit Mucianus: concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata. in hanc condi nauplium, animal saepiae simile, ludendi societate sola. duobus hoc fieri generibus. tranquillo enim uectorem dimissis palmulis ferire ut remis, si uero flatus inuitent, easdem in usu gubernaculi porrigi pandique concharum sinus aurae. huius uoluptatem esse ut ferat, illius ut regat, simulque eam descendere in duo sensu carentia, nisi forte (triste id enim constat omen nauigantium) humana calamitas in causa est.

19. *Plin. n. h. VIIII 180* Nec de anthia pisce silere conuenit
V 131 ea, quae plerosque aduerto credidisse. Chelidonias insulas diximus Asiae, scopulosi maris ante ⟨*Tauri*⟩ promuntorium sitas. ibi frequens hic piscis et celeriter capitur uno genere. paruo nauigio et concolori ueste eademque hora per aliquot dies continuos piscator enauigat certo spatio escamque proicit. — tum ille [*piscator*] paulum ultra digitos in esca iaculatus hamum singulos [*pisces uno aliquo adsuefacto allectos*] inuolat uerius

---

17, 9. simplice] *R*[2] simplici *Leid.*[2] sic *Par.*[1] si *cett. codd.* 11. nuncios a *Leid.*[2] nuncios *R*[2] *om. cett. codd.* 12. quae *R om. cett. codd.*

18, 15. acatii *Par.* achati *cett. codd.* 16. hanc *Par.*[2] hac *cett. codd.* 19. inuitet *R P* 20. baccarum *Leid.*[1] concarum *Par.*[2] buccarum *cett. codd.* 22. *distinxit Detlefsen* triste *Mayhoff* tristi *codd.* enim *R* entim *cett. codd.* omen *R ex corr.* omni *Par.*[1] ore *Par.*[2] omne *cett. libri* **19,** 26. Tauri *inser. Barbar.*

quam capit — alio intus excipiente centonibus raptum, ne palpitatio ulla aut sonus ceteros abigat. conciliatorem [*piscium*] nosse ad hoc prodest, ne capiatur, fugituro in reliquum grege. (*182*) Ferunt discordem socium duci insidiatum pulchre noto cepisse malefica uoluntate, agnitum in macello a socio cuius iniuria erat et damni formulam editam condemnatumque addit Mucianus aestimata lite.

20. *Plin. n. h. XI 167* Zoclen Samothracem, cui renati essent [*dentes*] post CIIII annos, Mucianus uisum a se prodidit.

21. *Plin. n. h. XII 9* Nunc est clara [*platanus*] in Lycia fontis gelidi socia amoenitate, itineri adposita domicilii modo, caua octoginta atque unius pedum specu, nemorosa uertice et se uastis protegens ramis arborum instar, agros longis obtinens umbris, ac ne quid desit speluncae imagini, saxea intus crepidinis corona muscosos complexa pumices, tam digna miraculo, ut Licinius Mucianus, ter consul et nuper prouinciae eius legatus, prodendum etiam posteris putauerit epulatum intra eam se cum duodeuicensimo comite, large ipsa toros praebente frondis, ab omni adflatu securum, captantem imbrium per folia crepitum laetiorem quam marmorum nitore, picturae uarietate, laquearium auro, cubuisse in eadem.

22. *Plin. n. h. XIII 88* Praeterea Mucianus ter cos. prodidit nuper se legisse, cum praesideret Lyciae, Sarpedonis ab Troia scriptam in quodam templo epistulae chartam, quod eo magis miror, si etiamnum Homero condente Aegyptus non erat.

23. *Plin. n. h. XIIII 54* Durat etiamnum uis [*uini Maronei*] in eadem terra [*Thracia*] generi rigorque indomitus, quippe cum Mucianus ter consul ex iis qui nuperrime prodidere sextarios singulos octonis aquae misceri compererit praesens in eo tractu, esse autem colore nigrum, odoratum, uetustate pinguescere.

---

5. a *om. Leid. Paris.* 7. aestimata lite *Ricc.* aestimat aliter *cett. codd.*

20, 8. Samothracem *Detlefsen* samothracen *cod. Mon.* -ceni *Ricc. Vat. Par.* -cenum *uulg.*

21, 10. est] *Ricc.* sit *cett. libri* 13. ramis arborum *Barbar.* ramorum arboribus *libri* obtinens *Ricc.* obtinet *cett. libri* 15. miraculo ut] *Ricc.* miracula *cett. libri* 19. captantem *Pintian.* optantem *uulg.* oblectante — crepitu *Detlefsen* quam *Barbar.* que *uulg.* 20. uarietate *Ricc. om. cett. libri*

23, 29. octonis *cod. Mon.* octogenis *cett. libri*

24. *Plin. n. h. XVI 213* Maxime aeternam putant hebenum, et cupressum cedrumque, claro de omnibus materiis iudicio in templo Ephesiae Dianae, utpote cum tota Asia extruente CXX annis peractum sit. conuenit tectum eius esse e cedrinis trabibus. de simulacro ipso deae ambigitur. ceteri ex hebeno esse tradunt, Mucianus ter cos. ex iis qui proxime viso scripsere uitigineum et numquam mutatum septies restituto templo, hanc materiam elegisse Endoeon, etiam nomen artificis nuncupans, quod equidem miror, cum antiquiorem Minerua quoque, non modo Libero patre, uetustatem ei tribuat. adicit multis foraminibus nardo rigari, ut medicatus umor alat teneatque iuncturas, quas et ipsas esse modico admodum miror, ualuas esse e cupresso et iam CCCC prope annis durare materiem omnem nouae similem.

25. *Plin. n. h. XVIIII 12* Mirentur hoc ignorantes in Aegypti quondam regis quem Amasim vocant thorace in Rhodiorum insula Lindi in templo Mineruae CCCLXV filis singula fila constare, quod se expertum nuperrime prodidit Mucianus ter consul paruasque iam reliquias eius superesse hac experientium iniuria.

26. *Plin. n. h. XXI 33* Mucianus auctor est in Lycia anno septumo aut octauo [*crocum*] transferri in locum subactum atque ita degenerans renouari.

27. *Plin. n. h. XXXI 16* Mucianus [*ait*] Andri e fonte Liberi patris statis diebus septenis eius dei uinum fluere, si auferatur e conspectu templi, sapore in aquam transeunte.

28. *Plin. n. h. XXXI 19* Cyzici fons Cupidinis uocatur, ex quo potantes amorem deponere Mucianus credit.

29. *Plin. n. h. XXXII 62* Haec sint dicta de corpore [*ostreorum*]; dicemus et de nationibus, ne fraudentur gloria sua

---

25. *Cf, Herod. III 47.*
27. *Cf. fr. 1. Pausan. VI 26, 2. Philostr. imag. I 25.*
29. sed — est *Plinio tribuit Harduin* sed — essent *Muciano Jan.*

24, 3. CCCC *ante Sillig. uulg. cf. 36, 95* 8. Endoeon *Sillig* eandem con *libri* 9. minerua *cod. Par.* mineruam *cett. libri* non quoque *libri* 10. ei *Vat.*[2] at *Par.* et *cett. libri* 11. nardi *Vat.*[1] *Paris.* 13. durare *Par.* durari *cett. libri*

25, 16. Lindi in *Pint.* tendi *libri* 17. se expertum nuper romae *Vat.*[2] se nuperrime exp. *Par.* se exemplum nuper romae *cett. libri*

27, 23. statis *Par. uulg.* festis *coni. Mayhoff* eius dei *post* templi *transp. Mayhoff* eius det *Voss.* eiusdem *Par. Tolet.* 24. aqua *Voss. Par.*

litora, sed dicemus aliena lingua quaeque peritissima huius censurae in nostro aeuo fuit. sunt ergo Muciani uerba, quae subiciam: 'Cyzicena maiora Lucrinis, dulciora Brittannicis, suaviora Medullis, acriora Ephesis, pleniora Iliciensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora Histricis, candidiora Cerceiensibus. sed his neque dulciora neque teneriora ulla esse conpertum est'. in Indico mari Alexandri rerum auctores pedalia inueniri prodidere, nec non inter nos nepotis cuiusdam nomenclatura tridacna appellauit, tantae amplitudinis intellegi cupiens, ut ter mordenda essent.

30. *Plin. n. h. XXXIV 36* Rhodi etiamnum tria milia signorum esse Mucianus ter consul prodidit, nec pauciora Athenis, Olympiae, Delphis superesse creduntur.

31. *Plin. n. h. XXXVI 131* In Asso Troadis sarcophagus lapis fissili uena scinditur. corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra XL diem exceptis dentibus. Mucianus specula quoque et strigiles et uestes et calciamenta inlata mortuis lapidea fieri auctor est. eiusdem generis et in Lycia saxa sunt et in oriente, quae uiuentibus quoque adalligata erodunt corpora.

32. *Plin. n. h. XXXVI 134* Idem Theophrastus et Mucianus esse aliquos lapides, qui pariant, credunt.

TI. CLAVDIVS BALBILLVS

1. *Senec. nat. quaest. IIII 2, 13* Balbillus, uirorum optimus profectusque in omni litterarum genere rarissimi, auctor est, cum

---

1. *Cf. Plin. n. h. VIII 91 sq., qui certaminis delphinorum crocodilo-*

---

2. sit *uel* fuerit *Mayhoff* 3. suauiore *Ricc.* 4. medullis *B(amb.)* dulcis *R(icc.)* edulis *Par. uulg.* ephesis *B* et pthisis *Par.* aethesis *V(oss.)* aethisis *R* Lepticis *uulg.* iliciensibus *B* licensibus *cett. libri* Lucensibus *uulg.* coryphatenis *V uulg.* coriph— *R* -phamtenis *Par.* 5. istricis *R* histricis, candidiora *om. B* cerciensibus *B* cerceiesibus *R V* certeientibus *Par.* 6. in *om. B* 8. non] *uulg.* noxi *B* nos *cett. libri* Nepotis *Fröhner* nomenclatura *V R* -creatura *B* -clator *Par. Detlefsen* 9. magnitudinis *V R*

30, 10. tria milia] *Par. uulg.* LXXIII *B Par. Tol.* LXXIII *cett. codd.*

31, 13. asso *B Par.* asa *cett. libri* 16. et *ante* strig. *add. B Par. om. cett. libri* strigileas *B* inlata *B* inlana *uel* illata *cett. libri* mortuis *del. Gelen.* cum mortuis *coni. Sillig*

32, 20. pariant *B Par. Vind.* parient *cett. libri*

ipse praefectus obtineret Aegyptum, Heracleotico ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse delphinorum a mari concurrentium et crocodilorum a flumine aduersum agmen agentium uelut pro partibus proelium. crocodilos ab animalibus placidis morsuque innoxiis uictos. his superior pars corporis dura et inpenetrabilis est etiam maiorum animalium dentibus, at inferior mollis ac tenera. hanc delphini spinis, quas dorso eminentes gerunt, submersi uolnerabant et in aduersum enisi diuidebant. rescissis hoc modo pluribus ceteri uelut acie uersa refugerunt. fugax animal audaci, audacissimum timido. nec illos Tentyritae generis aut sanguinis proprietate superant sed contemptu et temeritate. ultro enim insequuntur fugientesque iniecto trahunt laqueo; plurimi quidem pereunt, quibus minus praesens animus ad persequendum fuit.

T. FLAVII VESPASIANI COMMENTARII

66/819 **1.** *Ioseph. uit. 65 (340)* *Πῶς οὖν, ἵνα φῶ πρὸς αὐτὸν ὡς παρόντα, Ἰοῦστε, δεινότατε συγγραφέων, τοῦτο γὰρ αὐχεῖς περὶ σεαυτοῦ, αἴτιοι γεγόναμεν ἐγώ τε καὶ Γαλιλαῖοι τῇ πατρίδι σου τῆς πρὸς Ῥωμαίους καὶ πρὸς τὸν βασιλέα στάσεως; πρότερον γὰρ ἢ ἐμὲ τῆς Γαλιλαίας στρατηγὸν ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν χειροτονηθῆναι, σὺ καὶ πάντες Τιβεριεῖς οὐ μόνον ἀνειλήφατε τὰ ὅπλα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῇ*
Π 18,1 *Συρίᾳ δέκα πόλεις ἐπολεμεῖτε. σὺ γοῦν τὰς κώμας αὐτῶν ἐνέπρησας, καὶ ὁ σὸς οἰκέτης ἐπὶ τῆς παρατάξεως ἐκείνης ἔπεσεν. ταῦτα δὲ οὐκ ἐγὼ λέγω μόνος, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς Οὐεσπασιανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος ὑπομνήμασιν οὕτως γέγραπται, καὶ τίνα τρόπον ἐν Πτολεμαΐδι Οὐεσπασιανοῦ κατεβόησαν οἱ τῶν δέκα πόλεων ἔνοικοι, τιμωρίαν ὑποσχεῖν σε τὸν αἴτιον ἀξιοῦντες.*

M. ANTONII IVLIANI DE IVDAEIS

1. *Min. Fel. Oct. 33, 4* Scripta eorum [*Iudaeorum*] relege uel, ut transeamus ueteres, Flaui Iosephi uel, si Romanis magis

rumque et Tentyritarum meminit, Strabo 17, 2, 5 p. 824, Ammian. Marc. XXII 15, 18, Isidor. orig. XII 6, 11.

1, 29. relege uel, si Romanis magis gaudes (gaudis *cod.*

gaudes, Antonii Iuliani de Iudaeis require: iam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam, nec quidquam accidisse quod non sit iis, si in contumacia perseuerarent, ante praedictum.

Q. ASCONII PEDIANI

DE VITA SALLVSTII CRISPI

1. *Pseud.-Acr. ad Horat. sat. I 2, 41 (ille flagellis ad mortem caesus:)* Sallustius enim Crispus in Faustae, Sullae filiae, adulterio deprehensus ab Annio Milone flagellis caesus esse dicitur: quem Asconius Pedianus in uita eius significat.

C. PLINII SECVNDI

DE VITA POMPONII SECVNDI

1. *Plin. n. h. XIIII 55* Sed ceteris uinis commendandis minima aliqua mixtura medicamenta sunt. quod ut eius temporis aestimatione in singulas amphoras centeni nummi statuantur, ex his tamen usura multiplicata semissibus, quae ciuilis ac modica est, in Gai Caesaris Germanici fili principatu, annis CLX singulas uncias uini eo constitisse nobili exemplo docuimus referentes uitam Pomponii Secundi uatis cenamque, quam principi illi dedit.

BELLORVM GERMANIAE LIBRI XX

12/665

2*. *Suet. Calig. 8* Vbi natus sit [*C. Caesar*], incertum diuersitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gaetulicus Tiburi genitum fr. 1

---

1. *Vid. Porphyrionem ad eundem locum (p. 193 Meyer.)*: Hoc de Gaio Sallustio uidetur dici, qui deprehensus ab Annio Milone in adulterio Faustae Syllae Felicis filiae uxoris eius flagellis caesus est.

1. *De Pomponio Plin. etiam VII 39 et 80 quaedam inseruit.*

2. *Sic Suetonius Plinium redarguit:* Nam qui res Augusti memoriae mandarunt, Germanicum exacto consulatu in Galliam missum con-

---

a. corr.), ut transeamus ueteres Flaui Iosepi (iosaepi *cod. a. c.*) uel antonini *(cod. a. c.) cod. transposuit Lindner* 3. iis] his *cod.*

1, 7. tasconius *uel* tasiconius *uel* crasiconius *cod. Kelleri II p. 21*

1, 10. ex his tamen *libri* decies tantum *Keller* XC HS tamen *coni. Mayhoff* 12. annis] nummis *Pint.* 13. uini eo *Vrlichs* uini *Par. uulg.* uineae *Vat. Par.* uini eius *coni. Mayhoff* constitutis se *Vat. Par.*

scribit, Plinius Secundus in Treueris, uico Ambitaruio supra Confluentes. addit etiam pro argumento aras ibi ostendi inscriptas: 'Ob Agrippinae puerperium'. Versiculi imperante mox eo diuulgati apud hibernas legiones procreatum indicant:

'In castris natus, patriis nutritus in armis
iam designati principis omen erat'.

Ego in actis Anti editum inuenio. Gaetulicum refellit Plinius quasi mentitum per adulationem, ut ad laudes iuuenis gloriosique principis aliquid etiam ex urbe Herculi sacra sumeret, abusumque audentius mendacio, quod ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus et ipse C. Caesar. — Plinium arguit ratio temporum.

15/768 **3.** *Tacit. ann. I 69* Peruaserat interim circumuenti exercitus fama et infesto Germanorum agmine Gallias peti, ac ni Agrippina inpositum Rheno pontem solui prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit militibusque, ut quis inops aut saucius, uestem et fomenta dilargita est. tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, stetisse aput principium pontis laudes et grates reuersis legionibus habentem.

A FINE AVFIDI BASSI LIBRI XXXI

4. *Plin. n. h. praef.* [*ad Titum scr. a. 77/830*] *20* Vos quidem omnes, patrem [*Vespasianum*], te fratremque diximus opere iusto, temporum nostrorum historiam orsi a fine Aufidi Bassi. ubi sit ea, quaeres: iam pridem peracta sancitur et alioquin statutum erat heredi mandare, ne quid ambitioni dedisse uita iudicaretur. proinde occupantibus locum faueo, ego uero et

---

sentiunt iam nato Gaio. nec Plini opinionem inscriptio arae quicquam adiuuerit, cum Agrippina bis in ea regione filias enixa sit et q. s. *Versiculos norunt Tacitus ann. I 41 et Seneca dial. II 18, 4.*

---

11. *Ante* fuerat *Bergk (Jahrb. d. Rhein. Ver. Bd. 57 p. 43 adn. 2) interposuit* mortuus, *quod reiecit Froitzheim (m. Rh. n. XXXII p. 343) conprobante Mommseno Herm. XIII p. 248 sq. adn.*

3, 19. laudis *Med.*[1] laudis et gratis *Halm*

4, 21. nos *Par. Vind.* 23. aut fide *codd. Par.* aut fidei *alii libri* Bassi *add. quidam* ς 24. per acta *Detlefsen (sc. per testamentum)* sanctitur *Voss. Par.* sancitum *Detl.* 25. nequid ς neque *cett. libri*

posteris, quos scio nobiscum decertaturos, sicut ipsi fecimus cum prioribus.

5*. *Tac. ann. XIII 20* Prouecta nox erat et Neroni per 55/808 uinolentiam trahebatur, cum ingreditur Paris — expositoque indicii [*criminum Agrippinae exprobratorum*] ordine ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere sed Burrum etiam demouere praefectura destinaret, tamquam Agrippinae gratia prouectum et uicem reddentem. — Plinius et Cluuius nihil dubitatum de fide praefecti referunt.

6*. *Tac. ann. XV 53* Ordinem insidiis [*in Neronem*] com- 65/818 posuerant, ut Lateranus — prosterneret incautum premeretque —; tum iacentem et impeditum tribuni et centuriones et ceterorum, ut quisque audentiae habuisset, adcurrerent trucidarentque —. interim Piso apud aedem Cereris opperiretur, unde eum praefectus Faenius et ceteri acciti ferrent in castra, comitante Antonia Claudii Caesaris filia ad eliciendum uolgi fauorem, quod C. Plinius memorat.

7. *Plin. n. h. II 232* Amnes retro fluere et nostra uidit aetas Neronis principis supremis, sicut in rebus eius retulimus.

8. *Plin. n. h. II 199* Non minus mirum ostentum et nostra 68/821 cognouit aetas anno Neronis principis supremo, sicut in rebus eius exposuimus, pratis oleisque intercedente publica uia in contrarias sedis transgressis in agro Marrucino, praediis Vecti Marcelli equitis Romani res Neronis procurantis.

9*. *Tacit. hist. III 27* Incesserat cunctatio [*cum Flauiani* 69/822 *castra hostium Cremonae muris circumiecta adgrederentur*], ni duces fesso militi et uelut inritas cohortationes abnuenti Cremonam monstrassent. *(28)* Hormine id ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile

---

5. *Coniunxit cum Plinii Cluuiique (1) testimonio Tacitus etiam Fabii Rustici (fr. 1).*

6. *Tacitus sic pergit:* Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamuis absurdum uideretur aut inanem ad spem Antoniam nomen et periculum commodauisse, aut Pisonem notum amore uxoris alii matrimonio se obstrinxisse, nisi si cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est.

7. **8**. *Vid. s. p.* CLX.

9. *Vid. Vipstani Messallae fr. 2.*

6, **14**. operiretur *Med.*

8, **23**. Vettius *in titulo Teatino nominatur*

9, **28**. traditā *M(edic.) a. c.* 29. potiora *M* .G̃. Plunius *M*

discreuerim, nisi quod neque Antonius neque Hormus a fama uitaque sua quamuis pessimo flagitio degenerauere.

(**10***. *Ioann. Malal. VII p. 177 sq. Dind.* *Ἐν δὲ τῇ βασιλείᾳ τοῦ αὐτοῦ Ῥώμου ὁ στρατὸς αὐτοῦ ἐγένετο πολὺς ἐπείσακτος, καὶ πλῆθος ἦν ἐν τῇ Ῥώμῃ τῶν ἀγρίων ἀνθρώπων, καὶ οὐκ ἦσαν πρὸς τὰ πλήθη τῶν ἀνδρῶν γυναῖκες. — καὶ ἠθύμει ὁ Ῥῶμος, ἀμηχανῶν τί πράξει· — καὶ ἐξεφώνησε νόμον ὥστε λαμβάνειν τοὺς στρατιώτας πρὸς γάμον παρθένους, ἃς ἐκάλεσε Βρυτίδας· καὶ οὐδεὶς εἵλετο δοῦναι αὐτοῖς τὴν ἰδίαν θυγατέρα. — καὶ ἀθυμῶν ὁ Ῥῶμος ἀπῆλθεν εἰς τὸ μαντεῖον· καὶ ἐδόθη αὐτῷ χρησμὸς ὥστε ἐπιτελέσαι ταῖς γυναιξὶ θέαν ἱππικοῦ, ἵνα ἀγάγηται ἑαυτῷ ὁ στρατὸς γυναῖκας.* [— *sequitur narratio raptus.* —] *τοῦτο δὲ πρὸς ἅπαξ*
Aen. VIII 635 sq. *ἐποίησεν ὁ Ῥῶμος γενέσθαι, καθὼς ὁ σοφώτατος Βεργίλλιος ἐξέθετο· ὡσαύτως δὲ καὶ Πλίνιος ὁ Ῥωμαίων ἱστοριογράφος*
I 9 *συνεγράψατο, ὁμοίως δὲ καὶ Λίβιος, ἕτεροι δὲ ἱστορικοὶ συνεγράψαντο πρῶτον ἱπποδρόμιον ἐπιτελέσαι αὐτοῖς τὸν Ῥῶμον εἰς βούρδωνας.*)

FABII RVSTICI HISTORIAE

55/808 **1***. *Tacit. ann. XIII 20* Prouecta nox erat et Neroni per uinolentiam trahebatur, cum ingreditur Paris — expositoque indicii [*criminum Agrippinae exprobratorum*] ordine ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere sed Burrum etiam demouere praefectura destinaret, tamquam Agrippinae gratia prouectum et uicem reddentem. Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos mandata ei praetoriarum cohortium cura sed ope Senecae dignationem Burro retentam.

59/812 fr. 2 **2***. *Tacit. ann. XIIII 2* Tradit Cluuius ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque prouectam, ut medio diei, cum id

10. *Malalam ad uerbum exscripsit chronicon Paschale I p. 211 Dind.; uid. s. p.* CLX.
1. *Sequuntur Plin. fr. 5. Cluuii fr. 1.*

1. discreuerit *M a. c.*
10, 15. *Πλίνιος*] *Ἀπολλώνιος Chron. Pasch.* 16. *Σίλβιος Chron. Pasch.*
1, 25. cecinam *M*

temporis Nero per uinum et epulas incalesceret, offerret *se* saepius temulento comptam et incesto paratam. — Senecam contra muliebres inlecebras subsidium a femina petiuisse, inmissamque Acten libertam, quae simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret peruulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Rusticus non Agrippinae sed Neroni cupitum id memorat eiusdemque libertae astu disiectum. sed quae Cluuius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama huc inclinat.

3*. *Tacit. ann. XV 60* Is [*Annaeus Seneca*] forte an prudens 65/818
ad eum diem ex Campania remeauerat quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. illo propinqua uespera tribunus [*praetoriae cohortis Gauius Siluanus*] uenit et uillam globis militum saepsit; tum ipsi cum Pompeia Paulina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit [*an dicta Natalis suaque responsa agnosceret de congressu cum Pisone*]. *(61)* — Vbi haec [*quae Seneca responderat, Neroni*] a tribuno relata sunt Poppaea et Tigellino coram, — interrogat, an Seneca uoluntariam mortem pararet. tum tribunus nulla pauoris signa, nihil triste in uerbis eius aut uultu deprensum confirmauit. ergo regredi et indicere mortem iubetur. tradit Fabius Rusticus non eo quo uenerat itinere reditum sed flexisse ad Faenium praefectum et expositis Caesaris iussis, an obtemperaret, interrogauisse monitumque ab eo, ut exsequeretur, fatali omnium ignauia. nam et Siluanus inter coniuratos erat augebatque scelera, in quorum ultionem consenserat.

4*. *Tacit. Agr. 10* Formam totius Britanniae Liuius ueterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores, oblongae scutulae uel bipenni adsimulauere.

---

2. *Fabii famam secutus est Suetonius Ner. 28* Matris concubitum appetisse et ab obtrectatoribus eius, ne ferox atque impotens mulier et hoc genere gratiae praeualeret, deterritum nemo dubitauit, utique postquam meretricem, quam fama erat Agrippinae simillimam, inter concubinas recepit. olim etiam, quotiens lectica cum matre ueheretur, libidinatum inceste ac maculis uestis proditum affirmant. *(cf. Dio Cass. 61, 11, 4.)*

4. *Pergit Tacitus:* et est ea facies citra Caledoniam. unde et in uniuersum fama. sed transgressis inmensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum uelut in cuneum tenuatur.

3, 22. reditum *M* redisse tribunum *Halm*
4, 27. scupulae *Vat. II*

M. CLVVII RVFI HISTORIAE

55/808 **1*.** *Tac. ann. XIII 20* Plinius et Cluuius nihil dubitatum de fide praefecti [*Burri*] referunt.

59/812 **2*.** *Tac. ann. XIIII 2* Tradit Cluuius ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque prouectam, ut medio diei, cum id temporis Nero per uinum et epulas incalesceret, offerret *se* saepius temulento comptam et incesto paratam. iamque lasciua oscula et praenuntias flagitii blanditias adnotantibus proximis Senecam contra muliebres inlecebras subsidium a femina petiuisse, inmissamque Acten libertam, quae simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret peruulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. — — Sed quae Cluuius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama huc inclinat.

69/822 **3*.** *Plut. Oth. 3* *Ὁ Καῖσαρ αὐτὸς* [*Otho*] *ἰδίας ἔχθρας οὐδενὶ τοπαράπαν ἐμνησικάκησε, τοῖς δὲ πολλοῖς χαριζόμενος οὐκ ἔφευγε τὸ πρῶτον ἐν τοῖς θεάτροις Νέρων προσαγορεύεσθαι καί τινων εἰκόνας Νέρωνος εἰς τοὐμφανὲς προθεμένων οὐκ ἐκώλυσε. Κλούβιος δὲ Ροῦφος εἰς Ἰβηρίαν φησὶ κομισθῆναι διπλώματα, οἷς ἐκπέμπουσι τοὺς γραμματηφόρους, τὸ τοῦ Νέρωνος θετὸν ὄνομα προσγεγραμμένον ἔχοντα τῷ τοῦ Ὄθωνος.*

---

1. *Cf. Plin. fr. 5. Fab. Rust. fr. 1.*

2. *Cf. Dio LXI 11, 3* *φοβηθεῖσα οὖν ἡ Ἀγριππίνη, μὴ γήμηται τῷ Νέρωνι* [*Poppaea Sabina*], — *ἔργον ἀνοσιώτατον ἐτόλμησεν· ὥσπερ γὰρ οὐχ ἱκανὸν ὂν ἐς μυθολογίαν, ὅτι τὸν θεῖον τὸν Κλαύδιον ἐς ἔρωτα αὐτῆς ταῖς τε γοητείαις καὶ ταῖς ἀκολασίαις καὶ τῶν βλεμμάτων καὶ τῶν φιλημάτων ὑπηγάγετο, ἐπεχείρησε καὶ τὸν Νέρωνα ὁμοίως καταδουλώσασθαι. ἀλλ' ἐκεῖνο μὲν εἴτ' ἀληθῶς ἐγένετο εἴτε πρὸς τὸν τρόπον αὐτῶν ἐπλάσθη οὐκ οἶδα· ἃ δὲ δὴ πρὸς πάντων ὡμολόγητο λέγω, ὅτι ἑταίραν τινὰ τῇ Ἀγριππίνῃ ὁμοίαν Νέρων δι' αὐτὸ τοῦτο ἐς τὰ μάλιστα ἠγάπησε κτλ. Vid. Fab. Rust. fr. 2 c. adn.*

3. *Cf. Suet. Othon. 7* Ac super ceteras gratulantium adulantiumque blanditias ab infima plebe appellatus Nero nullum indicium recusantis dedit, immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primisque epistulis eius ad quosdam prouinciarum praesides Neronis cognomen adiecit. ***Repudiat eam famam Tacitus hist. I 78*** atque etiam Othoni

---

2, 4. Agrippinam *del. Ritter* 5. offerre saepius ***M(edic.)***[1] 7. flagitiis ***M em. Rhenanus***

3, 18. ***Κλαύδιος libri em. Lipsios*** 20. ***θεῖον libri em. I. Fr. Gronou.***

4*. *Plut. quaest. Rom. 107* Διὰ τί τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας ἱστρίωνας Ῥωμαῖοι καλοῦσιν; ἢ δι' ἣν αἰτίαν Κλούβιος Ῥοῦφος ἱστόρηκε; φησὶ γὰρ ἐν τοῖς πάνυ παλαιοῖς χρόνοις Γαΐου τε Σουλπικίου καὶ Λικινίου Στόλωνος ὑπατευόντων λοιμώδη νόσον ἐν Ῥώμῃ γενομένην πάντας ὁμαλῶς διαφθεῖραι τοὺς ἐπὶ σκηνὴν προερχομένους· δεηθεῖσιν οὖν αὐτοῖς ἐκ Τυρρηνίας ἐλθεῖν πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς τεχνίτας, ὧν τὸν πρωτεύοντα δόξῃ καὶ χρόνον πλεῖστον ἐνευημεροῦντα τοῖς θεάτροις Ἴστρον ὀνομάζεσθαι· καὶ διὰ τοῦτο πάντας 'ἱστρίωνας' ἀπ' ἐκείνου προσαγορεύεσθαι. 364/390

VIPSTANI MESSALLAE HISTORIAE

1*. *Tac. hist. III 25* Eo notabilior caedes fuit [*apud Cremonam Vitellianorum*], quia filius patrem interfecit. rem nominaque auctore Vipstano Messalla tradam. Iulius Mansuetus ex Hispania, Rapaci legioni additus, inpubem filium domi liquerat. is mox adultus, inter septimanos a Galba conscriptus, oblatum forte patrem et uolnere stratum dum semianimem scrutatur, agnitus agnoscensque et exsanguem amplexus, uoce flebili precabatur piatos patris manes neue se ut parricidam auersarentur: publicum id facinus, et unum militem quotam ciuilium armorum partem? simul attollere corpus, aperire humum, supremo ergo parentem officio fungi. aduertere proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et saeuissimi belli exsecratio. nec eo segnius propinquos adfinis patres trucidant spoliant: factum esse scelus loquuntur faciuntque. 69/822

---

quibusdam diebus populus et miles, tamquam nobilitatem ac decus adstruerent, Neroni Othoni adclamauit. ipse in suspenso tenuit uetandi metu uel adgnoscendi pudore. *Dio 64, 8, 2* τὸ γοῦν ὄνομα αὐτοῦ [*Νέρωνος Ὄθων*] αὐτῷ εὐθὺς ἐπέθετο.

4. *Cf. Liu. VII 2* Et hoc et insequenti anno C. Sulpicio Petico C. Licinio Stolone consulibus pestilentia fuit. — cum uis morbi nec humanis consiliis nec ope diuina leuaretur — ludi scaenici — inter alia caelestis irae placamina instituti dicuntur. — sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Tusco dabant. — uernaculis artificibus, quia ister Tusco uerbo ludio uocabatur, nomen histrionibus inditum, qui et q. s.

1, 13. uipsano *M(ed.)* 18. platos *M* placatos *m. rec.* 20. attolere *M* 23. trucidant *Gronou.* trucidati *M*

69/822 **2*.** *Tac. hist. III 28* Hormine id ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, non facile discreuerim.

IVNII ARVLENI RVSTICI LAVDES THRASEAE PAETI

1. *Suet. Dom. 10* Interemit [*Domitianus*] — Iunium Rusticum, quod Paeti Thraseae et Heluidi Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos uiros, cuius criminis occasione philosophos omnis urbe Italiaque summouit.

POMPEI PLANTAE HISTORIAE

1. *Schol. in Iuuen. II 99 p. 192 Jahn.* Hunc [*Othonem*] incomparabilis uitae bello ciuili Vitellius uicit apud Bebriacum campum. horum bellum scripsit Cornelius, scripsit et Pompeius Planta, qui ait Bebriacum uicum esse a Cremona uicesimo lapide.

---

2. *Vid. Plin. fr. 9.*

1. *Cf. Cass. Dion. LXVII 13, 2 Τὸν γὰρ δὴ Ῥούστικον τὸν Ἀρουλῆνον ἀπέκτεινεν, ὅτι ἐφιλοσόφει καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ὠνόμαζε, καὶ Ἑρέννιον Σενεκίωνα, ὅτι τε οὐδεμίαν ἀρχὴν ἐν πολλῷ βίῳ μετὰ τὴν ταμιείαν ᾐτήκει καὶ ὅτι τοῦ Πρίσκου τοῦ Ἑλουιδίου τὸν βίον συνέγραψεν. Heluidium laudatum esse ab Herennio et Tacitus tradidit et Plinius Dioque (uid. s. p.* CLXXII *sq.). perturbatio igitur apud Suetonium subesse uidetur; saepe enim Plinius occasionem habuisset Heluidii laudes Iunii conmemorandi, si scripsisset.*

1. *Scholium Vallae hoc est:* Quod bellum descripsit Cornelius Tacitus, post Cornelium uero, ut Probus [*commentator apud Vallam saepe citatus, nobis ignotus*] inquit, Pompeius Planta, qui ait Bebriacum uicum distare a Cremona uiginti milia passuum. *Vide s. p.* CLXXIII. *Idem spatium etiam Tacitus statuit hist. II 39 et 40. Vid. Heraeus ad II 44, 2.*

1, 8. ei comparabilis *Cramer* 9. uitiis *Barth* uebricum *Sangall.* 11. Bebriacum] *haec forma et apud Iuuenalem ipsum et in scholiis et apud Priscian. II 43 p. 69 H inuenitur. uid. Friedlaender ad Iuuen. II 106 p. 178*

M. VLPII TRAIANI DACICA

1. *Prisc. VI 13 p. 205* Traianus in I Dacicorum: inde Berzobim, deinde Aizi processimus. 101 / 854

IMPERATORIS P. AELII HADRIANI

DE VITA SVA

1. *Spart. Hadr. 1, 1* Origo imperatoris Hadriani uetustior a Picentibus, posterior ab Hispaniensibus manat, si quidem Hadria ortos maiores suos apud Italicam Scipionum temporibus resedisse in libris uitae suae Hadrianus ipse commemorat.

2*. *Spart. Hadr. 3, 2* Post quaesturam [*Hadrianus*] acta senatus curauit atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius prosecutus est; quando quidem et indulsisse uino se dicit Traiani moribus obsequentem atque ob hoc se a Traiano locupletissime muneratum. 101 / 854

3*. *Spart. Hadr. 3, 4* Tribunus plebis factus est [*Hadrianus*] Candido et Quadrato iterum conss., in quo magistratu ad perpetuam tribuniciam potestatem omen sibi factum adserit, quod paenulas amiserit, quibus uti tribuni plebis pluuiae tempore solebant, imperatores autem numquam. 105 / 858

4. *Spart. Hadr. 7, 1* Nigrini insidias, quas ille sacrificanti Hadriano conscio sibi Lusio et multis aliis parauerat, cum etiam successorem Hadrianus sibimet destinasset, euasit. quare Palma 118 / 871

---

1. *Pertinet ad Traiani expeditionem, qua primum Decebalum petiit; urbes iuxta se sitae sunt in uia Viminacio Tibiscum ducente. Vid. Tomaschek Pauly-Wissowa I c. 1132. III c. 318.*

1. *Originem suam solus Hadrianus ex Italia repetit.*

2. *Cf. inscr. C. I. L. III 550 p. 102* quaestori imperatoris Traiani et comiti expeditionis Dacicae, donis militaribus ab eo donato bis.

4. *Cf. 5, 6* quamuis Crassum postea procurator egressum insula, quasi res nouas moliretur, iniusso eius occiderit. *7, 4* in senatu quoque

---

1, 1. docicorum *Sang. Lugd. Karolir.* unde *Bamb.* 2. berzomim *Amien.* berzobini *Karolir.* bertobuni *Lugd. Karol.* Bersouia *in tab. Peuting.* azi *Amien.* aiti *Sangall. Lugd.* Aixi *edd.* Αἴζισις *Ptolem. III 8, 4* ahihis *in tab. Peut.* procesimus *Karol.* proprocesimus *Sang.*

1, 5. Italicam] *in P(alat.)* c *eras.* 8. Dacicum *in P.* cic *in ras.* in familiaribus *Lipsius*

Tarracenis, Celsus Bais, Nigrinus Fauentiae, Lusius in itinere senatu iubente, inuito Hadriano, ut ipse in uita sua dicit, occisi sunt.

130/883 **5*.** *Cass. Dion. LXVIIII 11, 2* *Ἐν δὲ τῇ Αἰγύπτῳ καὶ τὴν Ἀντινόου ὠνομασμένην ἀνῳκοδόμησε πόλιν. ὁ γὰρ Ἀντίνοος ἦν μὲν ἐκ Βιθυνίου, πόλεως Βιθυνίδος ἣν καὶ Κλαυδιούπολιν καλοῦμεν, παιδικὰ δὲ αὐτοῦ ἐγεγόνει καὶ ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἐτελεύτησεν, εἴτ' οὖν εἰς τὸν Νεῖλον ἐκπεσών, ὡς Ἁδριανὸς γράφει, εἴτε καὶ ἱερουργηθείς, ὡς ἡ ἀλήθεια ἔχει.*

79/832 **6*.** *Cass. Dion. LXVI 17* *Οὐεσπασιανὸς δέ, ὡς μὲν ἡ ἀλήθεια ἔχει, νοσήσας οὐ τῇ ποδάγρᾳ τῇ συνήθει ἀλλὰ πυρετοῖς μετήλλαξεν ἐν τοῖς ὕδασι τῶν Σαβίνων τοῖς Κουτιλίοις ὠνομασμένοις, ὡς δέ τινες καταψευδόμενοι τοῦ Τίτου, ἄλλοι τε καὶ ὁ Ἀδριανὸς ὁ αὐτοκράτωρ ἐφήμισαν, φάρμακον ἐν συμποσίῳ τινὶ λαβών.*

IMPERATORIS L. SEPTIMII SEVERI

DE VITA SVA

193/946 **1.** *Herod. II 9, 3* *Ἀνεπείθε δὲ αὐτὸν* [*Seuerum*] *ὀνείρατα τοιαύτην τινὰ ἐλπίδα ὑποσημαίνοντα, χρησμοί τε καὶ ὅσα εἰς πρόγνωσιν τῶν μελλόντων σύμβολα φαίνεται, ἅπερ πάντα ἀψευδῆ καὶ ἀληθῆ τότε πιστεύεται, ὅταν εἰς τὴν ἀπόβασιν*

---

excussatis, quae facta erant, iurauit se numquam senatorem nisi ex senatus sententia puniturum. *Dio 69, 2, 6 ἐφ' οἷς Ἀδριανὸς οὕτω τῶν λογοποιουμένων ἤσθετο ὥστε καὶ ἀπελογήσατο καὶ ἐπώμοσε μὴ κεκελευκέναι ἀποθανεῖν αὐτούς.*

5. *Cf. Spart. 14, 5* Antinoum suum, dum per Nilum nauigat, perdidit, quem muliebriter fleuit. de quo uaria fama est, aliis et q. s.

6. *Num hanc famam Hadr. occasionem aliquam nanctus etiam his libris inseruerit, dubium est.*

1. *Cf. Cass. Dion. 74, 3 Σημεῖα δὲ αὐτῷ, ἐξ ὧν τὴν ἡγεμονίαν ἤλπισε, ταῦτα ἐγένετο· ὅτε γὰρ ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσεγράφη, ὄναρ ἔδοξε λύκαινάν τινα κατὰ ταὐτὰ τῷ Ῥωμύλῳ θηλάζειν. μέλλοντι δὲ αὐτῷ τὴν Ἰουλίαν ἄγεσθαι ἡ Φαυστῖνα ἡ τοῦ Μάρκου γυνὴ τὸν θάλαμόν σφισιν ἐν τῷ Ἀφροδισίῳ τῷ κατὰ τὸ παλάτιον παρεσκεύασεν. ὕδωρ τε ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῷ καθεύδοντί ποτε ὥσπερ ἐκ πηγῆς ἀνεδόθη. καὶ ἐν Λουγδούνῳ ἄρχοντι πᾶσα αὐτῷ ἡ τῶν Ῥωμαίων δύναμις προσῆλθέ τε καὶ ἠσπάσατο, ὄναρ φημί. καὶ ἄλλοτε ἀνήχθη ἐς περιωπὴν ὑπό τινος καὶ καθορῶν ἀπ' αὐτῆς πᾶσαν μὲν τὴν γῆν, πᾶσαν δὲ τὴν θάλατταν, ἐφήπτετο αὐτῶν ὥσπερ παναρμονίου τινὸς ὀργάνου, καὶ ἐκεῖνα συνεφθέγγετο. καὶ αὖθις ἵππον*

1, 17. *τοιαῦτα libri meliores (O)* *ἐς pro εἰς scr. Mendelssohn*

εὐτυχηθῇ. τὰ μὲν οὖν πολλὰ ἱστόρησεν αὐτὸς [*τε*] *συγγράψας ἐν τῷ καθ' αὑτὸν βίῳ καὶ δημοσίαις ἀνέθηκεν εἰκόσι· τὸ δ' οὖν τελευταῖον καὶ μέγιστον, ὅπερ αὐτῷ καὶ τὴν ἐλπίδα πᾶσαν ὑπέφαινεν ὄναρ, οὐδ' ἡμῖν παραλειπτέον· κατὰ γὰρ τὸν καιρόν, ὃν ἀπηγγέλη Περτίναξ παραλαβὼν τὴν ἀρχήν, μετὰ τὸ προελθεῖν καὶ θῦσαι καὶ τὸν ὑπὲρ τῆς Περτίνακος βασιλείας ὅρκον ἀφοσιώσασθαι ὁ Σεβῆρος ἐπανελθὼν ἐς τὴν οἰκίαν ἑσπέρας καταλαβούσης ἐς ὕπνον κατηνέχθη, μέγαν δὲ καὶ γενναῖον ἵππον βασιλικοῖς φαλάροις κεκοσμημένον ἔδοξε βλέπειν, φέροντα τὸν Περτίνακα ἐποχούμενον διὰ μέσης τῆς ἐν Ῥώμῃ ἱερᾶς ὁδοῦ. ἐπεὶ δὲ κατὰ τὴν τῆς ἀγορᾶς ἀρχὴν ἐγένετο, ἔνθα ἐπὶ τῆς δημοκρατίας πρότερον ὁ δῆμος συνιὼν ἐκκλησίαζεν, φήθη τὸν ἵππον ἀποσείσασθαι μὲν τὸν Περτίνακα καὶ ῥῖψαι, αὐτῷ δὲ ἄλλως ἑστῶτι ὑποδῦναί τε αὐτὸν καὶ ἀράμενον ἐπὶ τοῖς νώτοις φέρειν τε ἀσφαλῶς καὶ στῆναι βεβαίως ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς μέσης, ἐς ὕψος ἄραντα τὸν Σεβῆρον, ὡς ὑπὸ πάντων ὁρᾶσθαί τε καὶ τιμᾶσθαι.*

2. *Spart. Pesc. 4, 7* In uita sua Seuerus dicit se, priusquam filii sui id aetatis haberent, ut imperare possent, aegrotantem id in animo habuisse, ut, si quid forte sibi accidisset, Niger Pescennius eodem et Clodius Albinus succederent, qui ambo Seuero grauissimi hostes extiterunt.

3*. *Spart. Pesc. 5, 1* Si Seuero credimus, fuit gloriae cupidus Niger, uita fictus, moribus turpis, aetatis prouectae, cum in imperium inuasit, ex quo cupiditates eius incusat.

ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ Ῥωμαίᾳ τὸν μὲν Περτίνακα ἀναβεβηκότα ἀποῤῥῖψαι, ἑαυτὸν δὲ ἑκόντα ἀναλαβεῖν ἐνόμισε. ταῦτα μὲν ἐκ τῶν ὀνειράτων ἔμαθεν, ὕπαρ δὲ ἐς τὸν βασιλικὸν δίφρον ἔφηβος ὢν ἔτι ἀγνοίᾳ ἐνιδρύθη. Dion ipse libellum de ominibus signisque imperii ad Seuerum miserat, uid. p. CLXXVIII.

2. *Cf. Mar. Max. fr. 21.*

---

1. *πολλὰ εἰς τὸ ῥηθὲν αὐτός τε libri* (*praeter Monac. qui πολλὰ ἐκείνων αὐτός τε*). *ἱστόρησεν αὐτός τε Wolf τε del. Mendels.* 2. *ἑαυτὸν O* 3. *οὖν*] *αὖ Monac.* 7. *ὁ Σεβ. in libris post θῦσαι transposuit G. Lange* 9. *κοσμούμενον O* 14. *ἄλλως*] *ἄσσον coni. Gedicke* 15. *ἐπὶ τοῖς νώτοις del. Leisner et Mendels.* 16. *ἐς ὕψος ἄραντα delet et τὸν Σεβ. transponit post τιμᾶσθαι Mendels.*

2, 20. habuisset *P(alat.)* 21. eidem *ed. pr.*

4. *Capit. Clod. Alb. 7, 1* Ad imperium uenit [*Clodius Albinus*] natu grandior et maior Pescennio Nigro, ut Seuerus ipse in uita sua loquitur.

5*. *Capit. Clod. Alb. 10, 1* Et Seuerus quidem ipse haec de eodem [*Clodio Albino*] loquitur, ut eum dicat turpem, malitiosum, inprobum, inhonestum, cupidum, luxuriosum. sed haec belli tempore uel post bellum, quando ei iam uelut de hoste credi non poterat.

6*. *Capit. Clod. Alb. 11, 4* Vini sane parcum fuisse dicit fr. 3 [*Clodium Cordus*], quod Seuerus negat, qui eum adserit ebrium etiam in bello fuisse. cum suis et numquam cenauit uel propter uinolentiam, ut dicit Seuerus, uel propter morum acrimoniam.

AELIVS MAVRVS

211/964 **1.** *Spart. Seu. 20, 1* Legisse me apud Aelium Maurum, Phlegontis Hadriani libertum, memini Septimium Seuerum inmoderatissime, cum moreretur, laetatum, quod duos Antoninos pari imperio rei p. relinqueret exemplo Pii, qui Verum et Marcum Antoninos per adoptionem filios rei p. reliquit, hoc melius, quod ille filios per adoptionem, hic per se genitos rectores Romanae rei p. daret, Antoninum scilicet Bassianum quidem ex priore matrimonio susceperat et Getam de Iulia genuerat.

1. *De hoc scriptore aulico nihil praeter hunc locum notum, ex quo, si eum recte restituit Salmasius, et nomen et studia patroni eum continuasse adparet. — Etiam Bassianus uere filius Iuliae Domnae fuit, errant igitur et Spartianus et ceteri scriptores Latini, Prosop. III p. 203 n. 321.*

4, 2. natura *P* natu iam *ed. pr.*

6, 11. et] etiam *ed. pr.* ei *Mommsen* cenauit] *ed. pr.* conuenit *P* 12. morumui *P a. ras.*

1, 13. Aelium] helium *P* Maurum] *prius* u *in P in ras.* 14. Phlegontis Tralliani libertum *uulg.* Hadriani liberti libertum *Salmasius* 19. quidem] quem *Egnatius, qui etiam post Getam* quem *inserit*

MARII MAXIMI DE VITA IMPERATORVM

DE VITA NERVAE

1*. *Schol. Iuuen. IV 53* Potentes apud Domitianum hi: Armillatus, Demosthenes et Latinus archimimus, ut Marius Maximus scribit.

DE VITA TRAIANI

2*. *Lampr. Alex. 65, 4* Notum est illud pietati tuae, quod in Mario Maximo legisti, meliorem esse rem p. et prope tutiorem, in qua princeps malus est, ea in qua sunt amici principis mali, si quidem unus malus potest a plurimis bonis corrigi, multi autem mali non possunt ab uno quamuis bono ulla ratione superari. et id quidem ab Homullo ipsi Traiano dictum est, cum ille diceret Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse, atque ideo † illum magis odio fuisse quae rem p. temporis uitae ille, quia melius est unum malum pati quam multos.

DE VITA HADRIANI

3*. *Spart. Hadr. 2, 10* Denique [*Hadrianus*] statim suffragante Sura ad amicitiam Traiani pleniorem redit, nepte per so-

---

1. *In constituendo hoc loco nunc secutus sum Buechelerum et Friedlaenderum, in Fragmentis quondam p. 332 Jahnium (p. 226), qui adnotationem scholiastae de Palfurio, quae antecedit, cum hac ita coniunxerat:* Palfurius Sura, consularis filius, sub Nerone luctatus est (cum uirgine Lacedaemonia in agone *addit Valla*). post inde a Vespasiano senatu motus transiuit ad stoicam sectam, in qua cum praeualeret et eloquentia et artis poeticae gloria, abusus familiaritate Domitiani acerbissime partes delationis exercuit. quo interfecto senatu accusante damnatus *est*, cum fuissent (*sic Pithoeus*, fuisset *codd. Pithoeanus et Sangall.*) inter delatores potentes apud Domitianum hi, Armillatus, Demosthenes et Latinus archimimus, sicut Marius Maximus scribit. *De Latino uid. Prosopogr. II p. 267 n. 83. Arm. et Demosthenes, ille praeter Iuuenalem, ignoti sunt.*

2. *Adloquitur Lampridius Constantinum Magnum; Homullus fortasse pater est Valerii Homulli, cos. a. 152, de quo uid. Prosop. III p. 358 n. 61.*

3. *Neptes fuit Vibia Sabina. Plotinae fauore Hadrianum legatum expeditionis Parthicae tempore destinatum esse Spart. 4, 1,* secundo con-

---

2, 10. homulio *P em. Salmasius* 12. *locum corruptum uarie temptauerunt u. d.*: Claudium magis odio fuisse in re p. temporis sui quam ille quia *Salm.* quam rem p. temporis sui laesisse *Maduig* qui rem p. temerari siuerit a libertis, quia *Vnger* quam rem p. imperii eius taeduisse, quia *Plew Krit. Beitr. p. 27* quam rem p. temporis ⟨sui⟩, uidelicet quia *Novák Listy filol. 1887 p. 10*

3, 15. statim] priuatim *uel* speciatim *conieci* affatim *Baehrens* instanter *Oberdick*

rorem Traiani uxore accepta, fauente Plotina, Traiano leuiter, ut Marius Maximus dicit, uolente.

122/875 uel 123/876 **4*.** *Spart. Hadr. 12, 3* Post haec [*Hadrianus*] Hispanias petit et Tarracone hiemauit, ubi sumptu suo aedem Augusti restituit. omnibus Hispanis Tarraconem in conuentum uocatis dilectumque ilocaliter ([ut] uerba ipsa ponit Marius Maximus) retractantibus Italicis, uehementissime ceteris prudenter *et* caute consuluit.

138/891 **5*.** *Spart. Hadr. 25, 3* Venit et de Pannonia quidam uetus caecus ad febrientem Hadrianum eumque contingit. quo facto et ipse oculos recepit, et Hadrianum febris reliquit. quamuis Marius Maximus haec per simulationem facta conmemoret.

6*. *Spart. Hadr. 20, 3* Marius Maximus dicit eum [*Hadrianum*] natura crudelem fuisse et idcirco multa pie fecisse, quod timeret, ne sibi idem, quod Domitiano accidit, eueniret.

7*. *Spart. Hel. 3, 9* Fuisse enim Hadrianum peritum matheseos Marius Maximus usque adeo demonstrat, ut eum dicat cuncta de se scisse, sic ut omnium dierum usque ad horam mortis futuros actus ante perscripserit.

---

sulem factum totam praesumptionem adoptionis emeruisse *(a. 118) 4, 4 tradidit, eum omnino adoptatum esse Dio 69, 1, 1* (ἐξ ἐρωτικῆς φιλίας), *Eutropius 8, 6* (sine aliqua uoluntate Traiani sed operam dante Plotina —. nam eum Traianus quamquam consobrinae suae filium noluerat adoptare), *Aur. Vict. Caes. 13, 12* (quae uiri testamento heredem regni institutum simularat).

5. *Cf. Dio 69, 22, 1* Ἀδριανὸς δὲ μαγγανείαις μέν τισι καὶ γοητείαις ἐκενοῦτό ποτε τοῦ ὑγροῦ, πάλιν δ' αὐτοῦ διὰ ταχέος ἐπίμπλατο.

6. *Cf. c. 23, 7* Et omnem quidem uim crudelitatis ingenitae usque eo repressit, donec in uilla Tiburtina profluuio sanguinis paene ad exitum uenit. tunc libere Seruianum quasi affectatorem imperii, quod seruis regiis cenam misisset, quod in sedili regio iuxta lectum posito sedisset, quod erectus ad stationes militum senex nonagenarius processisset, mori coegit, multis aliis interfectis uel aperte uel per insidias; quandoquidem etiam Sabina uxor non sine fabula ueneni dati ab Hadriano defuncta est. *Aur. Vict. epit. 14, 6* impetum mentis quodam artificio regens.

7. *Cf. Hadr. 16, 7* Mathesin sic scire sibi uisus est, ut sero kalendis Ianuariis scripserit, quid ei toto anno posset euenire, ita ut eo anno, quo perit, usque ad illam horam, qua est mortuus, scripserit, quid acturus esset.

4, 5. Tarraconem] em *in ras. P* 6. ut *uncis inclusi* 7. et *add.* ς

5, 9. uetus] natus *ed. pr.* 10. contigit *ed. pr.*

8. *Spart. Hel. 5, 4* Nam tetrafarmacum, seu potius pentafarmacum, quo postea semper Hadrianus est usus, ipse [*Helius*] dicitur repperisse, hoc est sumen, fasianum, pauonem, pernam crustulatam et aprunam. de quo genere cibi aliter refert Marius Maximus, non pentafarmacum sed tetrafarmacum appellans, ut et nos ipsi in eius uita persecuti sumus.

DE VITA ANTONINI PII

9*. *Capit. Anton. Pius 11, 3* Orationes plerique alienas esse dixerunt, quae sub eius [*Antonini Pii*] nomine feruntur; Marius Maximus eius proprias fuisse dicit.

DE VITA M. ANTONINI PHILOSOPHI

10*. *Capit. Anton. Phil. 1, 6* Cuius [*Marci*] familia in originem recurrens a Numa probatur sanguinem trahere, ut Marius Maximus docet, item a rege Sallentino Malemnio Dasummi filio, qui Lopias condidit.

11. EX LIBRO II *Vulc. Gall. Auid. 6, 7* Nam et cum Bu- 172
colici milites per Aegyptum grauia multa facerent, ab hoc [*Aui- 925
dio*] retunsi sunt, ut idem Marius Maximus refert in eo libro, quem secundum de uita Marci Antonini edidit.

12. EX LIBRO II *Vulc. Gall. Auid. 9, 5* Si quis autem 175
omnem hanc historiam [*Auidii Cassii rebellionis*] scire desiderat, 928
legat Mari Maximi secundum librum de uita Marci, in quo ille ea dicit quae solum Marcus mortuo iam Vero egit. tunc enim Cassius rebellauit, ut probat epistula missa ad Faustinam, cuius

8. *Cf. Hadr. 21, 4* Inter cibos unice amauit tetrafarmacum, quod erat de fasiano, sumine, perna et crustulo. = *Lampr. Alex. 30, 6* Vsusque est [*Seuerus Alexander*] Hadriani tetrafarmaco frequenter, de quo in libris suis Marius Maximus loquitur, cum Hadriani disserit uitam.

10. *Cf. Eutrop. VIII 9* quippe cum eius origo paterna a Numa Pompilio, materna a Salentino rege penderet.

11. *Cf. Anton. phil. 21, 2* Et cum per Aegyptum Bucolici milites grauia multa fecissent, per Auidium Cassium retunsi sunt. *Plura Cass. Dio 71, 4.*

12. *Cf. Auid. 7, 1* Hic imperatorem se in oriente appellauit, ut quidam dicunt, Faustina uolente, quae ualitudini Marci iam diffidebat et timebat, ne infantes filios tueri sola non posset atque aliquis existeret, qui capta statione regia infantes de medio tolleret. *Capit. Marc. 24, 5* Voluit Marcomanniam prouinciam, uoluit etiam Sarmatiam fa-

8, 1. terraf. *P*[1] pentef. *P*
10, 14. rege *P in ras.* malemnioda summi *P a. corr.*
12, 23. solus *ed. pr.*

hoc exemplum est: — Hinc autem apparet Faustinam ista [*rebellionem Auidii*] nescisse, cum dicat Marius, infamari eam cupiens, quod ea conscia Cassius imperium sumpsisset.

175/928 **13.** EX LIBRO II *Capit. Marc. 25, 8* Ignouit [*Marcus*] et ciuitatibus, quae Cassio consenserant, ignouit et Antiochensibus, qui multa in Marcum pro Cassio dixerant, quibus et spectacula et conuentus publicos tulerat et omnium contionum genus, contra quos edictum grauissimum misit. seditiosos autem eos et oratio Marci indicat, indita Mario Maximo, qua ille usus est apud amicos.

DE VITA COMMODI

14*. *Lamprid. Comm. 13, 1* Fuit autem ualidus ad haec [*gladiatoria Commodus*], alias debilis et infirmus, uitio etiam inter inguina prominenti, ita ut eius tumorem per sericas uestes populus Romanus agnosceret. uersus ideo multi scripti sunt, de quibus etiam in opere suo Marius Maximus gloriatur.

15*. *Lampr. Comm. 15, 4* Habuit [*Commodus*] praeterea morem, ut omnia quae turpiter, quae inpure, quae crudeliter, quae gladiatorie, quae lenonie faceret, actis urbis indi iuberet, ut Marii Maximi scripta testantur.

192/945 **16*.** *Lampr. Comm. 18, 1* Adclamationes senatus post mortem Commodi graues fuerunt. ut autem sciretur, quod iudicium senatus de Commodo fuerit, ipsas adclamationes de Mario Maximo indidi et sententiam senatus consulti: 'Hosti patriae honores detrahantur, parricidae honores detrahantur, parricida trahatur.

---

cere, et fecisset, nisi Auidius Cassius rebellasset sub eodem in oriente atque imperatorem se appellasset, ut quidam dicunt, Faustina uolente, quae de mariti ualetudine desperaret. *Cassius Dio cum Mario Max. consentit; uid. 71, 22 sqq. ubi plura.*

13. *Cf. Vulc. Gall. Auid. 6, 6* Amatusque est [*Auidius*] ab omnibus orientalibus et speciatim ab Antiochensibus, qui etiam imperio eius consenserunt, ut docet Marius Maximus in uita diui Marci. *9, 1* Antiochensis quoque Auidio Cassio consenserant, sed et his et aliis ciuitatibus, quae illum iuuerant, ignouit, cum primo Antiochensibus grauiter iratus esset hisque spectacula sustulisset et multa alia ciuitatis ornamenta, quae postea reddidit. *c. 7, 8.*

15. *Cf. c. 11, 11* Ludum semper ingressus est et, quotiens ingrederetur, publicis monumentis indi iussit.

16. *Cf. Cass. Dio 73 (74), 2, 1* *Καὶ οὕτως ὅ τε Πέρτιναξ αὐτοκράτωρ καὶ ὁ Κόμμοδος πολέμιος ἀπεδείχθη, πολλά γε ἐς αὐτὸν καὶ δεινὰ*

13, 9. mari *P a. c.*
14, 14. ideo] *Klebs Phil. n. I p. 559 sq.* in eo *P*
16, 20. *Symmetria adclamationum multis locis turbata est.*

hostis patriae, parricida, gladiator in spoliario lanietur. hostis deorum carnifex senatus, hostis deorum parricida senatus: hostis deorum hostis senatus. gladiator in spoliario, qui senatum occidit, in spoliario ponatur. qui senatum occidit, unco trahatur. qui innocentes occidit, unco trahatur: hostis parricida, uere uere. qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur. qui te occisurus fuit, unco trahatur. nobiscum timuisti, nobiscum periclitatus es. ut salui simus, Iuppiter optime maxime, serua nobis Pertinacem. fidei praetorianorum feliciter. praetoriis cohortibus feliciter. exercitibus Romanis feliciter. pietati senatus feliciter. parricida trahatur. rogamus, Auguste, parricida trahatur. hoc rogamus, parricida trahatur. exaudi Caesar, delatores ad leonem. exaudi Caesar, Speratum ad leonem. uictoriae populi Romani feliciter. fidei militum feliciter. fidei praetorianorum feliciter. cohortibus praetoriis feliciter. hostis statuas undique, parricidae statuas undique, gladiatoris statuas undique. gladiatoris et parricidae statuae detrahantur. necator ciuium trahatur, parricida ciuium trahatur. gladiatoris statuae detrahantur. te saluo salui et securi sumus, uere, uere, modo uere, modo digne, modo uere, modo libere. nunc securi sumus: delatoribus metum. ut securi simus, delatoribus metum. *ut* salui simus, delatores de senatu, delatoribus fustem. te saluo delatores ad leonem. te imperante delatoribus fustem. parricidae gladiatoris memoria aboleatur, parricidae gladiatoris statuae detrahantur. inpuri gladiatoris memoria aboleatur.

καὶ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου συμβοησάντων. ἠθέλησαν μὲν γὰρ καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ σῦραι καὶ διασπάσαι ὥσπερ καὶ τὰς εἰκόνας, εἰπόντος δὲ τοῦ Περτίνακος τῇ γῇ ἤδη τὸν νεκρὸν κεκρύφθαι τοῦ μὲν σώματος ἀπέσχοντο, τῶν δ' ἄλλων ἐνεφοροῦντο, οὐδὲν ὅ τι οὐκ ἐπιλέγοντες· Κόμμοδον μὲν γὰρ οὐδεὶς οὐδ' αὐτοκράτορα αὐτὸν ὠνόμαζεν, ἀλιτήριον δέ τινα καὶ τύραννον ἀποκαλοῦντες προσετίθεσαν ἐπισκώπτοντες τὸν μονομάχον, τὸν ἁρματηλάτην, τὸν ἀριστερόν, τὸν κηλήτην. τοῖς τε βουλευταῖς, ὅσοις καὶ μάλιστα ἐκ τοῦ Κομμόδου φόβος ἐπήρτητο, ὁ ὄχλος ἐπέλεγεν 'εὖγε εὖγε, ἐσώθης, ἐνίκησας'. ὅσα τε εἰώθεσαν ἐν τοῖς θεάτροις ἐπὶ τῇ τοῦ Κομμόδου θεραπείᾳ εὐρύθμως πως ἐκβοᾶν, ταῦτα τότε μετασχηματίζοντες ἐς τὸ γελοιότατον ἐξῇδον. — οὐ γὰρ ἐξήρκει σφίσι τὸ μηκέτι φοβεῖσθαι, ἀλλ' ἐν τῷ θαρσοῦντι καὶ ἐξυβρίζειν ἤθελον. Vid. Die Script. h. A. p. 221.

---

3. gladiator *scripsi* gladiatorem *P* 5. uere seuere *P emendaui* 13. desperatum *Salm.* spurcatum *Frankfurter Stud. Vindob. XIII p. 247* 20. sumus *P* 21. ut *inseruit Salm.* 22. imperantem *P* 23. gladiatori *P* 24. aboliatur *P*

[gladiatorem in spoliario.] exaudi Caesar: carnifex unco trahatur. carnifex senatus more maiorum unco trahatur. saeuior Domitiano, impurior Nerone. sic fecit, sic patiatur. memoriae innocentium seruentur, honores innocentium restituas, rogamus. parricidae cadauer unco trahatur, gladiatoris cadauer unco trahatur, gladiatoris cadauer in spoliario ponatur. perroga, perroga, omnes censemus unco trahendum. qui omnes occidit, unco trahatur. qui omnem aetatem occidit, unco trahatur. qui utrumque sexum occidit, unco trahatur. qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur. qui templa spoliauit, unco trahatur. qui testamenta deleuit, unco trahatur. qui uiuos spoliauit, unco trahatur. seruis seruiimus. qui pretia uitae exegit, unco trahatur. qui pretia uitae exegit et fidem non seruauit, unco trahatur. qui senatum uendidit, unco trahatur. qui filiis abstulit hereditatem, unco trahatur. indices de senatu, delatores de senatu, seruorum subornatores de senatu. et tu nobiscum timuisti, omnia scis, et bonos et malos nosti. omnia scis, omnia emenda, pro te timuimus. o nos felices te uiso imperante. de parricida refer, refer, *perroga,* perroga. praesentiam tuam rogamus. Innocentes sepulti non sunt: parricidae cadauer trahatur. parricida sepultos eruit: parricidae cadauer trahatur'.

Et cum iussu Pertinacis Liuius Larensis, procurator patrimonii, Fabio Chiloni consuli designato dedisset, per noctem Commodi cadauer sepultum est. senatus adclamauit: 'Quo auctore sepelierunt? parricida sepultus eruatur, trahatur'. Cincius Seuerus dixit: 'Iniuste sepultus est. qua pontifex dico, hoc collegium pontificum dicit. quoniam laeta iam percensui, nunc conuertar ad necessaria. censeo, quas is qui non nisi ad perniciem ciuium et ad dedecus suum uixit, ob honorem suum decerni coegit, abolendas statuas, quae undique sunt abolendae, nomenque ex omnibus priuatis publicisque monumentis eradendum mensesque his nominibus nuncupandos quibus nuncupabantur, cum primum illud malum in re publica incubuit'.

---

1. gladiatorem in spl. *uncis inclusi* 17. te uiro *P* sic te uero *fr. Cusan.* te uiuo *Casaub.* te uiuo, te imperante *Eyssenh.* te uiso *Hirschfeld* 18. perroga *inserui* 21. Larensis *Dessau Prosop. II p. 290* laurensis *P* 24. seruatur *P* Cingius *P* 25. qua] *an* quod? 26. laetam *P* laeta iam *Baehrens* leuia *Novák Listy 1884 p. 196* 27. quas is] *Salm.* quae is *P* 32. *Ipsum quod apud Marium Maximum senatus consultum inuenerat, taedio describendi correptus omisit Lampridius*

DE VITA PERTINACIS

17*. *Capit. Pert. 2, 6* Marcusque imperator — praetorium 175/928
eum [*Pertinacem*] fecit et primae legioni regendae inposuit, statimque Raetias et Noricum ab hostibus uindicauit. ex quo eminente industria studio Marci imperatoris consul est designatus. exstat oratio apud Marium Maximum laudes eius continens et omnia uel quae fecit uel quae perpessus est. et praeter illam orationem, quam longum fuit conectere, saepissime Pertinax a Marco et in contione militari et in senatu laudatus est, doluitque palam Marcus, quod senator esset *et* praefectus praet. fieri a se non posset.

18. *Capit. Pertin. 15, 8* Horruisse autem illum [*Pertinacem*] imperium epistula docet, quae uitae illius a Mario Maximo apposita est. quam ego inserere ob nimiam longitudinem nolui.

DE VITA SEVERI

19. *Spart. Get. 2, 1* Geta autem dictus est uel a patrui nomine uel aui paterni, de cuius uita et moribus in uita Seueri Marius Maximus primo septenario satis copiose retulit.

20. *Lamprid. Alex. 5, 3* Delatum sibi Antonini nomen a senatu recusauit [*Alexander*], *cum* hic magis adfinitate Caracalli iungeretur, quam ille subditiuus. si quidem, ut Marius Maximus dixit in uita Seueri, nobilem orientis mulierem Seuerus, cuius 187/940
hanc genituram esse conpererat, ut uxor imperatoris esset, adhuc priuatus et non magni satis loci, duxit uxorem, ex qua adfinitate hic Alexander fuit, cui uere per matrem suam consobrinus Varius Heliogabalus fuit.

21*. *Capit. Clod. Alb. 3, 4* Nec negari potest, quod etiam 198/946

---

18. *Cf. c. 13, 1* Imperium et omnia imperialia sic horruit, ut sibi semper ostenderet displicere.

19. *De (P. Sept. Geta) patruo uid. Pros. III p. 208 n. 326, de auo n. 328.*

20. *Cf. de Iulia Domna Spart. Seu. 3, 9* Cum amissa uxore aliam uellet ducere, genituras sponsarum requirebat, ipse quoque matheseos peritissimus, et cum audisset esse in Syria quandam, quae id geniturae haberet, ut regi iungeretur, eandem uxorem petit, Iuliam scilicet, et accepit interuentu amicorum. ex qua statim pater factus est. *Geta 3, 1* Natus est Geta Seuero et Vitellio coss. Mediolani, etsi aliter alii prodiderunt, sexto kalendas Iunias, ex Iulia, quam idcirco Seuerus uxorem duxerat, quod eam in genitura habere compererat, ut regis uxor esset, isque priuatus sed iam optimi in republica loci.

21. *Hoc Mar. M. ex ipsa Seueri uita sumpsit (fr. 2). eandem*

18, 13. opposita *P* 14. inseri *P em. Puteanus*
20, 20. cum *om. P* 24. et non] sed iam *Kellerbauer*

Marius Maximus dicit, hunc animum Seuero primum fuisse, ut, si quid ei contingeret, Pescennium Nigrum et Clodium Albinum sibi substitueret. sed postea et filiis iam maiusculis studens et Albini amori inuidens sententiam mutasse atque illorum utrumque bello oppressisse, maxume precibus uxoris adductus. denique Seuerus eum et consulem designauit.

197/950 **22*.** *Capit. Clod. 9, 1* Et primo quidem conflictu habito contra duces Seueri potior fuit [*Albinus*], post autem Seuerus ipse, cum id egisset apud senatum, ut hostis iudicaretur Albinus, contra eum profectus acerrime fortissimeque pugnauit in Gallia non sine uarietate fortunae. denique cum sollicitus augures consuleret, responsum illi est, ut dicit Marius Maximus, uenturum quidem in potestate eius Albinum, sed non uiuum nec mortuum. quod et factum est.

23*. *Capit. Clod. 9, 5* Fuit Albino unus, ut aliqui dicunt, filius, *ut* Maximus dicit, duo, quibus [*Seuerus*] primum ueniam dedit, postea uero eos cum matre percussit et in profluentem abici iussit.

199/952 **24*.** *Spart. Seu. 15, 6* Denique cum occisi essent nonnulli [*Pescennio uicto*], Seuerus se excusabat et post eorum mortem negabat fieri iussisse quod factum est, quod de Laeto praecipue Marius Maximus dicit.

25*. *Capit. Clod. 12, 5* Exstat epistula Seueri, qua ostendit animum suum, missa ad senatum, cuius hoc exemplum est: —.

---

famam Capitolinus secutus est c. 6, 8 sqq. 10, 3, etiam Spartianus Seuer. 6, 9 Eodem tempore [*seditione Pescennii audita*] etiam de Clodio Albino sibi substituendo cogitauit, cui Caesarianum decretum † aut Commodianum uidebatur imperium. sed eos ipsos pertimescendo, quibus recte inuidebat, et q. s.

22. *Cf. Spart. Seu. 10, 7* Et primo quidem ab Albinianis Seueri duces uicti sunt. tunc sollicitus cum consuleret, a Pannoniacis auguribus comperit se uictorem futurum, aduersarium uero nec in potestatem uenturum neque euasurum. *c. 11, 6* Deinde Albini corpore adlato paene seminecis caput abscidi iussit Romamque deferri idque litteris prosecutus est. — addunt alii, quod idem cadauer in Rhodanum abici praecepit (*ῥιφῆναι Dio 75, 7, 3*), simul etiam uxoris liberorumque eius.

23. *Vid. adn. ad fr. 22 fin.*

24. *De (Iulio) Laeto ad Lugdunum pugnam decernente uid. Dion. 75, 6, 8 et Herod. 3, 7, 3 sq. (a quibus item proditionis insimulatur).*

25. In uita eius *ad uitam Seueri historiae Augustae (11, 5—12, 1. 12, 9—13, 7. cf. 15, 6. 18, 6) pertinet. cf. Ver. (Capitolini) 9, 9 sq.* De

---

23, 16. ut *addidi* **24,** 19. nonnullis P^1
25, 23. qua *Maduig* quae *P*

(13) Hinc apparet, quanta seueritate factionem uel Pescennianam uel Clodianam uindicauerit. quae quidem omnia in uita eius posita sunt. quae qui diligentius scire uelit, legat Marium Maximum de Latinis scriptoribus, de Graecis scriptoribus Herodianum, qui ad fidem pleraque dixerunt.

DE VITA HELIOGABALI

26. *Lampr. Heliog. 11, 6* Ferunt multi ab ipso [*Heliogabalo*] primum repertum, ut in uindemiarum festiuo multa in dominos iocularia et audientibus dominis dicerentur, quae ipse conposuerat, et Graeca maxime. horum pleraque Marius Maximus dicit in uita ipsius Heliogabali.

EX INCERTIS VITIS

27. *Lamprid. Alex. 21, 3* Praefectis praetorii suis senatoriam addidit [*Alexander Seuerus*] dignitatem, ut uiri clarissimi et essent et dicerentur. quod antea uel raro fuerat uel omnino [non] diu non fuerat, eo usque ut si quis imperatorum successorem praefecto praetorii dare uellet, laticlauiam eidem per libertum summitteret, ut in multorum uita Marius Maximus dixit.

ENCOLPII VITA ALEXANDRI SEVERI

1*. *Lampr. Alex. 17, 1* Referebat Encolpius — illum [*Alexandrum*], si umquam furem iudicem uidisset, paratum habuisse digitum, ut illi oculum erueret: tantum odium eum tenebat eorum, de quibus apud se probatum, quod fures fuissent.

2*. *Lampr. Alex. 48* Cum quidam Ouinius Camillus senator antiquae familiae delicatissimus rebellare uoluisset tyrannidem

---

quo bello quidem — in Marci uita plenissime disputatum est. *10, 2* illa fabula, quae in Marci uita posita est. *Ael. 5, 5* ut et nos ipsi in eius uita persecuti sumus. *Comm. 1, 1 Ael. 2, 9. Tropea* Stud. II p. 37—41 *Seueri autobiographiam, Vulić* Rivista di storia ant. VIII 6—8 *Marii Maximi uitam dictam esse putauerunt.*

27. *Cf. Lamprid. Comm. 4, 7* Paternum autem et huius caedis auctorem et (quantum uidebatur) paratae necis Commodi conscium et interuentorem, ne coniuratio latius puniretur, instigante Tigidio per lati claui honorem a praefecturae administratione summouit. *Vid. Hirschfeld Kaiserl. Verwaltungsbeamt. p. 416 sq.*

26, 9. diceretur *P*

27, 16. non *del. Mommsen* imperatorem *P*

1, 22. apud se] habuisset *Kellerbauer*

adfectans, eique nuntiatum esset ac statim probatum, ad Palatium eum rogauit [*Alexander*] eique gratias egit, quod curam rei p., quae recusantibus bonis inponeretur, sponte reciperet; deinde ad senatum processit et timentem ac tantae conscientiae tabe confectum participem imperii appellauit, in Palatium recepit, conuiuio adhibuit, ornamentis imperialibus et melioribus, quam ipse utebatur, adfecit. et cum expeditio barbarica esset nuntiata, uel ipsum si uellet ire uel ut secum proficisceretur, hortatus est. et cum ipse pedes iter faceret, illum inuitauit ad laborem, quem post quinque milia cunctantem equo sedere iussit, cumque post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento inposuit, hoc quoque seu timore seu uere respuentem, abdicantem quin etiam imperium et mori paratum dimisit commendatumque militibus, a quibus Alexander unice amabatur, tutum ad uillas suas ire praecepit, in quibus diu uixit. sed post iussu imperatoris occisus est, quod et ille militaris esset [et a militibus occisus esset]. scio uulgum hanc rem, quam contexui, Traiani putare —. contra autem
fr. 2. 3 et Septimius et Acholius et Encolpius ceterique uitae scriptores de hoc talia praedicauerunt.

SEPTIMII VITA ALEXANDRI SEVERI

1*. *Lampr. Alex. 17, 2* Addit Septimius [*Encolpio fr. 1*], qui uitam eius non mediocriter exsequutus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos iudices, qui furtorum fama laborassent, etiamsi damnati non essent, ut, si eos casu aliquo uideret, commotione animi stomachi choleram euomeret toto uultu inardescente, ita ut nihil loqui posset. nam cum quidam Septimius Arabianus, famosus crimine furtorum et sub Heliogabalo iam liberatus, inter

4. labe *Oberdick* 9. ad borem P^1 11. duos P^1 13. demisit *P* 16. et a militibus occisus est *uncis inclusi* amabatur, quod et ille mil. esset, tutum — uixit. sed post iniussu [*cum Salm.*] imp. a militibus occisus est *Maduig* sed postea cum imperator is occisus est, quod ei ille ⟨fa⟩miliaris esset, a mil. o. est *Novák Listy 1887 p. 10* 18. uitae scriptores *in P ante* ceterique *transposui, nisi omnino delendum est*

1, 20. **ptiminus *P* (septiminus *Bamb.*) 22. fertorum *P a. corr.* 24. colera P^1 uultui non ard. P^1 25. arabinus *P* arabianus ς

senatores principem salutatum uenisset, exclamauit: 'O Marna, o Iuppiter, o di inmortales, Arabianus non solum uiuit, uerum etiam in senatum uenit, fortassis etiam de me sperat! tam fatuum, tam stultum esse me iudicat?'

2*. *Lampr. Alex. 48, 7* Contra autem et Septimius et Acholius et Encolpius et q. s. = *Encolp. fr. 2 (et Achol. fr. 2).*

GARGILII MARTIALIS VITA ALEXANDRI SEVERI

1*. *Lampr. Alex. 37, 3* Vsus conuiuii diurnus [*Alexandri*] hic fuit: uini ad totum diem sextarii triginta, panis mundi pondo triginta, panis sequentis ad donandum pondo quinquaginta. nam semper de manu sua ministris conuiuii et panem et partes aut holerum aut carnis aut leguminum dabat, senili prorsus maturitate patrem familias agens. erant decreta et carnis diuersae pondo triginta, erant et gallinacei duo. addebatur anser diebus festis, kalendis autem Ianuariis et Hilariis matris deum et ludis Apollinaribus et Iouis epulo et Saturnalibus et huiusmodi festis diebus fasianus, ita ut aliquando et duo ponerentur additis gallinaceis duobus. leporem cottidie habuit, uenationem frequentem, sed eam cum amicis diuidebat et is maxime quos sciebat per se non habere. nec diuitibus quicquam talium munerum misit sed ab his semper accepit. habuit cottidie amuli sine pipere sextarios quattuor, cum pipere duo, et, ne longum sit omnia inserere, quae Gargilius eius temporis scriptor singillatim persecutus est, omnia et ad modum et ad rationem illi sunt praebita.

AELIVS SABINVS

1. *Capit. Maxim. 32, 1* Scribit Aelius Sabinus, quod praeter- 238/991
mittendum non fuit, tantam pulchritudinem oris fuisse in filio

---

1. principes *P* 2. o *ante* di *om. P*

1, 7. concubii *P* 10. conuiuiis *P* 11. prossus *P* 12. familiam *P* 13. gallinaciouo P^1 gallinae ouo *P corr.* adhibatur P^1 adibebatur *P in mg. em. Petschenig Phil. LII p. 352* 14. matriis *P* 16. additi *Petschenig l. s.* gallinaciis *P* 20. amuli] *Scaliger* et mulis *P* (*m. rec. sup.* u *scr.* l) et mulsi *Mommsen* 21. Gargilius Martialis P^3 *ed. pr.* 22. et ad rationem *scripsi* tarrationem *P*

[*Maximini*], ut etiam caput eius mortui iam nigrum, iam sordens, iam maceratum, diffluente tabo uelut umbra pulchri oris uideretur. denique cum ingens gaudium esset, quod caput Maximini uideretur, prope par maeror erat, quod et filii pariter portaretur.

VVLCATII TERENTIANI

HISTORIA SVI TEMPORIS

1. *Capit. Gord. 21, 5* Sane quod praetermittendum esse non censui, quia mirabile uisum est, lectum apud Vulcatium Terentianum, qui et ipse historiam sui temporis scripsit, in litteras misi Gordianum seniorem Augusti uultum sic repraesentasse, ut et uocem et morem et staturam eiusdem ostentare uideretur, filium uero Pompeio simillimum uisum, quamuis Pompeius obesi corporis fuisse denegetur; nepotem autem, cuius etiam nunc imagines uidemus, Scipionis Asiatici faciem rettulisse.

LOLLII VRBICI

HISTORIA SVI TEMPORIS

218/971 **1.** *Lamprid. Diad. 9, 1* Extat alia epistula ad matrem ab eodem [*Diadumeno*] destinata talis: 'Dominus noster et Augustus nec te amat nec ipsum se, qui inimicos suos seruat. age igitur, ut Arabianus et Tuscus et Gellius ad palum deligentur, ne, si occasio fuerit, non praetermittant.' Et, quantum Lollius Vrbicus in historia sui temporis dicit, istae litterae per notarium proditae illi puero multum apud milites obfuisse dicuntur. nam, cum patrem occidissent, quidam hunc seruare uoluerunt, sed extitit cubicularius, qui has epistulas contioni militum legit.

AELII IVNII CORDI VITAE

1. *Capit. Opil. 1, 3* Et Iunio quidem Cordo studium fuit eorum imperatorum uitas edere, quos obscuriores uidebat; qui

---

2. uel umbrae pulchrioris *P em. Haupt*

1, 5. Sane quidem [*sic uulg.*] — [scripsit] in litteras misit *Mommsen* (misit P^3 *ed. pr.*) 8. sic] sibi *P* 9. morem] os *Salm.* motum *Draeger* colorem *Kellerbauer* 10. obhaesi *P*

1, 16. diligenter *P* 23. imperatorem P^1

non multum profecit. nam et pauca repperit et indigna memoratu, adserens se minima quaeque persequuturum, quasi uel de Traiano aut Pio aut Marco sciendum sit, quotiens processerit, quando cibos ùariauerit et quando uestem mutauerit et quos quando promouerit. quae ille omnia exsequendo libros mythistoriis repleuit talia scribendo, cum omnino rerum uilium aut nulla scribenda sint aut nimis pauca, si tamen ex his mores possint animaduerti, qui re uera sciendi sunt, sed ex parte, ut ex ea cetera colligantur.

2. *Clod. Alb.* 5, 3 Huic [*Clodio Albino*] multa imperii signa, cum esset natus, facta dicuntur. nam et bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est. [quod mirandum fuit, cum cornibus.] quae tamen in templo Apollinis Cumani ab eodem posita iam tribuno diu fuisse dicuntur, quod, cum illi sortem de fato suo tolleret, his uersibus eidem dicitur esse responsum:

'Hic rem Romanam magno turbante tumultu
sistet eques, sternet Poenos Gallumque rebellem'.

et in Gallia quidem eum multas gentes domuisse constat. ipse autem suspicabatur de Seuero sibi praedictum 'sternet Poenos', quod Septimius Afer esset. fuit et aliud signum futuri imperii. nam cum Caesareana familia hoc speciale habuerit, ut paruuli domus eius in testudineis alueis lauarentur, nato infantulo testudo ingens patri eius munere piscatoris adlata est: quod ille homo litteratus omen accipiens et testudinem libenter accepit et eam curari iussit atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitandum etiam hinc sperans. cum rarum esset aquilas in his locis uideri, in quibus natus est Albinus, septima eius die hora conuiuii, quod celebritati pueri deputabatur, cum ei fierent nomina, septem aquilae paruulae de nidis adlatae sunt et quasi ad iocum circa cunas pueri constitutae: nec hoc omen pater abnuit, iussit aquilas ali et diligenter curari. accessit omen, quod, cum pueri eius familiae russulis fasciolis inligarentur, quod forte

2. adseren P^1

2, 12. quod — cornibus *uncis inclusi* 14. illi *(i e. illic) scripsi* illis *P* 15. facto *P* 17. tumultus steteque sternet P^1 21. septimus P^1 23. testudine albeis *P* testudine [alueis] *Mommsen* 26. cauari *Cornelissen* 27. etiam] *fort.* èum 28. diei *P em. Casaub.* 29. conuiuii — deputabatur *del. Mommsen* eis *P* 31. ne *P* 33. fassiolis *P*

lotae atque udae essent russulae fasciolae, quas mater praegnans parauerat, purpurea matris fascea inligatus est: unde illi ioco nutricis etiam Porfyri nomen inditum est.

Haec atque alia signa imperii futuri fuere. quae qui uolet nosse, Helium Cordum legat, qui friuola super huiusmodi ominibus cuncta persequitur.

194/947 **3.** *Clod. Alb.* 7, 2 Victo Pescennio, cum et filiis suis imperium seruare cuperet et ingentem senatus amorem circa Clodium Albinum uideret [*Seuerus*], quod esset uir antiquae familiae, litteras ad eum per quosdam summi amoris ac summae adfectionis misit, quibus hortabatur, ut, quoniam occisus esset Pescennius Niger, ipse cum eo fideliter rem p. regeret. quarum exemplum hoc esse Cordus ostendit: 'Imperator Seuerus Augustus Clodio Albino Caesari, fratri amantissimo et desiderantissimo salutem. Victo Pescennio litteras Romam dedimus, quas senatus tui amantissimus libenter accepit. te quaeso, ut eo animo rem p. regas, quo dilectus es frater animi mei, frater imperii. Bassianus et Geta te salutant. Iulia nostra et te et sororem salutat. infantulo tuo Pescennio Princo munera digna suo loco tuoque mittemus. tu uelim exercitus rei p. ac nobis retentes, mi unanime, mi carissime, mi amantissime'.

4. *Clod.* 11, 2 Gulosum eum [*Clodium*] Cordus, qui talia persequitur in suis uoluminibus, fuisse dicit, et ita quidem ut pomorum tantum hauserit, quantum ratio humana non patitur. nam et quingentas ficus passarias, quas Graeci callistruthias uocant, ieiunum comedisse dicit et centum persica Campana et melones Ostienses decem et uuarum Labicanarum pondo uiginti et ficedulas centum et ostrea quadringenta. uini sane parcum
fr. 6 fuisse dicit, quod Seuerus negat.

3. *Cf. c.* 1, 3 Fuit autem Clodius Albinus familia nobili, Hadrumetinus tamen ex Africa. 4, 1 Fuit, ut dixi, Albinus Hadrumetinus oriundo sed nobilis apud suos et originem a Romanis familiis trahens, Postumiorum scilicet et Albinorum et Ceioniorum. — *De fictione epistulae uide Die Script. h. A. p. 205 sqq.*

2. inlitus P^1 5. hominibus *P*

3, 17. delectus *Mommsen* 19. Primo *Jordan* perempto *Golisch*

4, 22. gylosum P^1 24. auxerit *P* oratio P^1 25. passerarias *Marc. Donatus* 27. lauicanarum *P*

5. *Max. 12, 5* Victa igitur Germania litteras [*Maximinus maior*] Romam ad senatum et populum misit se dictante conscriptas, quarum sententia haec fuit: 'Non possumus tantum, patres conscripti, loqui quantum fecimus. per quadraginta *uel* quinquaginta milia Germanorum uicos incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus. peruenissemus ad siluas, nisi altitudo paludium nos transire non permisisset.' Aelius Cordus dicit hanc omnino ipsius orationem fuisse: credibile est. 236/989

6. *Gord. 14, 6* Denique [*Maximinus senior audito Gordianorum imperio*] statim ad filium scripsit, qui longe post sequebatur, ut adceleraret, ne quid contra eum se absente milites cogitarent. litterarum exemplum tale Iunius Cordus edidit: 'Refert ad te stipator meus Tynchanius quae gesta cognoui uel in Africa uel Romae, refert, quae sint militum mentes. quaeso, quantum potes, properes, ne quid, ut solet, militaris turba plus faciat. quid uerear, ex eo audies quem ad te misi.' 238/991

7. *Maxim. 30, 1* Omina sane imperii [*Maximino*] haec fuerunt: serpens dormienti caput circumdedit. posita ab eodem uitis intra annum ingentes uuas purpureas attulit et mirae magnitudinis facta est. scutum eius sub sole arsit. lanceola sic fissa est fulmine, ut tota etiam per ferrum finderetur et duas partes faceret. quando dixerunt haruspices duos imperatores non diuturnos ex una domo isdem nominibus futuros. lorica patris eius non, ut solet, ferrugine sed tota purpureo colore infecta a pluribus uisa est. filio autem haec fuerunt: cum grammatico daretur, quaedam parens sua libros Homericos omnes purpureos dedit

5. *Antecedit haec narratio (12, 1):* Ingressus igitur Germaniam Transrenanam per triginta uel quadraginta milia barbarici soli uicos *incendit*, greges abegit, praedas sustulit, barbarorum plurimos interemit, militem diuitem reduxit, cepit innumeros et, nisi Germani a campis ad paludes et siluas confugissent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegisset. ipse praeterea manu sua multa faciebat, cum etiam paludem ingressus circumuentus esset a Germanis, nisi eum sui equo inhaerente liberassent. habuit enim hoc barbaricae temeritatis, ut putaret imperatorem manu etiam sua semper *uti* debere. denique quasi nauale quoddam proelium in palude fecit plurimosque illic interemit. *Vide de Iunii Cordi documentis Die Script. h. A. p. 205 sqq.*

5, 4 uel *addidi, nisi* quinquaginta *cum cd. pr. omnino delendum est* 7. silua P^1
6, 14. thyncanius *P em. Salm.* 15. roma *P*

aureis litteris scriptos. ipse puerulus cum ad cenam ab Alexandro esset rogatus in patris honorem, quod ei deesset uestis cenatoria, ipsius Alexandri accepit. cum infans esset, subito per publicum ueniente uehiculo Antonini Caracalli, quod uacuum erat, conscendit et sedit et uix aegreque a mulionibus carrucariis deturbatus est. nec defuerunt, qui cauendum infantem dicerent Caracallo. tum ille dixit: 'Longe est, ut mihi iste succedat.' erat enim illo 238/991 tempore inter ignobiles et nimis paruus. *(c. 31)* Mortis omina haec fuerunt: uenienti contra Maximum et Balbinum Maximino cum filio mulier quaedam passis crinibus occurrit lugubri habitu et exclamauit: 'Maximini, Maximini, Maximini', neque quicquam amplius dixit et mortua est. uidebatur enim dicere uoluisse 'Succurrite'. canes circa tentorium eius in secunda mansione ultra duodecim ulularunt et animam quasi flendo posuerunt ac prima luce mortui sunt deprehensi. lupi [urbem] quingenti simul ingressi sunt in eam urbem, in qua se Maximinus contulerat; plerique dicunt Hemonam, alii Archimeam, certe quae deserta a ciuibus uenienti Maximino patuit. longum est omnia persequi, quae qui scire desiderat, is uelim, ut saepe dixi, legat Cordum, qui haec omnia usque ad fabellam scripsit.

8. *Maxim. 4, 1* Bibisse autem illum [*Maximinum*] saepe in die uini Capitolinam amforam constat, comedisse et quadraginta libras carnis, ut autem Cordus dicit, etiam sexaginta. quod satis constat, holeribus semper abstinuit, a frigidis prope semper, nisi cum illi potandi necessitas. sudores saepe suos excipiebat et in calices uel in uasculum mittebat, ita ut duos uel tres sextarios sui sudoris ostenderit.

9. *Maxim. 6, 8* Erat praeterea [*Maximinus*], ut refert Cordus, magnitudine tanta, ut octo pedes digitis sex diceretur egressus, pollice ita uasto ut uxoris dextrocherio uteretur pro anulo. iam illa prope in uulgi ore sunt posita, quod amaxas manibus adtraheret, raedam onustam solus moueret, equo, si pugnum dedisset, dentes solueret, si calcem, crura frangeret, lapides toficios friaret, arbores teneriores scinderet, alii denique eum Crotoniaten Milonem, alii Herculem, Antaeum alii uocarent.

---

8. omnia *P* 11. Maximinis *omini* (*propter* succurrite) *aptius* 15. urbem *uncis inclusi*

9, 29. digito uideretur *P em. Casaub.* 33. friaret] t *sup.* i *adscr.* *P*[2] 35. antheum *P*

10. *Max. 28, 8* Et quoniam ad Maximinum seniorem reuertimur, res iucunda praetereunda non est: nam cum esset Maximinus pedum, ut diximus, octo et prope semis, calciamentum fr. 8 eius, id est campagum regium, quidam in luco, qui est *inter* Aquileiam et Arciam, posuerunt, quod constitit pede maius fuisse hominis uestigio mensura. unde etiam uulgo tractum est, cum de longis et ineptis hominibus diceretur 'caliga Maximini'. quod idcirco indidi, ne quis, *si* Cordum legeret, me praetermisisse crederet aliquid, quod ad patrem pertineret.

11. *Max. 29, 10* Haec sunt quae de puero [*Maximino*] sciri et dici decuit. reliqua qui uolet nosse de rebus ueneriis et amatoriis, quibus eum Cordus aspergit, eundem legat.

12. *Max. 27, 6* Desponsa illi [*Maximino iuniori*] erat Iunia Fadilla, proneptis Antonini. — manserunt autem apud eam arrae regiae, quae tales (ut Iunius Cordus loquitur, harum rerum persecutor) ei fuisse dicuntur: monolinum de albis nouem, reticulum *cum* prasinis undecim, dextrocherium cum copula de hyacinthis quattuor praeter uestes auratas et omnes regias ceteraque insignia sponsaliorum.

13. *Gord. 17, 3* Sed ego Iunium Cordum sequor, qui dicit ex omnibus his familiis [*Scipionis, Pompei, Antoninorum, Antonii*] Gordianorum coaluisse nobilitatem.

14. *Gord. 4, 6* Cordus dicit in omnibus ciuitatibus Campaniae, Etruriae, Vmbriae, Flaminiae, Piceni de proprio illum [*Gordianum primum nondum imperatorem*] per quadriduum ludos scaenicos et iuuenalia edidisse.

15. *Gord. 5, 5* Amatus est ab Afris [*Gordianus primus pro consule*] ita ut nemo antea proconsulum, ita ut eum alii Scipionem, Catonem alii, multi Mucium ac Rutilium aut Laelium dicerent. extat eorum adclamatio, quae a Iunio in litteras relata 280/983

10, 1. maximas *P* Maximinum seniorem *em. Salm.* 2. praetereundum *P em. Salm.* 4. inter *om. P* 5. pedem *P* 6. mensura *fort. del.* 8. si *add. Petschenig* 9. patrem *Kellerbauer* rem *P*

11, 11. didici *P*

12, 14. antoni *P* ea *P* 15. persecutores *P* persecutor, ei *Novák Listy 1884 p. 201* 16. monolium *P em. Cas.* 17. cum *add.* ς yachinctis *P*

14, 24. ętruria et *P*[1] etruriae et *P em.* flaminae *P*[1]

15, 28. cum aliis *P*

est. nam cum quadam die factum imperatorium legeret atque a proconsulibus Scipionibus coepisset, adclamatum est: 'Nouo Scipioni, uero Scipioni, Gordiano proconsuli.'

238/991 **16.** *Gord. 11, 1* Interest, ut senatus consultum, *quo* Gordiani imperatores appellati sunt et Maximinus hostis, litteris propagetur: Non legitimo sed indicto senatus die consul iam domi conuentus cum praetoribus, aedilibus et tribunis plebis uenit in curiam. praefectus urbi, cui nescio quid redoluerat et qui publicas litteras non acceperat, a conuentu se abstinuit. sed profuit, nam consul ante solitas adclamationes, priusquam aliquid in Maximinum feliciter diceretur, ait: 'Patres conscripti, Gordiani duo, pater et filius, ambo ex consulibus, unus uester pro consule, alter uester legatus, magno Afrorum consilio imperatores sunt appellati. gratias igitur agamus Thysdritanae iuuentuti, gratias Carthaginiensi populo semper deuoto: ab inmani nos belua, ab illa fera uindicauerunt. quid timide auditis? quid circumspicitis? quid cunctamini? hoc est quod semper optastis. hostis est Maximinus: di facient, ut esse iam desinat, et Gordiani senis felicitatem atque prudentiam, iuuenis uirtutem atque constantiam laeti experiamur.' Post haec litteras legit Gordianorum ad senatum et ad se missas. tunc adclamauit senatus: 'Di uobis gratias. liberati ab hostibus sumus: si penitus liberemur. Maximinum hostem omnes iudicamus. Maximinum cum filio dis inferis deuouemus. Gordianos Augustos appellamus. Gordianos principes agnoscimus. imperatores de senatu di conseruent, imperatores nobiles uictores uideamus, imperatores nostros Roma uideat. hostes publicos qui occiderit, praemium meretur.' Dicit Iunius Cordus istud senatus consultum fuisse tacitum, quod quale sit aut quare sic appellatum, breui exponam et q. s.

17. *Gord. 19, 8* Cordus dicit uxorem eum [*Gordianum iuniorem*] numquam habere uoluisse.

18. *Gord. 21, 3* Haec de Gordiano iuniore digna memoratus comperimus: non enim nobis talia dicenda sunt, quae Iunius

---

2. spione P^1 scipione P^2

16. 4. quo *om.* *P* cum *Petschenig* 5. propagentur *P* 12. consubus *P* (*prius* u *in ras.* consib *Bamb.*) 14. tydritanae *P a. c.* 18. gordiani s P^1 enis *add.* P^2 21. clamauit *P* 22. si *P* sic *Mommsen* 23. deuocemus *P* 27. istud ς istutt P^3 *in ras.* 28. tacitum *add.* P^3 ς **18,** 33. dicentes unoque *P*

Cordus ridicule ac stulte composuit de uoluptatibus domesticis ceterisque infimis rebus. quae qui uelit scire, ipsum legat Cordum, qui dicit, et quos seruos habuerit unusquisque principum et quos amicos et quot paenulas quotue clamydes, quorum etiam scientia nulli rei prodest, si quidem ea debeant in historia poni ab historiografis, quae aut fugienda sint aut sequenda.

19. *Max. et Balb. 4, 1* Prima igitur relatio principum fuit, 238/991
ut duo Gordiani diui appellarentur. aliqui autem unum putant appellatum, seniorem uidelicet, sed ego libris, quos Iunius Cordus affatim scripsit, legisse memini ambos in deos relatos, si quidem senior laqueo uitam finiuit, iunior autem in bello consumptus est, qui utique maiorem meretur reuerentiam, quod eum bellum rapuit.

20. *Gord. 22, 2* Tunc populus et milites Gordianum [*tertium*] 238/991
paruulum annos agentem, ut plerique adserunt, undecim, ut nonnulli, tredecim, ut Iunius Cordus dicit, sedecim, nam uicensimo et secundo anno eum perisse adserit, petiuerunt, ut Caesar appellaretur, raptusque ad senatum atque inde in contione positus indumento imperatorio tectus Caesar est nuncupatus.

21. *Max. et Balb. 12, 3* Ipse autem Maximus Aquileiam 238/991
idcirco accesserat, ut omnia tuta et integra usque ad Alpes relinqueret ac, si quae essent barbarorum, qui Maximino fauerant, reliquiae, compesceret. missi sunt denique ad eum legati senatores uiginti, quorum nomina sunt apud Cordum (in his consulares quattuor, praetorii octo, *octo* quaestorii) cum coronis et senatus consulto, in quo ei statuae auratae equestres decernebantur.

22. *Gord. 26, 1* Fuit terrae motus eo usque grauis imperante 241/994
Gordiano [*tertio*], ut ciuitatis etiam terrae hiatu cum populis deperirent, ob quae sacrificia per totam urbem totumque orbem terrarum ingentia celebrata sunt. et Cordus quidem dicit inspectis libris Sibyllinis celebratisque omnibus, quae illic iussa uidebantur, mundanum malum esse sedatum.

---

19. *Cf. Gord. 16, 4* Hic exitus duorum Gordianorum fuit, quos ambos senatus Augustos appellauit et postea inter diuos rettulit.

---

4. quotue] quod uel *P* etiam] tamen *Baehrens*

19, 7. principum] primum *P* 12. ueretur *P* bella *P* bellum *scripsi* Bellona *Kellerbauer*

21, 19. maximinus *P* 24. octo** *P* (octoso *Bamb.*) octo, octo *scripsi* 25. consultum *P*

23. *Gord. 31, 5* Amatus est [*Gordianus tertius*] a populo et senatu et militibus ante Philippi factionem, ita ut nemo principum. Cordus dicit omnes milites eum filium appellasse, ab omni senatu filium dictum, omnem populum delicias suas Gordianum dixisse.

24. *Gord. 33, 4* Quod de C. Caesare memoriae traditum est, hoc etiam de Gordiano [*tertio*] Cordus euenisse perscribit. nam omnes quicunque illum gladio adpetiuerunt (qui nouem fuisse dicuntur), postea interemptis a Philippis sua manu suisque gladiis et isdem, quibus illum percusserant, interisse dicuntur.

AEMILII PARTHENIANI

VITAE ADFECTATORVM TYRANNIDIS

1. *Vulc. Gall. Auid. Cass. 5, 1* De hoc [*Auidio Cassio*] multa grauia contra militum licentiam facta inueniuntur apud Aemilium Parthenianum, qui adfectatores tyrannidis iam inde a ueteribus historiae tradidit. nam et uirgis caesos in foro et in mediis castris securi percussit, qui ita meruerunt, et manus multis amputauit. et praeter laridum ac buccellatum atque acetum militem in expeditione portare prohibuit et, si aliud quippiam repperit, luxuriem non leui supplicio adfecit.

ACHOLII VITA ALEXANDRI SEVERI

1*. *Lamprid. Alex. 64, 4* Scio sane plerosque negare hunc a senatu Caesarem appellatum esse sed a militibus, qui uerum prorsus ignorant; dicere praeterea non hunc fuisse consobrinum Heliogabali. qui ut nos sequantur, historicos eius temporis legant et maxime Acholium, qui et interiora huius principis scripsit.

---

1. *Alexandrum Caesarem a senatu esse dictum memoratur in uitis Opilii 4, 1. Heliog. 5, 1. 10, 1. Alex. 1, 2. 2, 4, fuisse Heliogabali consobrinum in uitis Heliog. 10, 1. Alex. 1, 2. 5, 4.*

24, 9. interempti sunt a Philippis aut se sua m. — interemisse dic. *Maduig* 10. interemisse *P*

1, 13. a ueteribus ⟨temporibus⟩ *Klein* 14 cesis *P*

1, 21. ignorat *P a. c.* 23. interiora *scripsi* itinera *P*

2*. *Lamprid. Alex. 48, 6* Scio uulgum hanc rem, quam contexui [*de Ouinio Camillo*], Traiani putare —. contra autem fr. 2 et Septimius et Acholius et Encolpius ceterique uitae scriptores fr. 2 de hoc talia praedicauerunt.

3*. *Lamprid. Alex. 14, 6* Rerum memoria [*in Alexandro*] singularis, quam mnemonico Acholius ferebat adiutam.

ACTA

4. *Vopisc. Aurel. 12, 3* Et quoniam etiam de adrogatione eius [*Aureliani*] aliqua me dixeram positurum, quae ad tantum principem pertinerent, quaeso ne odiosior uerbosiorue in ea re uidear, quam fidei causa inserendam credidi ex libris Acholi, qui magister admissionum Valeriani principis fuit, libro actorum eius nono: Cum consedisset Valerianus Augustus in thermis apud By- 258/1011 zantium, praesente exercitu, praesente etiam officio Palatino, adsidentibus Memmio Tusco consule ordinario, Baebio Macro praefecto praetorii, Quinto Ancario praeside Orientis, adsidentibus etiam a parte laeua Auulnio Saturnino Scythici limitis duce et Murrentio Mauricio ad Aegyptum destinato, Iulio Tryphone orientalis limitis duce et Maecio Brundisino praefecto annonae orientis et Vlpio Crinito duce Illyriciani limitis et Thracici et Fuluio Boio duce Retici limitis Valerianus Augustus dixit: 'Gratias tibi agit, Aureliane, res p., quod eam a Gothorum potestate liberasti. abundamus per te praeda, abundamus gloria et his omnibus, quibus Romana felicitas crescit. cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas murales quattuor, coronas uallares quinque, coronas nauales duas, coronas ciuicas duas, hastas puras decem, uexilla bicolora quattuor, tunicas russas ducales quattuor, pallia proconsularia duo, togam praetextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eburatam. nam te consulem hodie designo, scripturus ad senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces; haec enim imperator non solet dare sed a senatu, quando fit consul, accipere.' *(c. 14)* Post haec Valeriani dicta Aurelianus surrexit atque ad manus accessit agens gratias mili-

---

2. *Vid. Encolp. fr. 2 p. 129.*

3, 6. nemonico *P em. Obrecht.*

4, 10. acoli *P* 14. nemmio *P* Tusco *scripsi* fusco *P* 18. ulpicio *P* 20. gratia *P a. c.* 30. haec — accipere *a Vopisco explicandi causa addita esse Casaub. opinatur*

taribus uerbis, quae propria et ipsa adponenda decreui. Aurelianus dixit: 'Et ego, domine Valeriane, imperator Auguste, ideo cuncta feci, ideo uulnera patienter excepi, ideo et equos et coniuratos meos lassaui ut mihi gratias ageret res p. et conscientia mea. at tu plus fecisti. ago ergo gratias bonitati tuae et accipio consulatum, quem das. deus faciat et deus certus, ut et senatus de me sic iudicet.' agentibus igitur gratias omnibus circumstantibus Vlpius Crinitus surrexit atque hac oratione usus est: 'Apud maiores nostros, Valeriane Auguste, quod et familiae meae amicum ac proprium fuit, ab optimis quibusque in filiorum locum fortissimi uiri semper electi sunt, ut uel senescentes familias uel fetus matrimoniis iam caducos substitutae fecunditas prolis ornaret. hoc igitur, quod Cocceius Nerua in Traiano adoptando, quod Vlpius Traianus in Hadriano, quod Hadrianus in Antonino et ceteri deinceps proposita suggestione fecerunt, in adrogando Aureliano, quem mihi uicarium iudicii tui auctoritate fecisti, censui esse referendum. iube igitur, ut lege agatur, sitque Aurelianus heres sacrorum nominis et bonorum totiusque iuris Vlpio Crinito iam consulari uiro ipse actutum te iudice consularis.' longum est cuncta pertexere. nam et actae sunt Crinito a Valeriano gratiae et adoptio, ut solebat, impleta.

ΑΣΙΝΙΟΥ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ

ΧΙΛΙΕΤΗΡΙΣ

1. EX LIBRO II *Steph. Byz. s. u. p. 97 Mein.* Ἄνθιον, πόλις Ἰταλίας. Κουάδρατος ἐν δευτέρᾳ Ῥωμαϊκῆς χιλιάδος. ὁ πολίτης Ἀνθιανός, ὡς αὐτός.

2. EX LIBRO V *Steph. Byz. ap. Constant. Porph. de admin. imp. c. 23 p. 109 ed. Bonn. p. 325* Παρὰ Κουαδράτῳ ἐν Ῥωμαϊκῆς χιλιάδος ε' ἐστὶν Ἰβήροισιν οὕτως· 'Καί τοι Αἰγυσί θ' ἅμα καὶ Ἰβήροισι πολεμέοντες.'

1. *Cf. s. u.* Ἄνθεια *p. 96* ἔστι καὶ Ἰταλίας Ῥώμης πλησίον, ἥ τις καὶ Ἄντιον μετωνομάσθη, ὡς εἰρήσεται.

3. cantherios *uulg.* 5. ego *P* 7. gratias *om.* *P*[1]
17. repetendum *Petschenig*

3. EX LIBRO XII *Steph. Byz. s. u. p. 307* Θαψίπολις, πλησίον Καρχηδόνος. τὸ ἐθνικὸν Θαψιπολίτης. Κουάδρατος δωδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ⟨χιλιάδος⟩.

4. EX LIBRO XIIII *Steph. Byz. s. u. p. 493* Ὀξύβιοι, μοῖρα Λιγύων. Κουάδρατος τεσσαρεσκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς χιλιαρχίας.

5. EX LIBRIS INCERTIS *Steph. Byz. s. u. p. 205* Γερούνιον, πόλις Ἰταλίας. Κουάδρατος δὲ Γερυνίαν ταύτην καλεῖ. τὸ ἐθνικὸν Γερουνῖνος.

6. *Steph. Byz. s. u. p. 216* Δάλμιον, πόλις Δαλματίας μεταξὺ Ἰλλυρίας καὶ Ἰταλίας. — Ἀππιανὸς δὲ τὴν πόλιν Δελμίνιον καλεῖ, Κουάδρατος δὲ Δέλμινον. φασὶ δὲ αὐτοὺς καὶ Δαλμάτας.

7. *Steph. Byz. s. u. p. 521* Πήλιον. — ἔστι δὲ καὶ Πήλιον Ἰλλυρίας πόλις, ἧς μέμνηται Κουάδρατος. τὸ ἐθνικὸν Πηλῖνος.

8*. *Xiphil. LXX 3* Κουαδρᾶτος δὲ γηραιὸν μέν φησιν 161/914 αὐτὸν [*Antoninum Pium*] τελευτῆσαι, τὴν δὲ τελευτὴν ἡδίστην αὐτῷ κατ' ἴσον ὕπνῳ τῷ μαλακωτάτῳ γενέσθαι.

9*. *Zosim. V 27, 1* Ἐν δὲ τῇ Ῥαβέννῃ (μητρόπολις δὲ Φλαμινίας, πόλις ἀρχαία, Θετταλῶν ἀποικία, Ῥήνη κληθεῖσα διὰ τὸ πανταχόθεν ὕδασι περιρρεῖσθαι, καὶ οὐχ, ὡς Ὀλυμπιόδωρος ὁ Θηβαῖός φησι, διὰ τὸ Ῥῶμον, ὃς ἀδελφὸς γέγονε Ῥωμύλῳ, τῆς πόλεως ταύτης οἰκιστὴν γεγονέναι· Κουαδράτῳ γάρ, οἶμαι, θετέον ἐν τῇ κατὰ τὸν βασιλέα Μάρκον ἱστορίᾳ τοῦτο περὶ τῆς πόλεως ταύτης διεξελθόντι) ἐν τῇ Ῥαβέννῃ τοίνυν κτλ.

---

8. *Cf. Capit. Pius 12, 5* Tertia die, cum se grauari uideret, Marco Antonino rem publicam et filiam praesentibus praefectis commendauit Fortunamque auream, quae in cubiculo principum poni solebat, transferri ad eum iussit, signum tum tribuno aequanimitatis dedit atque ita conuersus quasi dormiret, spiritum reddidit apud Lorium.

9 *potest etiam ex Parthicis sumptum esse.*

3, 3. Ῥωμαικῆς *R(ehdig.)* χιλιάδος *add. Meineke* Ῥωμαικῶν *A(ld.) V(oss.)* *Thapsum, quam urbem Stephanus postea tractat, dici Berkelius censet* 4, 5. Λιβύων *V*

5, 7. Γερυνίαν *Palatini Perusinus V* Γερηνίαν *A R*

6, 11. Δέλμινον *R (= C. I. L. III 3202 p. 407)* Δάλμινον *V* Δάλμιον *A (= Strabo VII p. 315). cf. Eustath. ad Dion. Per. 95* ἡ δὲ πόλις αὐτῶν Δάλμιον ἢ Δελμίνιον ἢ Δέλμινον.

7, 14. πόλεως *A* Πηληνός. *libri*

9, 19. ῥύνη *cod. em. Sylburg.* 22. κουαδράτω *cod.* 23. οιμεθετέον *cod. em. Hemsterhusius*

10*. *Agath. I 6 p. 26 Bonn.* Οἱ δὲ Ἀλαμανοί, εἴγε χρὴ Ἀσιννίῳ Κουαδράτῳ ἕπεσθαι, ἀνδρὶ Ἰταλιώτῃ καὶ τὰ Γερμανικὰ ἐς τὸ ἀκριβὲς ἀναγεγραμμένῳ, ξύγκλυδές εἰσιν ἄνθρωποι καὶ μιγάδες, καὶ τοῦτο δύναται αὐτοῖς ἡ ἐπωνυμία.

ΠΑΡΘΙΚΑ

11. EX LIBRO I *Steph. Byz. s. u. p. 207 Mein.* Γηλύς, ἔθνος ⟨Παρθίας⟩, οὗ μέμνηται Ἀσίνιος Κουάδρατος ἐν πρώτῳ Παρθικῶν.

12. *Steph. Byz. s. u. p. 437* Μαυρούσιοι καὶ Μαῦροι, ἔθνος μέγα Λιβύης, ὡς Κουάδρατος ἐν πρώτῳ Παρθικῶν.

13. EX LIBRO II *Steph. Byz. s. u. p. 298* Ζωβίδαι, ἔθνος πλησίον Καρμανίας. Κουάδρατος ἐν Παρθικῶν δευτέρῳ.

14. EX LIBRO III *Steph. Byz. s. u. p. 205* Γερμανίκεια, πόλις Εὐφρατησίας. Κουάδρατος ἐν τρίτῃ Παρθικῶν χωρίον αὐτήν φησιν. ὁ πολίτης Γερμανικεύς.

15. *Steph. Byz. s. u.* Ταρσός *p. 606* Καὶ Τάρσα κώμη ἐπὶ τῷ Εὐφράτῃ, ὡς Κουάδρατος ἐν τρίτῳ Παρθικῶν· 'Ἀπὸ δὲ Σαμοσάτων κατὰ ῥοῦν ἰόντι ὅσον σταδίους ἑκατὸν πεντήκοντα Τάρσα κώμη πολυάνθρωπος ᾤκεῖτο ἄνω τοῦ ποταμοῦ σταδίους πεντεκαίδεκα.' τὸ ἐθνικὸν Ταρσηνός.

16. *Steph. Byz. s. u. p. 713* Ὠτηνή, μοῖρα Ἀρμενίας. Κουάδρατος ἐν Παρθικῶν τρίτῳ· 'Ὁ δὲ τῆς Ἀρμενίας βασιλεὺς Πάκορος ἐν τούτῳ περὶ Ἀρτάξατα καὶ τὴν Ὠτηνὴν τῆς Ἀρμενίας διάγων.'

17. EX LIBRO IIII *Steph. Byz. s. u. p. 670* Φράασπα, Μηδίας πόλις. Κουάδρατος Παρθικῶν τετάρτῳ.

---

10. *Fortasse ex proprio libro Germanicorum, uid. s. p. CLXXXXVII.*
12. *Cf. Strabo XVII 3, 2 p. 825* Οἰκοῦσι δ' ἐνταῦθα Μαυρούσιοι μὲν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λεγόμενοι, Μαῦροι δ' ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων καὶ τῶν ἐπιχωρίων, Λιβυκὸν ἔθνος μέγα καὶ εὔδαιμον.
16. *Multi in oriente fuerunt Pacori, forsitan hic fuerit is, qui a. 163 Artaxatis captis a Statio Prisco uictus est, uid. E. Napp De rebus imp. M. Aurelio in oriente gestis Diss. Bonn. p. 22 sqq.*
17. *Cf. p. 533 s. u.* Πράασπα, πόλις τῆς Ἀτροπατηνῆς. τὸ ἐθνικὸν Πραασπηνός.

10, 3. ξυνήλυδές *L. Dindorf*
11, 6. Παρθίας *add. Meineke* Ἀσσίνιος *R* Ἀσσίννιος *AV cf. Dion. Per. 1019* **13,** 11. παρθενικῶν *RV*
15, 17. Σαμοσσατῶν *R* Σαμοσατῶν *AV* καὶ ταροῦ *R*
16, 22. Ἀρτάξαντα *AV* **17,** 24. Μηδείας *V*

18. EX LIBRO VI *Steph. Byz. s. u. p. 705* Ὠβαρηνοί, μέρος Ἀρμενίας παρακείμενον Κύρῳ ποταμῷ, ὅστις Εὐφράτῃ παραλλήλως ἔχει. μέμνηται δ' αὐτῶν καὶ Κουάδρατος ἐν ἕκτῳ Παρθικῶν: 'Παρὰ δὲ Κύρῳ ποταμῷ Ὠβαρηνοί τε καὶ Ὠτηνοὶ νέμονται, μέγα μέρος Ἀρμενίας ὄντες.'

19. EX LIBRO VII *Steph. Byz. s. u. p. 308* Θελαμοῦζα, φρούριον τῆς παρ' Εὐφράτην Ἀραβίας, ὡς Κουάδρατος ἐν Παρθικῶν ἑβδόμῃ. τὸ ἐθνικὸν Θελαμουζαῖος.

20. EX LIBRO VIII *Steph. Byz. s. u. p. 194* Γάζακα, πόλις μεγίστη τῆς Μηδίας, ὡς Κουάδρατος ἐν ὀγδόῳ Παρθικῶν.

21. *Steph. Byz. s. u. p. 437* Μασχάνη, πόλις πρὸς τῶν Σκηνιτῶν Ἀράβων. Κουάδρατος ὀγδόῳ Παρθικῶν. τὸ ἐθνικὸν Μασχανεύς.

22. EX LIBRO IX *Steph. Byz. s. u. p. 581* Σόλυμα, πόλις Ἀσσυρίων, μετὰ τὴν ἅλωσιν τοῦ ναοῦ τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις κτισθεῖσα, ὡς Κουάδρατος ἐνάτῳ Παρθικῶν. τὸ ἐθνικὸν Σολυμηνός.

23. *Steph. Byz. s. u. p. 593* Συρβανή, νῆσος ἐν τῷ Εὐφράτῃ, ὡς Κουάδρατος ἐνάτῳ Παρθικῶν. τὸ ἐθνικὸν Συρβανηνός.

24. *Steph. Byz. s. u. p. 623* Τιγρανόκερτα, οὐδετέρως, πόλις πρὸς Ἀρμενίαν, ἀπὸ Τιγράνου βασιλέως Ἀρμενίας. Κουάδρατος ἐνάτῳ· 'Καὶ ᾤκησε τὰ Τιγρανόκερτα· τὸ δ' ἐστὶ τῇ Παρθυαίων φωνῇ Τιγρανούπολις.' τὸ ἐθνικὸν Τιγρανοκέρται.

25. EX LIBRIS INCERTIS *Steph. Byz. s. u. p. 172* Βόγχαι, ἔθνος τοῖς Καρρηνοῖς προσκείμενον, μέσον Εὐφράτου καὶ Κύρου ποταμοῦ, ὡς Κουάδρατος.

---

18. *Idem fr. (continuans fr. 16) s. u.* Ὠτηνή *p. 713* τὸ ἐθνικὸν ὁ αὐτὸς ἐν τῷ δευτέρῳ· Περὶ δὲ Κῦρον ποταμὸν κτλ.

18, 4. Ὠβαρυνῖται καὶ *R* Ὠβαρνῖται καὶ *V* Ὠβαρηνῖται *A em. Holsten*   Ὠγηνοὶ *libri em. Xylander*
19, 8. παρθενικῶν *RV*
20, 9. Γαζακαι *V*   10. παρθενικῶν *Perus.* παρθενιῶν *Palat.*
21, 11. πρὸς *del. Meineke*   12. Παρθενικῶν *RV*
24, 21. πόλις οὐδετέρως *libri*   23. ᾤκισε *Meineke*
25, 26. Βόγχναι *Xylander*   27. παρακείμενον *AV*
28. Κάρρα *Bochartus*

26. *Steph. Byz. s. u. p. 208* *Γίνδαρα, κώμη πρὸς τῇ Ἀντιοχείᾳ. τὸ ἐθνικὸν Γινδαρεύς. Κουάδρατος δὲ Γινδάρους ἔφη.*

27. *Steph. Byz. s. u. p. 446* *Μέση τῶν ποταμῶν, χώρα μεταξὺ Εὐφράτου καὶ Τίγριδος· καὶ Ἀδιαβηνὴ ἐκαλεῖτο, ὡς ἱστορεῖ Κουάδρατος.*

28. *Steph. Byz. s. u. Μεσσήνη p. 447* *Ἔστι — καὶ χώρα Περσίδος Μεσηνὴ δι' ἑνὸς σ, ὑπὸ τῶν δύο ποταμῶν Εὐφράτου καὶ Τίγριδος μεσαζομένη, ὡς Ἀσίνιος Κουάδρατός φησιν.*

29. *Steph. Byz. s. u. p. 602* *Τάπυρροι, οὐ πόρρω Ὑρκανίας ἔθνος. Κουάδρατος Τάπουρρά φησιν. τὸ ἐθνικὸν Ταπουρραῖοι.*

166/919 **30.** *Capit. Ver. 8, 1* Fuit [*L. Verus*] eius fati, ut in eas prouincias, per quas redit [*e Syria*], Romam usque luem secum deferre uideretur. et nata fertur pestilentia in Babylonia, ubi de templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, spiritus pestilens euasit, atque inde Parthos orbemque complesse. sed hoc non Lucii Veri uitio sed Cassi, a quo contra fidem Seleucia, quae ut amicos milites nostros receperat, expugnata est. quod quidem inter ceteros etiam Quadratus belli Parthici scriptor incusatis Seleucenis, qui fidem primi ruperant, purgat.

31*. *Vulc. Gall. Auid. Cass. 1, 1* Auidius Cassius, ut quidam uolunt, ex familia Cassiorum fuisse dicitur, per matrem homine nouo genitus Auidio Seuero, qui ordines duxerat et post ad summas dignitates peruenerat. cuius Quadratus in historiis

---

30. *Cf. Ammian. Marc. XXIII 6, 24* Qua [*Seleucia Assyriae*] per duces Veri Caesaris expulsata auulsum sedibus simulacrum Comei Apollinis perlatumque Romam in aede Apollinis Palatini deorum antistites collocarunt. fertur autem quod post direptum hoc idem figmentum incensa ciuitate milites fanum scrutantes inuenere foramen angustum, quo reserato, ut pretiosum aliquid inuenirent, ex adyto quodam concluso a Chaldaeorum arcanis labes primordialis exiluit, quae insanabilium ui concepta morborum eiusdem Veri Marcique Antonini temporibus ab ipsis Persarum finibus ad usque Rhenum et Gallias cuncta contagiis polluebat et mortibus.

31. *Cf. de hoc fragmento dubiae auctoritatis s. p.* CLXXXXVII.

26, 2. *Γινδαρηνοὺς Berkelius coll. Plin. n. h. V 81*

28, 7. *Περσίδος add. Palat.* *Μεσήνη libri* *ποταμῶν Εὐφράτου Pal.* *στομάτων αὐτοῦ A R V* 8. *καὶ Τίγριδος add. Palat.*

29, 9. *Τάπυροι Holsten*

30, 12. secundę ferre *P a. c.* 14. appollonis *P* 15. urbemque *P* 16. sed *scripsi* et *P*

31, 21. marem *P* 22. homine *Mommsen* tamen *P*

meminit, et quidem grauiter, cum illum summum uirum et necessarium rei publicae adserit et apud ipsum Marcum praeualidum.

VITAE AVCTORVM A TREBELLIO ET A VOPISCO NOMINATORVM

CAELESTINI

1. ***Treb. Poll. Val. 8, 1*** **Valerianus iunior — a patre absente Caesar est appellatus, a fratre, ut Caelestinus dicit, Augustus.**

IVLII ATHERIANI

1. ***Treb. Poll. trig. tyr. 6, 5*** **Satis credimus Iuli Atheriani partem libri cuiusdam ponere, in quo de Victorino sic loquitur: 'Victorino, qui Gallias post Iulium Posthumum rexit, neminem aestimo praeferendum, non in uirtute Traianum, non Antoninum in clementia, non *in* grauitate Neruam, non in gubernando aerario Vespasianum, non in censura totius uitae ac seueritate militari Pertinacem uel Seuerum. sed omnia haec libido et cupiditas mulierariae uoluptatis sic perdidit, ut nemo audeat uirtutes eius in litteras mittere, quem constat omnium iudicio meruisse puniri.'**

MAEONII ASTYANACTIS

1. ***Treb. Poll. trig. tyr. 12, 1*** **Capto Valeriano — cum Gal- 261/1014**
lienum contemnendum Ballista praefectus Valeriani et Macrianus primus ducum intellegerent, quaerentibus etiam militibus

---

1. *Cf. Gall. 14, 9* Et quidem Cecropii Dalmatarum ducis *telo* Gallienus dicitur esse percussus, ut quidam ferunt, circa Mediolanium, ubi continuo et frater eius Valerianus est interemptus, quem multi Augustum, multi Caesarem, multi neutrum fuisse dicunt. quod quidem uerisimile non est, si quidem capto iam Valeriano scriptum inuenimus in fastis: 'Valeriano imperatore consule'. quis igitur alius potuit esse Valerianus, nisi Gallieni frater? constat de genere, non satis tamen constat de dignitate uel, ut coeperunt alii loqui, de maiestate.

1. *De M. Piauonio Victorino uid. Prosop. III p. 38 n. 302.*

1. *De Ballista uid. Prosop. I p. 227 n. 36, de M. Fuluio Macriano II p. 95 n. 374.*

1, 9. in *om. P* nerbam *P* 10. uespasiano *P a. c.*
1, 16. ducum *Salm.* dum *P*

principem unum in locum concesserunt quaerentes, quid faciendum esset. tuncque constitit Gallieno longe posito, Aureolo usurpante imperium debere aliquem principem fieri et quidem optimum, ne quispiam tyrannus existeret. uerba igitur Ballistae, quantum Maeonius Astyanax, qui consilio interfuit, adserit, haec fuerunt: 'Mea et aetas et professio et uoluntas longe ab imperio absunt, et ego, quod negare non possum, bonum principem quaero. sed quis tandem est, qui Valeriani locum possit implere, nisi talis, qualis tu es, fortis, constans, integer, probatus in re p. et, quod maxime ad imperium pertinet, diues? arripe igitur locum meritis tuis debitum: me praefecto quam diu uoles uteris. tu cum re p. tantum bene agas, ut te Romanus orbis factum principem gaudeat.' Ad haec Macrianus: 'Fateor, Ballista, imperium prudenti non frustra est. uolo enim rei p. subuenire atque illam pestem a legum gubernaculis dimouere, sed non hoc in me aetatis est: senex sum, ad exemplum equitare non possum, lauandum mihi est frequentius, edendum delicatius, diuitiae me iam dudum ab usu militiae retraxerunt. iuuenes aliqui sunt quaerendi, nec unus sed duo uel tres fortissimi, qui ex diuersis partibus orbis humani rem p. restituant, quam Valerianus fato, Gallienus uitae suae genere perdiderunt.' Post haec intellexit eum Ballista sic agere, ut de filiis suis uideretur cogitare, atque adeo sic adgressus est: 'Prudentiae tuae rem p. tradimus. da igitur liberos tuos Macrianum et Quietum, fortissimos iuuenes, olim tribunos a Valeriano factos, qui Gallieno imperante, quod boni sunt, salui esse non possunt.' Tunc ille ubi intellectum se esse conperit: 'Do', inquit, 'manus de meo stipendium militi duplex daturus: tu tantum praefecti mihi studium et annonam in necessariis locis praebe. iam ego faxim, ut Gallienus sordidissimus feminarum omnium duces sui parentis intellegat.' Factus est igitur cum Macriano et Quieto duobus filiis cunctis militibus uolentibus imperator ac statim contra Gallienum uenire coepit utcumque rebus in Orientem derelictis sed — congressus cum Aureolo uictus et cum filio interemptus est.

---

1. quaerente *P* 4. balistae *P* 5. meonius astianax *P* 11. tui *P a. c.* 19. patribus *P* 20. facto *P a. c.* 24. fortissimo *P a. c.* 25. quia *P* 28. praebet *P a. c.*

CORNELII CAPITOLINI

1. *Treb. Poll. trig. tyr. 15, 8* Quibus [*uenatoriis uoluptatibus Odenatus*] duratus solem ac puluerem in bellis Persicis tulit, non aliter etiam coniuge [*Zenobia*] adsueta, quae multorum sententia fortior marito fuisse perhibetur, mulier omnium nobilissima orientalium feminarum et, ut Cornelius Capitolinus adserit, speciosissima.

DAGELLII FVSCI

1. *Treb. Poll. trig. tyr. 25, 2* Qui [*Tetricus iunior*] et ipse cum patre per triumphum ductus postea omnibus senatoriis honoribus functus est inlibato patrimonio, quod quidem ad suos posteros misit, ut Dagellius Fuscus dicit, semper insignis.

GALLI ANTIPATRI

1. *Treb. Poll. Claud. 5, 3* Denique iudicio suorum militum apud Mediolanium Aureolus dignum exitum uita ac moribus suis habuit, et hunc tamen quidam historici laudare conati sunt, et ridicule quidem. nam Gallus Antipater, ancilla honorum et historicorum dehonestamentum, principium de Aureolo habuit: 'Venimus ad imperatorem nominis sui.'

CALLICRATIS TYRII

1. *Vopisc. Aurel. 4, 2* Matrem quidem eius [*Aureliani*] Callicrates Tyrius, Graecorum longe doctissimus scriptor, sacerdotem templi Solis, qui in uico eo in quo habitabant parentes .... fuisse dicit. habuisse quin etiam nonnihilum diuinationis, adeo ut aliquando marito suo iurgans ingesserit, cum eius et stultitiam increparet et uilitatem: 'En imperatoris patrem.' ex quo constat illam mulierem scisse fatalia.

---

2. sole ac puluere *P a. c.* 4. mulier ς mulierum *P* 5. nobilissimam *P a. c.* 6. saepedissimam *P a. c.* expedissimam *P corr.* spetiosissimam ς 10. ut ⟨qui⟩dam Gellius *Novák Listy 1887 p. 11* Arellius *Salm. et Dessau Herm. 24, 353* 12. mediolanium *P a. c.* uitae *P em. Maduig* 14. quidam *P* 15. principum *P* 19. Solis sui in uico *Mommsen* Solis et quidem *Bitschofsky, lacunam indicaui* 23. cesse *P a. c.*

Idem dicit auspicia imperii Aureliano haec fuisse: primum pueri eius peluem serpentem plerumque cinxisse neque umquam occidi potuisse, postremo ipsam matrem, quae hoc uiderat, serpentem quasi familiarem occidere noluisse. his accedit quod ex palliolo purpureo, quod Soli sui temporis imperator optulerat, sacerdos mulier crepundia filio fecisse perhibetur. addit etiam illud quod uinctum fasceola Aurelianum aquila innoxie de cunis leuauerit et in aram posuerit, quae iuxta sacellum forte sine ignibus erat. idem auctor est uitulum matri eius natum mirae magnitudinis, candidum sed purpurantibus maculis, ita ut haberet in latere uno 'aue imperator', in alio coronam. multa superflua in eodem legisse *me* memini, quippe qui adseruerit etiam rosas in eiusdem mulieris chorte nato Aureliano exisse purpureas, odoris rosei, floris aurei. fuerunt et postea multa omina iam militantis futuri, ut res monstrauit, imperii. nam ingrediente eo Antiochiam in uehiculo, quod prae uulnere tunc equo sedere non posset, ita pallium purpureum, quod in honore eius pansum fuerat, decidit, ut umeros eius tegeret. et cum in equum transire uellet, quia inuidiosum tunc erat uehiculis in ciuitate uti, equus est ei imperatoris adplicitus, cui per festinationem insedit. sed ubi comperit, semet ad suum transtulit. data est ei praeterea, cum legatus ad Persas isset, patera, qualis solet imperatoribus dari a rege Persarum, in qua insculptus erat Sol eo habitu, quo colebatur ab eo templo, in quo mater eius fuerat sacerdos. donatus eidem etiam elephantus praecipuus, quem ille imperatori optulit, solusque omnium priuatus Aurelianus elephanti dominus fuit.

THEOCLII

1. *Vop. Aur. 6, 3* Priuati huius [*Aureliani*] multa extant egregia facinora. nam erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis praesidiariis solus adtriuit. refert Theoclius, Caesareano-

7. fasceolum *P a. c.* 9. auctores uit. *P a. c.* 11. aue imperator *Kellerbauer* auetr *P a. c.* aue *P corr.* in altero *Novák Listy 1884 p. 203* 12. me *add. Lessing* adseuerit *P* adseruerit *Baehrens* adseueret *Petschenig* 14. militanti *uulg.* 17. expansum P^{3} 21. transtuli *P a. c.* 22. imperatoris *P* 23. instulitus *P a. c.* sculptus *Petschenig*

1, 27. priuatim *P* 29. refer *P a. c.* Theo Chius *uel*

rum temporum scriptor, Aurelianum manu sua bello Sarmatico una die quadraginta et octo interfecisse, plurimis autem et diuersis diebus ultra nongentos quinquaginta, adeo ut etiam ballistia pueri et saltatiunculas in Aurelianum tales *componerent,* quibus diebus festis militariter saltitarent:

Mille mille mille decollauimus.
unus homo! mille decollauimus.
mille uiuat qui mille occidit.
tantum uini nemo habet quantum fudit sanguinis.

haec uideo esse perfriuola, sed quia supra scriptus auctor ita eadem ut sunt Latina, suis scriptis inseruit, tacenda esse non credidi. idem apud Mogontiacum tribunus legionis sextae Gallicanae Francos inruentes, cum uagarentur per totam Galliam, sic adflixit, ut trecentos ex his captos septingentis interemptis sub corona uendiderit. unde iterum de eo facta est cantilena:

Mille Sarmatas, mille Francos semel et semel occidimus,
mille Persas quaerimus.

NICOMACHI

1. *Vop. Aur. 26, 6* Denique [*Aurelianus*] fatigatus ac prope malis fessus litteras ad Zenobiam misit deditionem illius petens, uitam promittens, quarum exemplum indidi: 'Aurelianus imperator Romani orbis et receptor orientis Zenobiae ceterisque, quos societas tenet bellica. sponte facere debuistis id, quod meis litteris nunc iubetur: deditionem enim praecipio inpunitate uitae proposita, ita ut illic, Zenobia, cum tuis agas uitam, ubi te ex senatus amplissimi sententia conlocauero. gemmas, aurum, argentum, sericum, equos, camelos in Romanum aerarium conferatis. Palmyrenis ius suum seruabitur.' *(27)* Hac epistula accepta Zenobia superbius insolentiusque rescripsit, quam eius fortuna poscebat, credo ad terrorem. nam eius quoque epistulae exemplum indidi: 'Zenobia

---

Theoclytus *uel* Theocles *Casaub.* Caesarianus, eorum temp. *Maduig* 3. ueta *P a. c.* nungentos *P* 4. in *om. P* componerent *add. Egnatius an* tales quibusdam diebus f.? 6. *bis* mille *add. P corr.* 7. *bis* mille *add. P corr. uirorum doct. coniecturas u. in ed. mea* 12. montiacum *P* 15. de eo] deo *P*

1, 18. prope *scripsi* pro *P* 23. enim *om.* P^1 29. iam *Oberdick*

278/1026 regina orientis Aureliano Augusto. nemo adhuc praeter te hoc quod poscis, litteris petit. uirtute faciendum est quidquid in rebus bellicis est gerendum. deditionem meam petis, quasi nescias Cleopatram reginam perire maluisse quam in qualibet uiuere dignitate. nobis Persarum auxilia non desunt, quae iam speramus, pro nobis sunt Saraceni, pro nobis Armenii. latrones Syri exercitum tuum, Aureliane, uicerunt: quid? si igitur illa uenerit manus quae undique speratur, pones profecto supercilium, quo nunc mihi deditionem, quasi omnifariam uictor, imperas.' Hanc epistulam Nicomachus se transtulisse in Graecum ex lingua Syrorum dicit ab ipsa Zenobia dictatam. nam illa superior Aureliani Graeca missa est.

ASCLEPIODOTI

1. *Vopisc. Aur. 44, 2* Verconnius Herennianus, praefectus praetorii Diocletiani, teste Asclepiodoto saepe dicebat Diocletianum frequenter dixisse, cum Maximiani asperitatem reprehenderet, Aurelianum magis ducem esse debuisse quam principem. nam eius nimia ferocitas eidem displicebat. mirabile fortasse uidetur quod conpertum Diocletiano Asclepiodotus Celsino consiliario suo dixisse perhibet, sed de hoc posteri iudicabunt. dicebat enim quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse dryadas sciscitantem, utrum apud eius posteros imperium permaneret, cum illas respondisse dixit nullius clarius in re p. nomen quam Claudii posterorum futurum.

AVRELII FESTIVI

1. *Vop. Firm. 6, 1* Haec nos de Firmo cognouisse scire debuisti, sed digna memoratu. nam ea, quae de illo Aurelius Festiuus libertus Aureliani singillatim rettulit, si uis cognoscere, eundem oportet legas, maxime cum dicat Firmum eundem inter

---

1. *De Asclepiodoto uid. Prosop. I p. 190 n. 158, de Vercon(n)io Her. Borghesi Op. X p. 147. Die Script. hist. Aug. p. 6 sq., supra p. cc.*

---

4. captiuitate *Baehrens ann. 133 p. 223* 10. nichomachus *P*
1, 18. ⟨a⟩ Diocl. *Mommsen Herm. XXV p. 258* 19. perhibetur *P* 20. aurelianus *P* Gallizenas *L. Paul Fleckeis. ann. 145 p. 795 sq.* 22. res p̃ *P*

crocodillos, unctum crocodillorum adipibus, natasse et elephantum rexisse et hippopotamo sedisse et sedentem ingentibus struthionibus uectum esse et quasi uolitasse.

M. SALVIDIENI

1. *Vop. Saturn. 10* Et cum eum [*Saturninum*] animarent 279/1032 uel ad uitam uel ad imperium, qui amicuerunt purpuram, in haec uerba disseruit: 'Nescitis, amici, quid mali sit imperare. gladii saeta pendentes ceruicibus inminent, hastae undique, undique spicula. ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur. non cibus pro uoluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. adde quod omnis aetas in imperio reprehenditur: senex est quispiam? inhabilis uidetur; adulescens? est furiosus. iam quid amabilem omnibus Probum dico? cui *cum* me aemulum esse cupitis, cui libens cedo et cuius dux esse cupio, in necessitatem mortis me trahitis. habeo solatium mortis: solus perire non potero.' M. Saluidienus hanc ipsius orationem uere fuisse dicit. et fuit re uera non parum litteratus. nam et in Africa rhetori operam dederat, Romae frequentauerat pergulas magistrales.

FABII CERYLLIANI

1. *Vop. Car. 4, 3* Sed Fabius Cerylliaus, qui tempora Cari, Carini et Numeriani solertissime persecutus est, [*Carum*] neque Romae sed in Illyrico genitum neque Pannoniis sed Poenis parentibus adserit natum.

ONESIMI VITA PROBI

1. *Vop. Proc. 13, 1* Hic tamen [*Proculus*] cum etiam post 280/1033 honores militares se inprobe libidinose, tamen fortiter gereret,

---

2. hippopatamos ed. *P em. Turnebus* strucionibus *P*
1, 5. amugierunt *P em. Casaub.* 6. gladiis et a pendentibus *P* 9. inter *P* 11. additur his et furore *P* adulescens? est furiosus *scripsi* 12. cui memulum P^1 cui me aem. *P corr.* cum *add. Salmasius* 17. rectorio *P em. Baehrens* frequentauerant pergula ministrales *P* 1, 19. fauius P^1
1, 24. militares cum se *P* regeret *P corr. Baehrens*

hortantibus Lugdunensibus, qui et ab Aureliano grauiter contusi uidebantur, et Probum uehementissime pertimescebant, in imperium uocitatus est, ludo paene ac ioco, ut Onesimus dicit, quod quidem apud nullum alium repperisse me scio. nam cum in quodam conuiuio ad latrunculos luderetur atque ipse decies imperator exisset, quidam non ignobilis scurra 'Aue' inquid 'Auguste' adlataque lana purpurea umeris eius iunxit eumque adorauit; timor inde consciorum atque inde iam exercitus temptatio et imperii.

2. *Vop. Bon. 14, 3* De hoc [*Bonoso*] Aurelianus saepe dicebat: 'Non ut uiuat natus est sed ut bibat.' quem quidem diu in honore habuit causa militiae. nam si quando legati barbarorum undecumque gentium uenissent, ipsi propinabantur, ut eos inebriaret atque ab his per uinum cuncta cognosceret. ipse quantumlibet bibisset, semper securus et sobrius et, ut Onesimus dicit, scriptor uitae Probi, adhuc in uino prudentior.

3. *Vop. Car. 4, 2* Onesimus enim, qui diligentissime uitam Probi scripsit, Romae illum [*Carum*] et natum et eruditum sed Illyricianis parentibus fuisse contendit.

4. *Vop. Car. 16, 1* Superest nobis Carinus, homo omnium contaminatissimus, adulter, frequens corruptor iuuentutis (pudet dicere quod in litteras Onesimus rettulit), ipse quoque male usus genio sexus sui.

5. *Vop. Car. 7, 3* Exstant etiam litterae Cari, quibus aput praefectum suum de Carini moribus queratur, ut appareat uerum esse, quod Onesimus dicit, habuisse in animo Carum, ut Carino Caesareanum abrogaret imperium.

6. *Vop. Car. 17, 6* Statuerat denique [*Carus*] Constantium, qui postea Caesar est factus, tunc autem praesidatum Dalmatiae administrabat, in locum eius [*Carini*] subrogare, quod nemo tunc uir melior uidebatur, illum uero, ut Onesimus dicit, occidere.

---

7. purporea *P* uinx̄ *P*

2, 13. ipsis propinabat *ed. pr.* 15. seuerus *Petschenig Bemerk. p. 356*

5, 24. etiam *Casaub.* iam *P* 25. quaeratur *P*

TVRDVLI GALLICANI EPHEMERIS

1. *Vop. Prob. 3, 4* Vnum tamen dico, quod in ephemeride legisse me memini, a Claudia sorore Probum sepultum.

2. *Vop. Prob. 5, 1* Et haec quidem epistulis declarantur. nunc quantum ex ephemeride colligi potuit: cum bello Sarmatico iam tribunus tramisso Danubio multa fortiter fecisset, publice in contione donatus est hastis puris quattuor, coronis uallaribus duabus, corona ciuica una, uexillis puris quattuor, armillis aureis duabus, torque aureo uno, patera sacrificali quinquelibri una. quo quidem tempore Valerium Flaccinum, adulescentem nobilem, parentem Valeriani, e Quadorum liberauit manu, unde illi Valerianus coronam ciuicam detulit. uerba Valeriani pro contione habita: 'Suscipe, Probe, praemia pro republica, suscipe coronam ciuicam pro parente.'

IMPERATORIS CONSTANTINI COMMENTARII

1. *Ioann. Lyd. de mag. II 30 p. 85 W.* *Ὥσπερ ἀρχέτυπον εἶδος ἡ μονάς, παράδειγμα δὲ μονάδος ἕν, οὕτως ἐν προοιμίοις ἡ καθ' ἡμᾶς εὐδαίμων πόλις τῆς τότε πᾶσαν ὑπεροχὴν ἐκβεβηκυίας Ῥώμης ἐνομίσθη. ὅθεν ὁ Κωνσταντῖνος οὐδαμοῦ πρὸ τῆς ἐπ' αὐτῇ κονσεκρατιῶνος (οὕτω δὲ τὴν ἀποθέωσιν Ῥωμαῖοι προσαγορεύουσι) Ῥώμην νέαν δείκνυται καλῶν, κάστρα δὲ καὶ αὐτὴν ἴσα ταῖς ἄλλαις τῶν χωρῶν· καὶ τούτων ἄν τις ἐπιστήσεται τοῖς ἐλέγχοις, εἰ ταῖς διαλέξεσι Κωνσταντίνου, ἃς αὐτὸς οἰκείᾳ φωνῇ γράψας ἀπολέλοιπεν, ἐντεύξεται.*

2. *Ioann. Lyd. de mag. III 33 p. 121 W.* *Συρίαν δὲ ὅλην καὶ Παλαιστίνην — ἐπαρχίας ἀναδείξας* [*Constantinus*] *ἐδεήθη ὕπαρχον μετὰ τὸν Λιβύης καὶ Γαλατίας Ἰλλυρίδος τε καὶ Ἰταλίας καὶ τῆς ἑῴας προχειρίσασθαι, σκεπτόμενος, ὡς αὐτὸς ὁ βασιλεὺς ἐν τοῖς ἑαυτοῦ λέγει συγγράμμασι, Πέρσαις ἀδοκήτως ἐπελθεῖν. ἠπίστατο γὰρ Κωνσταντῖνος, πολὺς ὢν ἔν τε παιδεύσει λόγων καὶ συνασκήσει ὅπλων — μὴ εἶναι ῥᾴδιον ἄλλως καταπολεμηθῆναι Πέρσας μὴ ἐξαπίνης αὐτοῖς ἐπιχεομένης ἐφόδου.*

1. *Turduli Gallicani ephemeridem dicit, uid. s. p.* CCII.

1, 22. *καταλέλοιπεν coni. Bekker*
2, 26. *προχωρίσασθαι cod. em. Fuss.*

Q. AVRELII MEMMII SYMMACHI HISTORIA
EX LIBRO V

1. *Iord. de reb. Get. 15, 83* Ex eorum reliquiis [*Gothorum*] fuit et Maximinus imp. post Alexandrum Mamaeae. nam, ut dicit Symmachus in quinto suae historiae libro, Maximinus, inquiens, Caesar mortuo Alexandro ab exercitu effectus est imp., ex infimis parentibus in Thracia natus, a patre Gotho nomine Micca, matre Halana, quae Ababa dicebatur. is triennio regnans, dum in Christianos arma commoueret, imperium simul et uitam amisit. nam hic Seuero imp. regnante et natalis diem filii celebrante, post prima aetate et rusticana uita de pascuis in militiam uenit. princeps si quidem militares dederat ludos; quod cernens Maximinus, quamuis semibarbarus aduliscens, propositis praemiis patria lingua petit ab imperatore, ut sibi luctandi cum expertis militibus licentiam daret. Seuerus, ammodum miratus magnitudinem formae (erat enim, ut fertur, statura eius procera ultra octo pedes), iussit eum lixis corporis nexu contendere, ne quid a rudi homine militaribus uiris eueniret iniuriae. tum Maximinus sedecim lixas tanta felicitate prostrauit, ut uincendo singulos nullam sibi requiem per intercapidinem temporis daret. hic captis praemiis iussus in militiam mitti, primaque ei stipendia equestria fuere. tertia post haec die, cum imperator prodiret in campum,

---

1. *Haec sumpta sunt ex Capitolini Maximino c. 1, 5* Hic de uico Threiciae uicino barbaris, barbaro etiam patre et matre genitus — esse perhibetur. et patri quidem nomen Micca, matri Hababa fuisse dicitur. *2, 1* Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnumquam etiam procerto, qui latronibus insidiaretur et suos ab incursionibus uindicaret. — Innotescendi sub Seuero imperatore prima haec fuit causa. natali Getae, filii minoris, Seuerus militares dabat ludos propositis praemiis argenteis. — hic adulescens et semibarbarus et uix adhuc Latinae linguae, prope Thraecica imperatorem publice petit, ut sibi daret licentiam con-

---

1, 1. *Adscripsi lectiones archetyporum trium Mommseni, singulorum codd. non curaui* 2. mamae nam *I* mameae filium nam *III* 4. factus *II* 6. halana *I* alana *II* helana *III* abara *cod. Heid.* triennium *II* 7. conuerteret *III* 9. post primam aetatem et rusticanam uitam *II. III* 11. pr(a)epositis *II* patria] barbara *II* 12. expertis] exercitus *II* 13. mirans *III* 15. corporeo *II* 16. ueniret *II* tunc *II* 18. per *om. II* temporum *II* hinc *Mommsen* 19. ei *om. I* 20. tertiam post diem *II* prodierit *II*

uidit eum exultantem more barbarico iussitque tribuno, ut eum cohercitum ad Romanam inbueret disciplinam. ille uero, ubi de se intellexit principem loqui, accessit ad eum equitantemque praeire pedibus coepit. tum imperator equo ad lentum cursum calcaribus incitato multos orbes huc atque illuc usque ad suam defatigationem uariis deflexibus impediuit ac deinde ait illi: 'Num quid uis post cursum, Thracisce, luctare?' respondit: 'Quantum libet imperator.' ita Seuerus ex equo desiliens recentissimos militum cum eo decertari iussit. at ille septem ualentissimos iuuenes ad

tendendi cum is, qui iam non mediocri loco militarent. magnitudinem corporis Seuerus miratus [*c. 6, 8* Erat magnitudine tanta, ut octo pedes digitis sex diceretur egressus. *cf. c. 28, 8.*] primum eum cum lixis composuit, sed fortissimis quibusque, ne disciplinam militarem corrumperet. tunc Maximinus sedecim lixas uno sudore deuicit sedecim acceptis praemiis minusculis, non militaribus, iussusque militare. [*c. 2, 2* Prima stipendia equestria huic fuere.] *(3)* Tertia forte die cum processisset Seuerus ad campum, in turba exsultantem more barbarico Maximinum uidit iussitque statim tribuno, ut eum coherceret et ad Romanam disciplinam inbueret. tunc ille, ubi de se intellexit imperatorem locutum, suspicatus barbarus et notum se esse principi et inter multos conspicuum, ad pedes imperatoris equitantis accessit. tum uolens Seuerus explorare, quantus in currendo esset, equum admisit multis circuitionibus, et cum senex imperator laborasset, neque ille a currendo per multa spatia desisset, ait ei: 'Quid uis Thraecisce? numquid delectat luctari post cursum?' tum: 'Quantum libet (inquit) imperator.' post hoc ex equo Seuerus descendit et recentissimos quosque ac fortissimos milites ei comparari iussit. tum ille more solito septem fortissimos uno sudore uicit solusque omnium a Seuero post argentea praemia torque aureo donatus est iussusque inter stipatores corporis semper in aula consistere. hinc igitur factus conspicuus et q. s. *c. 4, 4* Hic diu sub Antonino Caracallo ordines duxit centuriatos et ceteras militares dignitates saepe tractauit. sub Macrino, quod eum, qui imperatoris sui filium occiderat, uehementer odisset, a militia desiit et in Thracia in uico, ubi genitus fuerat, possessiones comparauit et q. s. *§ 6* Sed occiso Macrino cum filio suo, ubi Heliogabalum quasi Antonini filium imperare conperit, iam maturae aetatis ad eum uenit petitque ut quod auus eius Seuerus iudicii circa se habuerat, et ipse haberet. sed apud inpurum hominem ualere nihil potuit. nam et q. s. *c. 5, 4* quem Alexander miro cum gaudio, mira cum gratulatione suscepit. *Christiana Symmachus ex Orosio sumpsit: (VII 18, 8)* militari tumultu [Alexander] apud Mogontiacum interfectus est. *(19, 1)* Anno ab u. c. DCCCCLXXXVII Maximinus — nulla senatus uoluntate imperator ab exercitu, postquam bellum in Germania prospere gesserat, creatus persecutionem in Christianos sextus a Nerone exercuit. sed continuo, hoc est tertio, quam regnabat anno, a Puppieno [Pupione *multi codd.*] Aquileiae interfectus et persecutionis et uitae finem fecit.

1. tribuno] bono *II* 4. ad uiolentum cursum *Muratorius* 6. inflexibus interpedauit *II* 8. ita] tunc *III* descendens *III* milites *III* 9. at] ac *II* iuuenes] milites *II*

terram elisit, ita ut antea nihil per interualla respiraret, solusque a Caesare et argenteis praemiis et aureo torque donatus est; iussus deinde inter stipatores degere corporis principalis. post haec sub Antonino Caracalla ordines duxit ac saepe famam factis extendens plures militiae gradus centuriatumque strenuitatis suae pretium tulit. Macrino tamen postea in regnum ingresso recusauit militiam pene triennio tribunatusque habens honorem numquam se oculis Macrini optulit, indignum ducens eius imperium, quod perpetrato facinore fuerat adquisitum. ad Eliogabalum dehinc quasi ad Antonini filium reuertens tribunatum suum adiit et post hunc sub Alexandrum Mamaeae contra Parthos mirabiliter dimicauit. eoque Mogontiaco militari tumulto occiso ipse exercitus electione absque senatus consultu effectus est imperator, qui cuncta bona sua in persecutione Christianorum malo uoto foedauit occisusque Aquileia a Puppione regnum reliquit Philippo. quod nos idcirco huic nostro opusculo de Symmachi hystoria mutuauimus, quatenus gentem, unde agimus, ostenderemus ad regni Romani fastigium usque uenisse.

SCRIPTORES AETATIS OMNINO INCERTAE

FABIVS VESTALIS

298/461 **1.** *Plin. n. h. VII 213* Princeps Romanis solarium horologium statuisse ante XII annos quam cum Pyrro bellatum est, ad aedem Quirini L. Papirius Cursor, cum eam dedicaret a patre

---

1. *Cf. Censor. de d. n. 23, 6* In horas duodecim diem diuisum esse noctemque in totidem uulgo notum est, sed hoc credo Romae post reperta solaria obseruatum, quorum antiquissimum quod fuerit inuentu difficile est; alii enim apud aedem Quirini primum statutum dicunt,

---

3. degere] *II* dedere *I* decore corp. pr. astare *III* 4. sub *om. II* 5. centuriatumque *III* centuriatamque *I* centuriasque *II* 7. triennium *II* honore *cum Heid. Pal. Mommsen* 8. obtulit ma. *II* 9. qui — facinus *I* quod — facinore *II (III)* erat *II* 11. hinc *II* alexandro *II* mamae *I* 12. que *om. II* 13. senanatus *I* 15. aquilegia *II (III)*

1, 19. Romanis] *R(icc.) om. cett. libri* 20. XII *R Par.* undecim *cett. libri*

suo uotam, a Fabio Vestale proditur. sed neque facti horologi rationem uel artificem significat nec unde translatum sit aut apud quem scriptum id inuenerit.

DECVLO

1. *Plin. n. h. XXXV 70* Pinxit [*Parrhasius Ephesius*] et archigallum, quam picturam amauit Tiberius princeps atque, ut auctor est Deculo, IIS |LX| aestimatam cubiculo suo inclusit.

CORNELIVS VALERIANVS

1. *Plin. n. h. X 5* Cornelius Valerianus phoenicem deuo- 36/789
lauisse in Aegyptum tradit Q. Plautio Sex. Papinio consulibus. adlatus est et in urbem Claudi principis censura, anno urbis DCCC, et in comitio propositus, quod actis testatum est, sed quem falsum esse nemo dubitaret.

2. *Plin. n. h. XIV 11* Vidique etiam porticus, uillas et domos ambiri singularum [*uitium*] palmitibus ac sequacibus loris. quodque memoria dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius existimauit, una uitis Romae in Liuiae porticibus subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat, eadem duodenis musti amphoris fecunda.

PESCENNII FESTI

HISTORIAE PER SATVRAM

1. *Lactant. inst. I 21, 13* Pescennius Festus in libris historiarum per saturam refert Karthaginienses Saturno humanas hostias solitos immolare et, cum uicti essent ab Agathocle rege Siculorum, iratum sibi deum putauisse; itaque, ut diligentius piaculum soluerent, ducentos nobilium filios immolasse.

---

alii in Capitolio, nonnulli ad aedem Dianae in Auentino. illud sane constat nullum in foro prius fuisse quam id, quod M. Valerius ex Sicilia aduectum ad rostra in columna posuit. *Quae addunt et Plinius ex Varrone et Censorinus omnino inter se concinunt.*

1, 6. deculo *Bamb.* depulo *Voss.* de populo *Ricc.* Decius Epulo *uulg.* |LX| *Jan* LX *Bamb.* LX *cett. codd.* **1,** 9. est et *Leid.* esset *cett. codd.* **1,** 21. piacula *Bonon.*

BRVTTII HISTORIAE

1. *Ioann. Malal. II p. 34 Dind.* Ὁ δὲ σοφώτατος Βούττιος, ἱστορικὸς χρονογράφος, ἐξέθετο, ὡς ὁ αὐτὸς Πῖκος ὁ καὶ Ζεὺς οὖσαν ταύτην [*Danaen*] ἐν κουβουκλείῳ παρακειμένῳ τῇ θαλάσσῃ πολλῷ χρυσῷ πείσας ἠδυνήθη προτρεψάμενος· ἥντινα ἁρπάσας ὡς πάνυ εὐπρεπῆ ἔφθειρεν καὶ ἐξ αὐτῆς ἔσχεν υἱὸν ὀνόματι Περσέα τὸν προειρημένον.

2. *Malal. VIII p. 193 D.* Καὶ εὐθέως ὡς πάρδαλις ἐκεῖθεν ὁρμήσας ὁ Ἀλέξανδρος ἅμα τοῖς σὺν αὐτῷ στρατηγοῖς παρέλαβε πάσας τὰς χώρας. καὶ νικήσας τὸν Δαρεῖον, βασιλέα Περσῶν, τὸν Ἀσσαλάμου, παρέλαβεν αὐτὸν καὶ πᾶσαν τὴν βασιλείαν αὐτοῦ καὶ πᾶσαν τὴν χώραν Ἀσσυρίων καὶ Μήδων καὶ Πάρθων καὶ Βαβυλωνίων καὶ Περσῶν καὶ πάσας τὰς βασιλείας τῆς γῆς, καθὼς Βύττιος ὁ σοφώτατος συνεγράψατο, ἐλευθερώσας ὁ αὐτὸς Ἀλέξανδρος καὶ τὰς πόλεις καὶ τὰς χώρας καὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν Ῥωμαίων καὶ Ἑλλήνων καὶ Αἰγυπτίων ἐκ τῆς Ἀσσυρίων καὶ Περσῶν καὶ Πάρθων καὶ Μήδων ὑποταγῆς καὶ δουλείας, ἀποδοὺς Ῥωμαίοις πάντα ἃ ἀπώλεσαν.

95/848 **3.** *Hieron. ad a. Abr. 2112 = 95 p. Chr. p. 163 Sch.* Scribit Bruttius plurimos Christianorum sub Domiciano fecisse martyrium, inter quos et Flauiam Domitillam Flauii Clementis consulis ex sorore neptem in insulam Pontianam relegatam, quia se Christianam esse testata sit.

1. *Ex Malala sua chron. Paschale I p. 69 D descripsit.*

3. *Cf. Eusebii interpret. Arm. p. 160 Sch.* Refert autem Brettius multos Christianorum sub Dometiano subiisse martyrium: Flauia uero Dometila et Flauus Clementis consulis sororis filius, in insulam Pontiam fugit (fugerunt?), quia se Christianum (Christianos?) esse professus est (professi sunt?). *epit. Syria p. 214* Narrat autem Burtnus multos Christianos in diebus Domitiani martyrium subiisse, et Flauiam Domitillam, filiam sororis Clementis consulis, in insulam Pontiam fugisse, quod se Christianam esse profiteretur. *Ex Eusebio sua habet Sync. I p. 650 D.* *Πολλοὶ δὲ Χριστιανῶν ἐμαρτύρησαν κατὰ Δομετιανόν, ὡς ὁ Βρέττιος ἱστορεῖ, ἐν οἷς καὶ Φλαυία Δομετίλλα, ἐξαδελφὴ Κλήμεντος Φλαυίου ὑπατικοῦ, ὡς Χριστιανὴ εἰς νῆσον Ποντίαν φυγαδεύεται. αὐτὸς δὲ Κλήμης ὑπὲρ Χριστοῦ ἀναιρεῖται.* = *Malal. X p. 262 D.* *Πολλοὺς δὲ ἄλλους χριστιανοὺς ἐτιμωρήσατο, ὥστε φυγεῖν ἐξ αὐτῶν πλῆθος ἐπὶ τὸν Πόντον, καθὼς Βώττιος ὁ σοφὸς χρονογράφος συνεγράψατο κατ᾽ αὐτῶν.* *Malala usus est Chron. Pasch. p. 468 D.* *Ἱστορεῖ ὁ Βρούττιος πολλοὺς χριστιανοὺς κατὰ τὸ ιδʹ ἔτος Δομετιανοῦ μεμαρτυρηκέναι.*

1, 1. *Βρούττιος ὁ ἱστορικὸς καὶ χρονογράφος chron. Pasch.*

RVBELLII BLANDI

HISTORIAE

1. *Seru. auctus ad Verg. georg. I 103* Sane Rubellius Blandus et Quadrigarius historici dicunt Gargarum flumen uocari in fr. 91
finibus Thurinis; fuisse et oppidum mediocre, quod Garga nunc uicus est, quem Troes obscuri centum quinquaginta ignoto et incerto duce insederunt, scilicet nomine a uertice Idaeo translato, a quo ciuitas etiam in finibus Troicis Gargara appellatur.

AEMILII SVRAE

DE ANNIS POPVLI ROMANI

1. *Vetus gloss. ad Vell. I 6, 6* Aemilius Sura de annis populi Romani: Assyrii principes omnium gentium rerum potiti sunt, deinde Medi, postea Persae, deinde Macedones; exinde duobus regibus Philippo et Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo post Carthaginem subactam deuictis summa imperii ad populum Romanum peruenit. inter hoc tempus et initium regis Nini Assyriorum, qui princeps rerum potitus *est,* intersunt anni MDCCCCXCV.

VALENTIS

HISTORIA CAESARIS

1. *Ioann. Lyd. de mens. IIII 102 p. 142 W.* Οὐάλης δέ, ὃς καὶ αὐτὸς τὰ Καίσαρος ἔγραψε, φησὶν ἄριστον μὲν αὐτὸν καὶ πρεπωδέστατον ἐν μεγέθει γενέσθαι, ἔτι μὴν καὶ κομήτην (τὴν δὲ κόμην πατρίως οἱ Ῥωμαῖοι καισάριεν προσαγορεύουσι) καί φησιν ὡς διὰ τὸ ἐξ αὐτῆς κάλλος Καῖσαρ προσηγορεύετο.

1, 3. fuisse et *Thilo* fuisset *Lemou.* ad illud fuisse *Masuicius* 4. quod *exspectat Thilo* 5. ideo *Lemou.*

1, 7 sqq. *Haec uerba, quae in contextu ed. principis leguntur, a uiro docto quodam addita esse uidit P. Delbenius probaueruntque editores.* 13. Nisi *ed. pr.* est *add. Mommsen*

INDICES

I. Index scriptorum,

II. Tabula rerum Romanarum quae his reliquiis continentur ex temporum ordine digestarum,

III. Index uerborum et nominum propriorum rerumque memorabilium,

IIII. Index locorum quibus haec fragmenta seruata sunt,

V. Index locorum ex horum fragmentorum numero eiectorum uel non receptorum,

VI. Index librorum qui extra uniuscuiusque scriptoris fines breuiter laudati sunt.

I

SCRIPTORVM INDEX

II

TABVLA RERVM ROMANARVM

QVAE HIS RELIQVIIS CONTINENTVR EX TEMPORVM ORDINE DIGESTARVM

a. Chr. n.	ab urb. cond.	
753		Roma condita secundum Atticum 7, 1.
751		Roma condita secundum Nepotem 25, 11.
		Seruius Tullius primus flauit nummum argenteum 24, 11.
494	260	in Auentino secessione primo duo tribuni plebis creati 7, 3.
384	370	M. Manlius necatus 24, 15. 26, 4.
364	390	pestilentia Romae 115, 1.

a. Chr. n.	ab urb. cond.	
240	514	Liuius primus fabulam docuit 7, 13.
216	538	captiuorum ab Hannibale Romam missorum fraus 26, 21.
215	539	M. Marcelli res feliciter gestae 35, 19.
208	546	Marcelli mors 36, 1.
194	560	Pleminii facinus 77, 7.
187	567	P. et L. Scipionum iudicium 27, 20.
183	571	mors Hannibalis teste Attico 8, 8.
155	599	Atheniensium legatio 8, 11.
144	610	Q. Marcii praetura 81, 10.
90	664	bellum Marsicum 19, 1.
85	669	L. Crassi fuga in Hispaniam 82, 26.
80	674	M. Cicero primum causam iudicii publici pro S. Roscio egit 34, 13; cf. 84, 7.
76	678	Pompeius Lauronem frustra defendit 41, 7.
75	679	C. Aurelii Cottae lex 85, 1.
66 65	688 689	prior coniuratio Catilinae 4, 1. 5, 4. 45, 9. 50, 7.
63	691	coniuratio Catilinae 3, 1; cf. 4, 11.
57	697	C. Catonis tribunatus plebis 85, 17.
56	698	L. Luculli mors 37, 6.
55	699	Catonis de Vsipetum Tencterorumque caede sententia 50, 19.
48	706	Pharsalia pugna quot milites Pompeius amiserit 68, 1. uox Caesaris 68, 9.
45	709	in Hispania subita hostium incursione Caesar oppressus 68, 13.
44	710	Caesaris testamentum 55, 1.
43	711	Octauiani et Ciceronis actio 56, 23.
		Octauiani potentia crescens 57, 14.
		de Hirtii morte suspicio 71, 10.
		Ciceronis mors 6, 12. 69, 1. 90, 6. 96, 1. de Cic. Antonii crudele ludibrium 88, 1. 90, 15. de proscriptione uoces Lepidi et Octauiani 71, 5.
42	712	Octauiani in pugna Philippensi periculum 58, 5; et morbus 64, 8; 15; uox C. Cassii Longini 65, 17; priore pugna Brutus superior 66, 11; quot milites Antonii Octauianique occisi 66, 24.
40	714	Octauiani et L. Antonii colloquium 59, 1.
37	717	M. Agrippa ex Lucrino lacu portum fecit 64, 12.
36	718	Gazacorum obsessio Antonii 53, 10.
35	719	Octauianus Illyrios uicit 61, 29.
33	721	Agrippae aedilitas 64, 15.
31	723	ad Actium quot Antonii naues captae 62, 11.
18	736	altera senatus lectio 89, 9.
17	737	Augusti ludi saeculares 93, 1.
8	746—31/784	consulum laterculus 96, 17.
p. Chr. n.		
12	765	Caligula Tiburi genitus 91, 4; in Treueris 110, 1.
15	768	Agrippinae constantia ad Rhenum 110, 13.
25	778	Cremutii Cordi causa 88, 19.
26	779	Agrippinae et Tiberii colloquium 94, 9.
31	784	Tiberius Seianum peremit, quod fureret aduersus Germanici liberos 92, 19.
37	790	Tiberii mors 92, 11.
42	795	Suetonii Paulini iter trans Atlantem montem 101, 8.

III

INDEX VERBORVM ET NOMINVM PROPRIORVM RERVMQVE MEMORABILIVM[1]

1) Ipsa historicorum uerba litteris rectis scripta sunt, cetera inclinatis.

IIII

INDEX LOCORVM

QVIBVS HAEC FRAGMENTA SERVATA SVNT

V

INDEX LOCORVM

EX HORVM FRAGMENTORVM NVMERO EIECTORVM VEL NON RECEPTORVM

VI

INDEX LIBRORVM

QVI EXTRA VNIVSCVIVSQVE SCRIPTORIS FINES BREVITER LAVDATI SVNT

Henrici Brunnii De auctorum indicibus Plinianis disputatio isagogica (Bonnae 1856).
M. Büdinger, Untersuchungen zur röm. Kaisergeschichte (3 Teile, Leipzig 1868—1870).
G. Dittenberger, Sylloge inscriptionum Graecarum iterum ed. (Lipsiae 1898—1901).
W. Drumann, Geschichte Roms in seinem Übergang von der republikanischen zur monarchischen Verfassung (6 Teile, Königsberg 1834—1844. 2. Aufl. herausgegeben von P. Groebe, Berol. uol. 1: 1899. 2: 1902).
A. Enmann, Eine verlorene Geschichte der römischen Kaiser. Philol. Suppl. IV fasc. 3 (p. 335—501).
Ph. Fabia, Les sources de Tacite dans les histoires et les annales (Paris. 1893).